BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XL
A
9

NAPOLI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
A
9
NAPOLI

XL
A
9

COMMENTARIA
IN
SATYRAS
AVLI PERSII
FLACCI.

Per R. P. S. T. Mag

FR. HENRICVM
SCAIESIVM
A Pi'n. Ord. Pr.
elaborata

Pars prima.

NEAPOLI 1690.

Apud Carolum Porsile
Regium Typograph.

Superiorum Lic.

Di Gennaro Granelli

BIBL... NAPOLI

COMMENTARIA
IN AVLI PERSII
SATYRAS

Tribus Tomis comprehenſa, cum Indice rerum, & verborum locupletiſſimo.

In quibus præter obſcuriſſimi Vatis mentem clariſſimam in lucem vocatam, & obſeruatas priorum expoſitorum, vel oſcitantias, vel allucinationes, omnigena reperitur eruditio, nedum ad grammaticam poeſim, & rhetoricam, ſed etiam ad philoſophiam, medicinam, Mathematicam, & Theologiam pertinens, cum penore narrationum tam mythicarum, quam hyſtoricarum ditiſſimo.

Eruta omnia ex antiquis, & probatis Authoribus Græcis pariter & Latinis, immo verbis eorumdem tradita, deſignatis locis, in quibus videri poſſint.

AVTHORE
Admod. Reu. Patre Fratre
HENRICO SCALESIO
A PIMONTE
Sacræ Theologiæ Magiſtro Ordinis Prædicatorum.

Di Gennaro Giannelli

Neap. Apud Carolum Porſile Reg. Typ. 1690.
Superiorum facultate.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.
DOMINO

D. FRANCISCO
MOLES

PARETENSI DVCI,

AC

A latere Catholicæ Maieſtatis
Regnum Neapolitanum
Regenti.

Fr. Henricus Scaleſius à Pimonte ex Ordine Prædicatorum.

DIù, Excellentiſs. Domine, diù pectus illa occupauerat cura, cuinam mea, quæcumque illa ſint, humaniora committerem ſtudia; haud enim in votis erat cuicumque tradere Mecenati, vel cui ſa-

tis eſſet à criticorum dentibus prohibere. Canem enim, hucuſque innotuerat, canem impetentem, morſus infigere, & ſuſtinere; Et quamuis exploratum erat, Zoilos in opere offenſuros ea, quæ dentibus lacinarent, ea quoque occurrenda noueram, quæ ſauciare valerent; Vnum hoc ſemper extitit in mente conſilium, à diuturnitatis tineis, à Saturni faucibus liberare; ideoque illum ſeligere in votis erat, à cuius immortali nomine eam poſſet æternitatem accipere, quam ex proprio deſperaret, vt quod ex Authoris calamo obſcurum geneſis ſortitum fuerat horóſcopum, illuſtriori patrocinantis Aſtri claritate niteſceret.

Operoſum id vtique; at non inde, quod, qua viuimus tempeſtate ea aſſeram nota inuſtam, qua æuum Diogenes cauſticauit, ſub Dio, & ipſa meridie obtrectans, Heroum namque feraciſſima tempora currimus: nec Parnaſum, nec arenas vmquam aut ingenia venuſtiora, aut Athletæ ſtrenuiores colere viſi ſunt: verum quia eum ſibi occurrere hominem

anhe-

anhelabat ſententia, cui ſatyras dicando, nō eum læderem, nec offerens ſatyrographum, dentatam dicendi aniam Archilochi ciuibus præbuiſſe viderer, aut me diſcerpere potius, quàm obſequi, maluiſſe. Id igitur cunctātem reddebat animum, meumque remorabatur conſilium: adhuc enim inter eximios ſpectatæ nobilitatis hominem trabeatæ familiæ, non minus ſuis litteris clarum, quàm ſuorum inclytum armis, dominatibus, magiſtratibuſque conſpicuum, intemerata iuſtitia eximium, ac morum amœnitate ſuauem, obuium habere, non facilè; Tales ad inſtar Phœnicis, non cuicumque conceduntur ætati.

Quū talia animo voluerem, menti haud ſanè, Excellentiſſime Domine, aberas, nec id Tua præclariſſima ſuſtinebat conditio, nec mea mihi permittebat addictio; Adhuc diſſimulāte oculo, lux exceſſiua conſpicitur, & non niſi volentibus, Atlas, Caucaſuſq; teguntur, In vno vtiquè Te, quæ in pluribus Heroibus diſpertita vix sūt, adunata conſpexeram; & vtique ille

agno cebaris, qui cunctis deſiderata, ſolus, numeris omnibus abſoluta, poſſideres.

Aliunde tamen emergebat cunctatio: illinc, Tua ſuggerebat ſublimitas, illinc ætatis noſtræ Ariſtidi, altiſſima Iuris prudentiæ conſilia occupanti, menti illi agitanti molem Imperij Catholici Regis, Intelligentiæ illi, aſſuetæ ſuprema Principum arcana diſcutere, ingeniorum Phœnici, eloquentiæ Numini, Prudentiæ oraculo, in quem dotes ſuas cunctas Pallas effudiſſe cognoſcitur, illi inquam, iuueniles tuos dicabis furores, & quę per otium, vel oſcitans, prima exercuiſti ætatę ſtudiola conſecrabis? Quid Oſſæ Pelioque, arenula? Palladi nè, Midæ fiſtulam offeres? irriſu excipiet, ſi non contemptu; & quem munere gratificari contendis, doni exiguitate irritatum habebis; Sic Tua excordatus magnitudine, alium quærendum decreuiſſem, niſi inuenire deſperarem. Perplexitate compeditus, fluctuabam animo, & ipſæ Tuæ dotes, quę ad dicandum ſtimulis vrgebant, ſua me ſublimitate procul arcebant.

Et

Et ſanè quidem, nam ni Tua hæc humanitas non obliteraret portenta, quale Tua conſilium ſublimitas non terreret? Traducem enim ſi ſpectes generis, quamuis à longe proſpicias, ſplendoris tamen excellentia aciem hebetat viſus. Sanguis namque ille Mendus de Rauſona primus in nomine, qui ab vtriuſque Heſperiæ Gothis Regibus propagatus. *teſtibus Roderigo Mendez de Silua en ſu Catalogo f. 31. n. 72. Comite D. Petro de Braceolos filio Regis Dionyſij Luſitani in ſuo nobiliario tit. 7. fol. 43. n. 1. & Gandara in Tractatu de armas, y triumphos de Galicia cap. 8. n. 5. fol. 63.* Oſtris, Trabeijs, Sceptris, Victorijs, Trophæis, Triumphis inclytus, ſublimis, illuſtris; quæ non extorquet obſequia? quos non opprimit maieſtate? Tota namque quanta eſt, Mendum illum Rachiſij Italiæ Regis fratrem, hiſtoria agnoſcit Hibera; verùm quamuis Rachiſius ortus ex Oſtrogothis illis, qui Aquiloni Romanam Aquilam faſces ſubmittere docuerunt, & Vrbem Orbis dominam iugum Boreale ſubire, cunctis tamen ſua virtute nobilior:

Mendus de Rauſona quoque haud il-
lo inferior; qui cum videret, Deſiderij
fraude, Rachiſium Regio eiectum
Solio, & Tyranni metu familiam diſ-
ſipatam, minimè Cœlo fractus ad-
uerſo; claſſem inſtruxit, vt familiæ
ſceptra, quæ, ſerui dolo, in Orientali
corruerant ora, in Occaſu vltimo
propria virtute reſtitueret. Contendit
itaque in Hiſpanias. At premere aſtra
non deſtitere, fœdere namque inito
cum aduerſo Cœlo, iniquum ęquor,
diſiecta claſſe, Oceani vi, Mendo gen-
tilitia Regna petēti, vix vita, Galliciæ-
que ſcopuli conceſſa fuere; Corpore
tamen iactatus, non animo, & per-
ferre didicit, quę ineluctabili fato-
rum ordine ſibi euenire cernebat;
Fortiter itaquè vir fortis aduerſan-
tium caſuum impetum tulit, qui licèt
Regna ſibi abſtulerint Auorum, Re-
gibus tamen ibi affinem effici non
vetuere. Gallæciæ igitur, Ouiedi, Le-
gionique inſitus ſanguini, ſi ipſe, po-
ſterique ſui, ſceptra geſtare non ſunt
viſi, meruiſſe comperti ſunt: ea namq;
munera obtinuere, ac principatus,
ex quibus, etiam ſi ipſi ſerta non
ge-

gererent, alienis ſaltem ceruicibus ſalua cuſtodirent, & eſto auream non tractarent virgam, tractantium nihilominus ſubſtinuerunt.

Gallęciæ itaque, Ouiedi, Legioniq; Regnantibus inſitus Mendo, Ærones. *Ærones ſic dicti à Caſtro vulgò de Eriz quod à fundamentis erexit Comes D. Ero Froilaz Comitis D. Mendi de Rauſona nepos iuxta Gandaram in tract. vbi ſup.* Guttieres, Sueros, Fiuelos, Fruilazos, ſexcentoſque alios Heroes, Mendeſios Comites omnes, Hiſpaniæ Cœlum produxit, orbem, veluti primæ magnitudinis ſidera, colluſtrantes. Hi verò Oſorijs, Zunicis, Guzmanis, alijsque iuncti, Mendeſij à Mendo cognomen retinuere, quouſque Mendi propago, nouorum ducta claritate facinorum, Mendeſij nomen permutauit in Moles, *Primus qui fuit dictus Moles legitur D. Ero Mendez de Moles, ob Caſtrum, cui nomen erat Moles, acquiſitum in bello contra Mauros. Gregor. de Argaiz in Tract. de la poblacion Eccleſiaſtica de Galicia.* Verùm quàm toti inuidenda antiquitati innouatio! Quæ vnquam conſtan-

tia hac mutatione præſtantior ? quæ hac modernitate ſublimior diuturnitas ? Veteranæ enim gloriæ hęc addidit claritatem, non abſtulit: & Gēs Mendeſia, hac variatione, poſtremos eſt adepta ſplendores, ſed priorem gloriam non amiſit. Signatis nanque, & ęternitati familię commiſſis faſtis, recentiora ſubſcripſit, & priſcorum acta geſtis iunioribus venuſtauit; Duo illa Martis fulmina Scipiades etſi rei geſtæ, ideam, heroicis geſtarent impreſſam pectoribus, haud tamen conſulare iam, & celeberrimæ gloriæ nomen Scipionis, inuidendo, ſunt dedignati, quinimmò, vt illud clarius redderent, à deuicta Africa, vel Aſia expugnata, Africani, atque Aſiatici illud cognominibus illuſtrius reddiderunt, atque ità Scipiadum gentis antiquiorem gloriam, palmis recentioribus decorauerunt; Mendeſijs non detraxit priſcis iunior Mendus, immò vt familiam, iam gloriæ adultam, nouo honoris genere redderet clariorem, à Moles, deuicta prius, indè ſtrenuè propugnata arce, Moles, quàm Mendes, dici maluit, vt antiquę

Men-

Mendeſiorum laureæ nouo Moleſi nomine vegetiores viderentur in poſterum,atque nouis ſplendoribus coruſcarent; Vtique vbique in Hiſpanijs Mendeſiorum ſudoribus irrigatæ adoleuerāt lauri,hoc tamen generoſo huic Mendo non fuit ſatis, indè curauit vt à ſe nouis geſtis velut innouatæ in MOLES gloriæ, noſcerentur. *Vt videre eſt apud Genealogiam hiſtoricam huius familiæ editam per eruditiſſimos Viros Vberte, & Londoño.*

Poſtera huius germina à natiuo Gallæciæ ſolo traducta, feliciùs Luſitaniæ, Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, Nauarræ, & Italiæ tandem oras petiere, vbique Heroes diſſeminando, vbique namque Regum ſanguini copulati, ſiuè arma, ſiuè conſilia ſpectes, cuncta pacis, & belli ſtudia, ſacra ſemper moderati fuere, atque prophana; vt non abſque admiratione familia agnoſceretur ad orbem regendum propagata. Et quidem (en gloriam vix alteri conceſſam ſanguini) primeuæ ſemper originis memores, noui homines Regalis gene-

ris

ris in cunctis edidere ſpecimina, vt, ſiuè arma gererent, ſiuè præſtarent conſilia, virtutem ſemper in bellis ſummam, incomparabili perpetuò in pace præcellerent prudentia, nec priſcos deſiderares in vltimis. Longè prorſus ab his, alienam inuadere gloriam, & non ſuis dotibus nominari, maiorum geſta, externa ducunt, ni proprijs ſocientur: ea, ſtimolos ſibi quiſque duxit, non laudem, niſi noua, & præclariora addere contigiſſet, vt degeneres proprio iudicio cenſerentur, & Antiquorum deturpaſſe magnalia, potiùs, quàm eorumdem ad ſe arceſſiſſent ſplendores. Maiorum vtique facinora ducunt inſpicienda, quæ memoria eſt ipſis flamma, ardorque virtutis, qui nequit compeſci, aut ſedari prius, quàm propria pręſentium virtus, priſcorum famæ adæquetur collata. Puderet enim ipſos (diceret Plinius) domum ingredi, Auorum tantùm faſcibus inclytam, tamquàm ſi exprobrarent tecta, imbellem hominem, in alienos irruentem triumphos. Quod de Nobilitate diſſerēti Caſſiodoro ſat fuit,

nem-

nẽ pe ne poſteri à maiorum nobilitate deficerent, ſi ſuorum felix vena cuſtodiat ſimilitudinem, cum pudeat delinquere, quia ſimilia nequit in ſuo genere reperire. Et hoc certum ducũt Moleſij: effugiſſe enim dedecus vtique arbitrantur, declinatis criminibus, ſi ea ſeruata cuſtodiant, quæ à maioribus acceperunt: at in his, quę ipſi familiæ non contulere, ſe laudabiles minimè noſcunt. Illud magis perpetuò exploratum habuere, quod acutius de nobilitate Stoicus ſenſerat Cordubenſis, Quamdiù non ſumus, natura nos regit, & in quemcumque caſum nos mittit: Hinc ſumus extimandi, cum ſumus noſtri.

Indè nullum gloriæ genus memorari contingit, cuius venuſtate Gens Moleſia non decoretur. Indè Famæ theatrum ingredi non conceſſum, quin illuſtria Moleſiorum cernantur facinora. Inde Muſæum gloriæ, ſacroque ſanctum Honoris Templum ſpectare negatum, abſque eo quod Moleſiorum cernantur argumenta. Nil in ea Familia non Regium, nil inuenitur non Auguſtum, ſiue tradu-

cem

cem ſpectes, ſiue connubia, mores
conſilia, bella, ædificia, dominia, pietatem, religionem, ſanctitatem. Originem à Regibus vidimus: Regum affinitates, quem fugiunt? Primus Mendus (à quo Moleſij) Alphonſi, antonomaſticè Caſti, neptem duxit vxorem. *Hanc fuiſſe D. Ioannam Romanes filiam Romani Comitis, qui fuit filius Fruelæ Regis, ac frater Alphonſi, cognomento Caſti, refert Comes D. Petrus in ſuo Nobilitario tit. 3. fol. 2. num. 4. & 8.* Mendum alium poſt aliquot ſæcula, vt familiæ indeficientes noſcantur perſeueraſſe ſplendores. *Comes D. Mendus Gōzalez ex vxore D. Maiore Nuñez inter alios filios habuit Eluiram, quam matrimonio iunxit Alphonſo V. Caſtellæ, & Legionis Regi, vt plures referunt hiſtorici, inter quos videri poteſt Hiſtoria Generalis Hiſpaniæ Ioānis Marianæ ann. 999. lib. 8. cap. 9. fol. 387. & Bernardi Iuſtiniani fol. 114. & ex eis Alphonſo nempe, & Eluira, cuncti Europæ Monarchæ proceſſere; quod comprobat P. Lōdoño in Catalogo Hiſtorico Moleſiæ Domus, & Vberte.* Eluiram ſuam

pri-

primogenitam filiam, Alphonſo V. Legionis Regi matrimonio copulauit. Cęteri verò familiæ eiuſdem, quamuis è Regijs thalamis ſibi ſponſas non elegerint, ijs tamen iūcti fuere Domibus, quæ non ſemel ſceptra tradiderunt Hiſpaniæ,& conceſſere coronas, Guzmanis, Zunicis, Oſorijs; & demum in Italia poſiti,& Neapoli inter Patricias allecti familias, Vrſino, atque Triuultio ſanguini copulati fuere, quo illuſtriorem, clarioremue penè non nouit Inſubria, nec tota citerior Sicilia. Hinc quamuis, ſi Moleſiorum geſta conſideres, incipiat eorum ſplendor videri incredibilis, ſi tamen illuſtriſſimum eo undem ſpectes ſanguinem, deſinit eſſe mirabilis. Fortes naſcuntur fortibus. Acta ſi euoluas, Gentem victorijs natam credes. Cuncta per ordinem referre, ingentia eſſet efformare volumina. Quis ea, quæ magnus ille Mendus contrà Mauros erexit, numerabit trophæa? Pro innumeris, illud vnum ſit, quod ſub Alphōſi Ducatu, *vt tradunt Comes D. Petrus de Braceolos in Tract. vbi ſup. f. 43. n. 1. & Marchio de*

Mon-

Montebello in notis ad dictum Tracta-tum. fol. 521. fudit cohortes Saracenorum tumeſcentium ob victoriam, relatam, & iam Orbi Chriſtiano necem, aut vincula promittentium, ipſe ex Pęana canentibus, plures fato cōmiſit, perpaucos reliquos propria deplorare coegit infortunia. En Froilazi, ſi valeat, quiſq; victorias recēſeat, quē inter illos eximios nouimus Duces, qui Coymbriā, Barbarorum diſiectis copijs, Alcorano ereptam, Euangelio reddidere. *Gandara cap.* 12. *fol.* 49. *n.* 10. At Mendi illius geſta, qui Mendeſium cognomen vertit in Moles, ſola, nonne virtutis impleat militaris Muſęum? Quid alia recolo? Illud enarrare ſat erit, quod munitiſſimam Molis arcem, ingenti Maurorum ſtipatam præſidio, Barbarorum eluſis viribus, iaculiſque retuſis, nedum ab infidelium tyrannide recuperauit, ſed & ab accurrentibus innumerabilibus hoſtium copijs, ingenti eorum edita ſtrage, ſtrenuè propugnauit. Vel millies Mendus Quartus inuincibile pectus contrà Agarenos, Luſitaniæ Regno propugnaculum erexit, & debel-

latis

latis hoſtibus, vulnerum ſanguine Regi ſuo purpuram tinxit, Vlyſsiponemque vtrique Regi, Chriſto, & Alphonſo, retulit triumphantem. *Gregor. Argaiz in Hiſtoria Eccleſiaſtica Generali Gallæciæ.* At quid vetera memorem, quando propinquiora, & clariora ſe offerunt? Itali, Itali Moles, qui huc in Martis ſe exercuere palæſtra, quæ penes nos non edidere virtutis argumenta? quæ non erexere bellicæ præſtantiæ monumenta? Solus Gabriel Moles, bello Senenſi ea expleuit, quę virtus militaris quanta quanta eſt, exigere videtur. In hoc Duce Sociatum ſtrenuitati cõſilium: conſilium prudentia ductum: prudentia ſemper felicitati coniuncta. Indus lectiſſimus belli Dux captus, victoriam illi expediuit contrà Monticulum, Montemque Fullonicum, ſic ſub Garſia, Etruſca in expeditione ſe geſſit. At quid in Auſonia? Ferdinandus Toletus, Imperatorum ſui æui facilè princeps, difficilè duxit ea bella, abſque Gabrielis gladio, ſine Gabrielis expedire conſilio: inde quem nouerat triumphantem in Etruria effeciſſe filium,

lium, commilitonem pater ipſe expe-
tiuit in Latio. Sed qua ſorte? ea ſanè;
qua narrat Alexander Andreas ſuis
voluminibus, ad ſidera vſque illum,
extollens. Latino tandem Marte ſo-
pito, Gabrielis animum haud qua-
quam pacis otia receperunt, neque
id ei permiſere, ſiuè belligerum pe-
ctus, ſiuè virtus toties inuincibilis
experta. Belgium tunc Martis lycæū
victorem animum traxit, & Albæ
Dux iterum Comitem concupiuit.
Victorias tamen abſtulit inopinata
concordia, vel ſubtraxit fortuna in-
uidens gloriæ Gabrielis: nam illi, cui
mars anima, pacis initium vitæ ter-
minus fuit, & quem tot bella è viuis
tollere nequiuere, pacis otia pere-
merunt.

Copijs, Principibus, Imperatori-
bus deſideratus eſt Gabriel, at gloria
non defecit Moleſijs, in Marco Anto-
nio Quarto Tari Domino rediuiua,
immo numquam occidua. Auorum
hic ceras, laureis viridioribus coro-
nauit: auſpicaciùs enim huic, quàm
Triumuiro, nomen, fata dedere. Vbi
namque Heros ille defecit inglorius,
hic

hic euaſit illuſtrior: & vbi priſcus minus Imperator apparuit, hic Nouus ſtrenui militis, ac peritiſsimi Ducis encomia ſibi comparauit. Nec ea recolo, quæ in Pignonis geſſit expugnatione, quæue ipſa barbarica adorauit audacia; nec ea, quæ Melitenſi expeditione inter auxiliarios aduerſus Dragutem; ſuis tam conſilio, quã opere patrata ſunt. Sed ea tantùm commemorare eſt animus, quæ Actiaco in ſinu, iuxtà Enchinadas, Chriſtiana claſſis ſumma cum admiratione conſpexit. Ibi namque, ſicut Columnenſis Romanus Imperator, Marci Antonij nomen oſtendit non imbelle, vel effœminatum, vt ille Triumuir, ita Moleſius iſte illud reddidit cũctis ſeculis triumphale; Tunc enim, inuerſo rerum ordine, Tracia Luna haud in Oceano, ſed in Ionio pelago, inuenit occaſum, Auſtriaco Sole Chriſtianam claſſem adiuuante; Tunc Heros iſte Moleſius, cernens ex ſua triremi, Sancti Victoriani ratem orbatam duce, ingenti barbarorum numero grauem, qui, trucidatis fidelibus militibus, ideoque Marte ſecundo

cundo

cundo elati, carinam Thracio deſtinabant triumpho, Chriſtiana virtute, & gentilitio actus ſtimulo, paucis fretus Commilitonibus, ad illam generosè accurrit, ipſam viriliter aggreditur, intrepidè conſcendit, & feliciter expugnat, & quæ barbarico trophæo ſpolium deſtinabatur, Romanum in Capitolium triumphatrix adducitur. Proh facinus cunctis ſeculis nedum admirandum, ſed & ſtupendum! quando huic conceſſum non ſolùm vincere, verùm & ſortes inuertere, ac fata reuoluere; barbaros namque hoſtes iam victores, & Io pęam cantantes, catenis addixit; & qui captiuitatem miſeri deplorabant, eam cum triumphalibus honoribus cōmutauerunt. Euge homines, quibus nec ipſi pelagi fluctus infœcundi palmarum, nec ſterileſcere comperiuntur arenæ, quibus elementi inconſtantia firmat honores, qui & ab ipſa Ponti ſalſugine colligũt lauros, & ab elementi inſania ſanè ſibi gloriam parant. At ſatis armis conceſsimus; Si enim cuncta narrare deberem, cum Tullio dicendum erit,

Tem-

Tempus, Hercle, citiùs, quam oratio, defuturum. Quid ergo tot, tantaque Tuorum acta referre, vnica ſententia omnia abſoluam: A primo Mendo, vſque ad Annibalem fratrem, nullum Comperies, qui antiquorum contentus geſtis, nihil militaris ſplendoris generi contulerit: & hic ipſe Annibal frater tuus, Pęno præſtantior, quæ, vel qualia in Methonis obſidione nō edidit virtutis facinora? erexit ſe ſupra vires, ſuprà ętatem. Fideles obſtupuere phalangæ, dùm cernerent, in annorum acerbitate, maturitatem conſilij, & in ætatis teneritudine robur Alcidis: ſi in deliberando ſe oſtēdit prudentiſsimum, promptior fuit in exequendo: Et quæ cordatè in illo bellico Senatu decreuerat, viriliter operabatur in acie: Sic vnà Ducis, & militis munera complens, vt hoſtes illi ſe in deditionem concedere, partem felicitatis ducerēt; Nec eo minorem ſe exhibere ſpondet Didaci filij tui præclara indoles, qui poſtergatas ſuis natalibus conuenientes illuſtriſſimas Sponſas, militiæ nomen dare voluit, & Equitibus Præfectus, ſuo-

rum

rum Auorum triumphos renouare
iam pergit.

Verùm non vnam tibi, tuiſque, ad gloriam properandi aperuere fata, nec amica dederunt Numina viam; quacumque ad virtutem pergitur, quacumque ad laudem ſternitur iter, ingreſsi ſunt; Quamuis cæteros, numquam Moleſios, mordaci ſuo ſarcaſmo punget Eraſmus. Armis ad gloriam homines peruenire, ad ſuum ipſe libitum neget; ridiculum etiam, & intolerabile putet, quod homines illi ſanguinarij, qui in bellis carnificem egerunt, Heroes, & Semidei habeātur, tamquam inglorium quid eſſet, & à virtute alienum, ad Patriam ſeruandam incolumen, ad hoſtium impetus coercendos, ſuſtinendamq; pietatem, generoſos homines vitæ periculo ſe exponere, ſanguinem è venis fundere, & inuicto pectore pro Patria, Ciuibus, & Religione pugnare. Verùm Cynocephalum contrà Lunam latrare ſinamus; qui ſi illos laude dignos, glorioſoſque agnoſcit, qui animi dotibus litteriſque, generi hominum profuere, has dotes Mo-

le-

leſiorumque ſplendori, nec maligni-
tas ibit inficias, quando eorum pru-
dentiæ, ſagacitati, ac litteris, Europę
pars maxima, iuſtitiam, tranquilli-
litatem & pacis otia debere, atque
debuiſſe cenſemus. Fortè hic apertiſ-
ſimas Galleciæ, Luſitaniæ, Caſtellæ,
Legionis, Nauarrę, Aragoniæ, vel
Italiæ, referre hiſtorias cogar? Vul-
gatæ ſunt. Ex Mendo, Ramiro, Petro,
Hiſpaniarum populos aurea exper-
tos fuiſſe ſæcula compertum eſt. *Vt
videre eſt latiſſimè apud Vbertc, & Lõ-
doño citatos*. Res igitur notiſſimas,
ſed Harpocrati non committendas,
prudens prætereo. At ſe reticeri ma-
gnus ille Ioannes non ſuſtinet, qui to-
ties Iberos, Italoſque compoſuit diſ-
ſidẽtes, & ad animorum reſtituit vni-
tatem. Teneram hunc ad huc ætatem
agẽtem, multis è ſenioribus poſtha-
bitis candidatis, Cameræ Clericatui
præfecit Pontifex, & quamuis anno-
rum acerbitatem ore præferret, ſo-
lerti tamen Paſtori, eius prudentiæ
explorata maturitas, qua impulſus,
eum ad Alphonſum, ſagaciſſimum
Aragonum Regem, Legatum deſtina-

 uit.

quum & Ioannes Nauarræ Princeps, iuuenis ſolertiam admiratus, nulli, præterquam huic, ſuæ mentis, arcana ſummi momenti, auſus committere. *Quę cõſtant ex Zurita lib. 20. Annal. fol. 311. tom. 4. relato à Londoño, & Vberte*. Ad Pium II. ad Henricum, Caſtellę, ad Ferdinandum Neapolitanorum Reges, clariſſima iterum Legatione remiſſus, re ſumma felicitate vix confecta, homo ad componenda difficilia natus, à Ferdinando denuò ad Siſtum IV. dirigitur, & à Catholico Monarcha Gerundæ, Epiſcopus deſignatur, ſed non abſque eo, vt apud Summum Pontificem, Regem Neapolitanum, alioſque Italiæ Principes, pro pace ſarcienda, legatione fungeretur. Et quid viri huius dexteritati, & Regnantium moribus aſſueti, inſuperabile vnquam fuit? Diſſidiorum pulſis ſeminibus, bellorum depreſſis irritamentis, accenſum in Orbe Catholico incẽdium, facili extinxit negotio, & Italicos, Iberoſque Principes, ſerenitate donauit; ob quæ merita inter purpuratos

tos

tos fuit adſcriptus. *De Cardinali Io: Moles à Margharitis agunt Alphonſ. Ciaccon. in Vitis Pontificum, & Cardinalium, & Bonuin. in hiſtor. Pontif. et. Cardinal.* Sed quādò vnquam œſtrum præſtantiori creditum homini? Senatus ille, qui è ſacrorum conſtat Principibus, qualem vnquam huic ſimilem habuit Alcidem, qui Apoſtolico Atlanti robuſtiores locaret humeros ad diuina onera ſuſtinenda? Hæc auguſto Moleſiorum Sanguini purpura deſiderabatur, vt Regali, à qua originem traxerat, Eccleſiaſtica iungeretur, & in Solio, in Acie, in Ara, familia purpurata ſemper ſpectaretur. Verùm priſca iſta ſileant, & quæ cernimus iam loquamur.

Quæ Muſarum ornamēta doctam iactaſſe Græciam legimus, quos populorum felicitati vacaſſe nouimus homines, quibus Tuam, & Franciſci fratris, Nolani Præſulis, exornatum non agnoſcamus ingenium, quibuſue vos iuuandi ſtudio non antecellātis? Quidquid Hippocrenes, Heliconæque commercium valet vnquam conferre mentibus, omne rapuiſtis,

nec tantùm ad animi oblectationem, ſed ad proximorum quoque vtilitatē. Ita è Tribunali Tu noxios fulminibus impetis, è ſacro ille ſugeſtu tonat in vitia. Æquitate Tu in populos aurea ſecula reuocaſti; eloquio ille ad beatitudinem eoſdem dirigere non ceſſat. Tu corpora, animas ille, régitis. Tu in terris, Cœleſtem ille felicitatem paratis. Innouas Tu Atauos adminiſtratione iuſtitiæ, Conſilij prudentia, agendorum dexteritate: ille Eri Legionenſis Epiſcopi pietatem, Roſendi Dumiacenſis Prę́ſulis Sanctitatem, & Siſnandi Compoſtellani Antiſtitis renouat fortitudinem. Vterque priſcorum præclaras animi dotes imitamini, Vterque apertè profitemini gloriam inter homines veram non eſſe, quæ inter cœlites locum nō habeat, & eadem eſſe hic nobilitatis inſignia, quæ ſuos candidatos illuc tranſmittat. Inde vt hic Heroum, ita illic Diuorum, *Vt latius patet ex Catalogo Hiſtorico, & Genealogico huius Domus, nuper elaberato, à Londoño, & Vberte*, ex Tuis Colonias numeramus, Rachiſium, Roſendum,

Ta-

Taſiam, Retrudem, Epiphaniam, Aldanam, quorum Terra venerando memoriam recolit, & Cęlum, Beatorum ſignat in albo,quos Mundus celſis effert encomijs, & Empyreum Sanctorum faſtis adſcribit. Et quidē meritò, nam quocumque ſe vertant homines, Moleſiorum pietatis obuia fiunt argumenta: Regale illud Papienſe venationum Cęnobium, nonne Tuorum Religionis eſt opus? Riuerenſe, Gandarenſe, Coirenſe, & Carthaginenſe Monaſteria, nonne Eri, Froilazi, Gonzali, aliorumque Tuorum pietas erexit? ditauit munificentia? In his, opus ſi inſpicias, Religionem agnoſcis: Si Cenſus, generoſam animi magnitudinem: Si Rachiſium è ſceptro ad cucullam tranſiſſe conſideras, & Reſendum ab infulis iterum ad monaſticam obedientiam, generoſitatem ſuprà omnem habebis animum, & Chriſtianę humilitatis exempla, vltrà humanas conditiones exhibita.

Sed vereor, ne modeſtiæ Tuę ſimul, & virtutibus, querimoniæ anſam miniſtrem, illa enim in faciem laudari

non ſuſtinet, & hæ offenduntur audientes alienas, tamquam ſi deeſſent propriæ. At quæſo, num Tua Tibi referrem, & ab his pudor non refugeret modeſtiſſimus? Tuorum igitur: quæ non cernuntur, alijs, non Tibi, præclara retuli, Tua autem præſentibus referre abſtineo, nē ea cōſpiciant. Valent enim Tua vtcumque concipi, ſed non expendi, & ipſe, illa, orando, extenuatione damnarem, non extollerem. A Tuis igitur abſtineo, nam pudet me, vel modeſtiam torquere Tuam, vel fortitudinem exercere. Non ſuſtinet vera virtus quæcumque encomia, quæ tamen exigit; immò & ipſe conuicia non effugerem quaſi palpo forē, etiam ſi minus, quā iuſtè referrem. Sed etiam ſi vellē, & Tuipſe permitteres, quid tandem recolere poſſem? Quis animi Tui intimos theſauros ſe conſpexiſſe iactabit? Qui vix è veſtibulo ſalutati, pertrahunt in ſtuporem? Intellectuales conſiderem? At cuius generis Muſarum ornamenta nouimus, quorum Tibi ſuprema non pateant? quorum Tu profundiſſima non calleas myſteria? Eloquen-

tia, Legum peritia, Medicina, Mathematica, Phyſica, Tui minores dotes numerantur ingenij. Politica, ęquitas, affabilitas, agendorum dexteritas, Tuæ ciuilis prudentiæ decora ſunt, haud maiora. Theologiam, & Diuinæ Paginæ eloquia, tanta, temporibus, locis, perſonis, & materijs, adhibita opportunitate, profundis, vt, oſtentatione proſcripta, audientium mentes, ſtupore ſuſpēdas Quid morales, illæ ſcilicet, quæ ſimpliciter bonum reddunt habentem? Ex ijs vnus noſceris, quibus iraſcitur ſatyra, impotens ſuis dentibus eos lacerare. Ipſi, qui Tuam experimur iuſtitiam, ſi Te ante Ariſtidem non ponimus; poſt certè non locamus: iuſtum Te eſſe habemus, & iuſtitiæ tenaciſſimum, quàm inimitabili ſuſtines conſtantia, & inuincibili fortitudine tueris? Aliud forſan, quàm moderationem, ac temperantiam ſapiunt Tuā? A quo excederis pietàte? quis vnquam Religione Te ſuperauit? Sanè nullus. Tu non loqueris, ſed facta Te produnt. & quæ tegere niteris, Cœlum detegit. Si pauperibus dicen-

di daretur copia, quæ Tuæ non audirentur miſericordiæ opera? nullum à te egreditur opus, quod Ieſum Chriſtum non ſonet, quod non redoleat Euangelium. O quàm benè in Te, ſupremo magiſtratui iuncta Religio! pietas enim in Te chriſtiana miniſtrat, & miniſterium ità diuinæ adſtringitur charitati, vt Regentem ſimul agas, & Epiſcopum. Quid igitur mirum, ſi, vt loquitur Caſſiodorus, Tibi faſces ex faſcibus nati ſunt? non enim è veſtigio ad ſuprema, vel Principum cura, vel auri euectus pondere, aſcendiſti: illos potius internumeraris, qui magiſtratus, magiſtratibus, vt Traiano ſuo dixerat Plinius, & honore honores adepti ſunt, populorum potius acclamatione, quā electionis ſuffragio inſtitutus: quandoque enim, vt Tacitus ſcribit, eligit fama: hæc enim ex optimè peractis leuioribus, viam Tibi ad ſubliniora apud Principes muniuit. Sic olim Senatum Caſſiodorus monuit: Dignitas P. C. dum ad incognitum venit, donum eſt: compenſatio meritorum, quū ad expertum. Nonne Tu optimè in

in minimis notus, quũ euehebaris ad maxima? Immo, vt creſcere virtutes ſolent, ad prȩconij faſtigium conſcẽdiſti gradibus dignitatum, & toties Principi gratior innotuiſti, quoties nouos es adeptus honores.

Fateor me Tuam defatigaſſe Patientiam: ſed in cauſa Tuam appello iuſtitiam, quur ipſe moleſtiæ inſimulor, quum potius Tua ſit accuſanda præſtantia, quæ perorare volenti, noua dicenda, ſuggerit atque celſiora? Aut igitur deſinas laudabiliter operari, aut auribus aſſueſcere Tua audire prȩconia. Et ex iam dictis ſaltem liceat Tibi Tuam agnoſcere magnitudinem, & meam, in munuſculo offerendo, non irrationabilem cunctationem. Homini namque, Regali origine, Regijs affinitatibus, dominijs, clamydibus, victorijs, trophæis, coronis, laureis, triumphis, infulis, thiaris, litteris, virtutibuſque, ornatiſſimo, tenuiſſimum quid offerre, pygmæorum videbatur ocreas aptare Coloſſo, & munuſculi inſolentia veluti ranis vina parare, vel potius Veneri ſordidam immolare ſuem:

Menti namque Diuinis aſſuetæ, hæc humaniora ſordeſcunt, & qui ſupremis Cœli, Terræque Principum ſecretis aſſiduè vacat, ea, vel leui inſpicere dedignatur obtutu; Sic igitur nimia Tua abſterritus luce, nec offerre audebam, nec alium quærebam, cui dicarem. Perturbato ſic animo opportuna adfuit ſuggeſtio. Quid cunctaris inquiens? exceſſiua ne terreris præſtantia? Age, maiorem experieris humanitatem. Tenuitas te, munuſculi abducit? ne accipientis contemnas generoſitatem: & Cyrus aquam de vola manus agricolæ, non fuit bibere dedignatus. A Tuo ducis ſtudio alienum? Et cuius generis litteræ ſunt illi alienæ? Perge, nam in eis numeratur, quorũ animus à nullo magis vitio elongatur, quàm ab elationis ſupercilio, & inter eos adſcribitur, quibus ſic eſt humilitas glorioſa, quemadmodum in mediocribus odioſa iactantia. Eia, num fortè Tibi ſuperbilioſus erit, qui nō modò videri aſſiduè patitur, ſed & ſuſtinet audire: quiue è proximo ſemper ſupplicum excipit vota,

&

& tunc impenſè gaudere cernitur, quum adeuntium deſiderio ſatis eſſe factũ comperit. Quur ergo Tu illi addictiſſimus de tanta diffidis humanitate? Eia ingenia ſublimiora ex minimis concipiunt maxima: haud donato paria, ſed donanti proportionata, illiuſque meliora exiguntur.

Nec quæ de parua pauper Dijs libat acerra
Thura, minus, grandi, quam data lance valent.

Duo minuta viduæ, præ diuitum aureis Deo comperta legimus gratiora. Hæc ſuggeſta, animum reddidere, & vt hæc Tibi dicarem ſtudiola, ſuaſerunt. Quæcumque ſint, gratanter accipe, munerum animus, & ſi non cenſus, optimus: & meus Tibi addictiſſimus vtique offerre cuperet meliora. Excipe tamen, vt quæ meo ſunt exigua calamo, Tuo fiant maxima patrocinio. Vale.

CANDIDO LECTORI.

Commentaria hæc in Auli Perſij Satyras, caſus excudit. Quũ enim multis ab hinc annis, Sueſſæ, philoſophiam nonnullis ſtudioſis traderem adoleſcentibus, incidi in nudum harum Satyrarum textum, illumque, horis ſubſeciuis, iiſdem et aliis eruditis audientibus legere cępi, mirarique dictionis altitudinem, cum pondere ſententiarum. Sed aduertens illos non magnopere affici, rogaui, quur ita accideret? At illi: Eo quod lecta minimè intellectu percipimus. Quapropter quum eis ſenſum eorum aperuiſſem, quæ lecta fuerant, et deinceps placitam proſequerer lectionem, & nec hanc illi intelligerent, tandem peruicerunt, vt notas aliquas ſcriberem, quibus mens poetæ, verba & figuræ illorum aperirentur. Ex quibus nõnulli ſe profeciſſe dixerũt. Hinc quum eorumdem adoleſcentum

vnus

vnus Romam profectus, ſermones miſceret cum quodam gymnaſiarcha, ex illo hominum genere, qui ſe ſolos omnium diſciplinarum eruditos, vel credunt, vel volunt aliјs perſuaſum, de poetis loquentes, Perſiј mentio facta eſt, de quo Romanus gymnaſiarcha: Is, inquit, omninò Scotinus eſt, & quia ipſe intelligi noluit, nemo eſt vnquam illius intelligentiam aſſecutus. Ad hæc Sueſſanus: Quomodo inintelligibilis, ſi eſt Sueſſæ lector Dominicanus, illius ſenſum planum faciens, vt pluries ſum expertus? Subridens gymnaſiarcha, ſubdit: Dominicani, politiores, humanioreſque has litteras nullatenus attigerunt, vt mirum valde ſit, ſi quemquam ex illis inuenias, qui congruentem exculpere valeat ſenſum ex quopiam veterum poetarum, nedum ex Perſio omnium difficillimo. Impoſuit ergo vobis bonus cucullatus, aſſerens eam eſſe Perſiј intelligentiam, quæ non erat. Redux Sueſſanus, retulit verba gymnaſiarchæ: indeque ingens me inuaſit cupido experiendi, num ego, qui Dominicanorum ſum minimus, & propterea minus idoneus tractandis ſublimioribus diſciplinis, in quibus mei

com.

commilitones, & deſudarunt, & glorioſè coruſcant, aliquid valerem, ſaltem in his puerilibus, in quibus Solipſi, Omniſciorum nomen habere volunt. Scripſi ergo litteralem harum Satyrarum explanationem. Sed quia Sueſſæ, ob librorum inopiam, meos ſenſus nullis aliorũ firmaueram teſtimonijs, Neapolim reuerſus, nactuſque librorum copiam, operi manus denuò apponere cogitabã: verum gelidam ſuperfudit is, cui conſcientiam commiſeram dirigendam, affirmans dedecere Dominicanum, ſatyras exponere, vel grammaticalia tractare. Sic opus omiſſum, latuit ſpatio trium luſtrorum, & amplius, quouſque Eminentiſsimus Cardinalis Raymundus Capiſucchus, dum Sacri Palatij Magiſtrum ageret, ad opus perficiendum animauit, eo argumento, quod non ſit indignum, ſi Prædicatorum Religio, alumnos habens in omni ferè diſciplinarum genere clariſſimos, etiam in hoc humiliori ſcribendi charactere, noſceretur. Sic perſuaſus, calamum reaſſumpſi, & ſpatio menſium, plus minus quatuordecim Commentaria hæc concinnaui, in quibus, vt omnium palato, iuxta

meas

meas vires, ſatisfacerem, præter poetæ mentem in lucem vocatā ex ipſius verbis, & eorumdem contextū: iuxta quod Author, vel expoſitores alij anſam dederunt, plura tractantur nedum ad grammaticam, & originationes verborum, poeſim, & rhetoricam pertinentia, ſed etiam multa medica, nonnulla mathematica, plura ethica, vel phyſica, Theologica etiam, & quidem Theologiæ tam ſcholaſticæ, quam moralis, myſticæ, atque dogmaticæ, multo plura. Additum etiam penu copioſum narrationum tam mythicarum, quam hiſtoricarum: eruta omnia ex fontibus tam ſacris, quam prophanis, Græcis pariter, atque Latinis, &, ad genium eruditorum, loca ipſa deſignantur, ac quaſi digito demonſtrantur, vt cum Iuuenale Satyra 1. verſu 94. dicere poſſim:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.

Sed quum opus iam abſolutum, præli lucem præſtolaretur, rei familiaris inopia, ſexennes tenebras pati coegit, nullum inueniens (quamuis multos adiret) qui

ui ſe exciperet, Mecenatem. Tandemq; iffractis vtcumque his repagulis, dum auis ad deſtinatum anhelat portum, Typographi oſcitantia, nauſeabundam er biennium experitur malaciam, & ectbypis innumerabiles penè mendæ pparere cęperunt: quarum pars maior & notabilior, expurgata fuit; alia, vel uod in characterum formis exeſis, & ſu ſemiconſumptis, non appareret, vel uod facilè à lectoribus ſenſus depre-enderetur, relicta, vel relata inter orrigenda. Ad eamdem Typographi. eruicacem, & indomabilem oſcitantiã eferri velim, quod ſignata, vt cudenda ub vna characterum forma, ſub alia prodeant, & quod initia textuum (in quos has ſatyras primus diſtinxi) vt ſatyrarum principia ederentur. Tu verò Candide lector, ſi quidquam in his offenderis Commentarijs ethnicam ſuperſtitionem, vel Gentilitatem ſapiens, memento, me, Ethnicum explicandum, non impugnandum aſſumpſiſſe, & Ethnicorum, vt plurimum vti teſtimonijs, nec ſemper vacaſſe impiè, peruersè, vel perperam ab eis dicta, refellere. Cæterum ſcito me Catholicum, & Eccleſiæ Roma-

næ

næ filium, Prædicatorumque familiæ alumnum, à fide Catholica Romana ne latum quidem vnguem diſſentire: quinimmo paratum, & in votis habere, pro confeſſione cuiuſcumque veritatis eiuſdem Fidei Catholicæ Romanæ, totum profundere ſanguinem. Qua proteſtatione facta, Tu amice; & candide lector, Opus tot infortunia paſſum recipiens, benigno refoue ſinu, præſtolareq; maiora, vita & ſanitate comitibus. Vale.



AD-

ADMODVM REV. PATRI,
& Domino ſingulari

P. MAGISTRO HENRICO SCALESIO A PIMONTE

Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctori; Atque Supremi Sancti Officij Tribunalis Conſultori, &c.

Andreæ Zucchi Parthenopæi I.C. xenium.

PATER HENRICVS SCALESIVS.

Anagramma puriſſimum litterale.

A. PERSIVS EN EST HIC CLARVS.

Abſcondit ſublimi mentem in uertice Flaccus,
Scaleſij *aſcenſum iam unica ſcala dicat.*
Obſcurus ſcholijs quodã Aulus PERSIVS*, anceps,*
EN EST HIC CLARV., non dubiuſq; ſatis.

Nos

Nos Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologię Profeſſor, ac totius Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſeruus.

CVm vti nobis exponitur R. A. P. Magiſter Fr. Henricus de Piemōte Prouinciæ noſtrę Regni, opus cui titulus *Commentaria ſuper Satyras Perſij* compoſuerit, illudque pręlo ſubijcere deſideret; Nos harum ſerie noſtrique officij auctoritate quantum in nobis eſt, & ſeruatis aliàs ſeruandis Paternè indulgemus, dummodò ab Adm. RR. PP. Magiſtris Fr. Vincentio de Magiſtris, & Fr. Gregorio Angelone de Optatis præfatę noſtrę Prouinciæ luce dignum iudicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conuentu noſtro S. Marię ſuper Mineruam die 12. Iunij 1688.

Fr. Antoninus Cloche

Mag. Ordinis.

Reg fol. 9.

F. Ignatius de Queſſada Magiſter Prouincialis Sanctę Crucis.

RE-

Obſcurum Perſium, illuſtratum cernere, iuſſu tuo, noſtrum fecimus. Immorari coegit eruditio, in eo quod Auctoris probitas expeditius permittebat excurrere, ſuauiter le ctitare coacti, quod conſilium vorare decreuerat. Haud mirum illud, quod nil minus pium in tanta rerum non offenderet varietate: verum quod cuncta, amœnitate quadam, ingenia inſtruant; hoc mirabile. Cedro dignum opus, nedum communi prælo cenſendum. Si tuæ arridet benignitati, Litterariç rei bono, Publici Iuris exigit fieri. Tu interim Religioni non minus, quam tibi. Vale.

P. V. Reuerendiſs.

Ter humiles, ter deuoti, terq; quaterque
Oblig. Serui

Fr. Vincentius de Magiſtris.
Fr. Gregorius Angeloni de Optato Mag.

Con-

Commentaria in Satyras Auli Perſij Flacci, per R.P.S.T. Magiſtrũ Fratrem Henricum Scaleſium à Pimonte Ordinis Prædicatorum, elaborata.

Dominus Canonicus Matina videat, & referat in ſcriptis hac die 27. Septembris 1688.

Sebaſtianus Periſſius Vic. Gen.

REVERENDISS. DOMINE.

COmmentaria in Auli Perſij Satyras à Reu. P. Henrico Scaleſio O. P. elaborata, te Reuerendiſſ. Domino iubente, lecta à me, ac recenſita fuerunt, quæ cum omnigenę eruditionis floribus, variæque doctrinæ fructibus referta Lectoribus exhibeantur, nõ Commentariorum, ſed veteris Saturæ mereri nomen videntur, atque vt ſacrum ferculum digna hæc Commentaria cenſeo, vt viris inter ſapientes enumeratis offerantur. Etenim ſi Perſium improborum ſui temporis morum inſectatorem, quamuis aliquantulum tenebroſum, doctiſſimi hominum inter egregios Vates adſcripſere; optimo ergo iure nitidiſſimus Commentator, qui ab eius poeſi potuit nebulas diſcutere, ac probos etiam quandoq; inſerere mores, diutina pręlii luce digniſſimus eſt putandus. Hæc eſt mea ſententia, quam prudentiſſimę tuæ Reuerendiſſime Domine, de-

deuotus ſubmitto . Neap. ex Olympiani
Ædibus noſtris à terremotu , & alluuione
quaſſatis. Die 1 Decembris 1688.

Addictiſſimus Seruus
Canonicus Antonius Matini.

Imprimatur. Hac die 11.*Decembris* 1688.

Sebaſtianus Periſsius Vic.Gen.

ECCELLENTISS. SIGNORE.

CArlo Porſile Stampatore, ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera ſtampare vn libro intitolato: li Commentarij ſopra le Satire di Perſio, compoſto dal P. Maeſtro Errico di Piemonte de' Padri Domenicani, che però ricorre da V.E. e la ſupplica concederli la licenza, e l'hauerà à gratia, vt Deus, &c.

Reu. Pater D. Franciſcus Maria de Aſti videat, & in ſcriptis referat.

Carillo Reg. Moles Reg.
Miroballus Reg. Iacca Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 26.*Nouemb.* 1688.

Athanaſius.

EX

EXCELLENTISS. DOMINE.

Ex mandato Excellentiæ Veſtræ Commẽtaria in Perſij Satyras, à R.P.F.Henrico Scaleſio de Pimonte Ordinis Prędic. omnigena eruditione, variaque doctrina referta, attentè perlegi: & cum Regię iuriſdictioni, politicoq; Regimini non aduerſentur, ad ſapientum vtilitatem prælo ęternitati cenſeo dari poſsè. Datum in Ædibus Sanctę Mariæ Lauretanę quintodecimo Kalend. Ianuarij 1688.

Excell. Tuę

Addictiſſimus Seruus
D.Franciſcus Maria de Aſte ex Cler. Reg.
Regij Collateralis Theologus.

Viſa ſupraſcripta relatione imprimatur. Verum in publicatione ſeruetur Regia Pragmat.

Carillo Reg. Soria Reg.
Gaeta Reg. Moles Reg.
Miroballus Reg. Iacca Reg.

Prouiſum per S.E.Neap. die 9.Ianuarij 1691.

Anaſtaſius.

INDEX

INDEX
RERVM,
Atque Verborum.

Prior numerus partem ſeu tomum, ſequens folium eiuſdem partis indicabit.

ABACVS quid ſit, & quot res eo nomine importentur. 1.443
Abdomini ſeruientes, ingenio ſunt hebetiori. 1.240
Abido, & Seſtus vbi ſint, & quæ nunc earum nomina. 3.49
Abripere, vnde, & quid ſit. 3.485
Abrodere viuos, & crudos vngues, quid ſit. 3 490.
Abſens, poteſt alterius conſcientiam dirigere. 3.73
Abſtinens à peccando metu pęnæ, animo peccat. 3.437
Abſtinentia, quàm ſit vtilis ad ſanitatem. 2.498.
Abſtinentia, vt ſit virtus, eleemoſynę iungatur. 3.843

c Aca-

Academici, an,& in quo differant à Peripateticis. 2.46

Acca Larentia,& Larẽtalia,quæ forẽt.3.546.

Accedere ad eam cum qua peccauit, nemo debet. 3.516

Accedere, quid ſit. 3.832

Accedere,ſumi pro aſſentiri. 1.81

Accerſire, & arceſſire, vnde, & quid ſint. 2.129.

Accij quot fuerint, & de quo Perſius loquatur. 1.213

Accius, & Pacuuius, quales fuerint in Tragœdijs. 1.31

Accius Labeo,ad acuendum ingenium, veratrum bibit. 1.51

Accius Neuius,quis,& qualis fuerit. 1.405 2.745.

Acer quis dicatur. 2.299. 3.28

Acerra quid ſit,& quæ dicatur tacita. 2.2

Acerualis ſyllogiſmus qualis ſit. 3.85

Acerui ſui finem, quomodo Chryſippus inuenerit. 3.87

Aceti auſteritas, vnionem in tabem reſoluit 1.283.

Acetum quid ſit,& quomodo fiat. 3.28

Achiui non Palladium,ſed eius ſimulachrum exportauerunt. 2.18

Acre,vnde,& quid dicatur. 2.698. 3.39

Acris,& atra bilis,quę,& quales ſint. 2.52

Actum indifferentem, non dari in indiuiduo. 3.365

Actus interni non cadunt ſub imperio dominorum. 3.468

Adeodatus, dictus Eques draconis, quid fece-

ce-

cerit. 2.296
Admiratio magna, linguam ligat, & ſilentium parit. 1.171.
Admouere quid ſit. 3.619
Aduehere, & auehere, quid ſint. 3.417
Aduerſitates Deo approximare compellunt. 2.86.
Adulatores quales ſint. 1.246. 1.398. 2.630 3.110. 3.532.
Adulterij de proximo habiti, ſigna in muliere. 3.866
Aduncum quid dicatur. 2.716
Ædiles, quarum rerum curam gererent. 3.539
Ædilitas ſola, ex magiſtratibus, erat in municipijs Italię. 1.440
Ægeona gygas, quis, & qualis fuerit. 3.450
Æger dolorem non ſentiens, eſt morti proximus. 2.509
Æger vetus, quis, vel qualis dicatur. 2.482
Ægæũ mare vnde, vbi, & quale. 3.450. 3.482
Æggus Theſei pater, inter maris Numina receptus. 3.451
Ægiſtus vnde, quis, & qualis fuerit. 3.36. 3.39
Ægritudinis nouę, noua pręceſſiſſe debet cauſa. 2.508
AEgritudo ethica, ſanabilior quam phyſica. 2 556
AEgypti filij, quid à Danaidibus paſſi. 2.171
AEgyptij quare à cępis abſtinerent: contra Caſaubonum. 3.606
AEgyptij quomodo Mercurij ſacra celebrarent. 1.391
AEmilia Veſtalis, quomodo ignem reaccenderit. 2.187.

Æmulatio an fuerit inter Platonem, & Xenophontem. 2.497
Ænea cuſpide facta vulnera, facile ſaneſcunt. 3.216.
Ærarium vnde,& quid ſit. 2.179
Aer ſubtilis,ſeu tenuis,confert ad acumen ingenij. 3.303
Ærumnæ,vnde,& quæ dicantur. 1.322
Æſacus,quis,& qualis fuerit. 3.736
Æſculapius, Hippolyto quid contulerit. 3.797.
Æſculapius,ſub qua forma coleretur. 1 402
Æſopus,quid de manticis finxerit. 2.673
Ætas aurea quando fuerit, & quales tunc homines. 1.179
Ætas tenera quibus rebus ſit apta. 2.295. 3.104. 3.123.
Æternitas,tempus,& euum quid ſint.2.295 2.418.
Affectio animi,manifeſtatur per opera.3.350
Affectus diuerſificant apparentiam,& iudicium eiuſdem rei. 3.192.
Affinitatum iura circa hereditates. 3.813.
Afflatus,quid dicatur. 1.425
Aganippe,vnde,& quid ſit. 1.17
Agaſo,vnde, & quis dicatur. 3.269
Agatocles,ſeruos militię adſcriptos,ingenuis exæquauit. 2.545
Agaue,quę, & qualis fuerit. 1.372
Ager,quid,& vnde dicatur. 2.301
Agitare quid ſit. 3.640
Agricultura, eſt meditatio laborum caſtrenſium. 1.297
Agrippinæ artibus, Nero Imperium peruaſit.

ſit. 2.285
Agrippinæ nobilitas, quanta fuerit. 2.650
Aiax, quis, & qualis fuerit. 1.160
Alarum ſcabitio, quare riſum moueat. 1.412
Alba veſtis quos deceat. 2.111.
Albarium eſſe ſpeciem tectorij. 3.84.
Albula, vnde, & quid ſit. 2 60.
Album, & nigrum quid ſint. 1.396
Album nũ ſit aliud à candido. 1.126. 1.396
Alcibiadis nobilitas, mores, & fortuna. 1.601
Alea, vnde, quid, & quis eam inuenerit. 3 210
Alexander Seuerus, quos côleret in ſuo Larario. 3.209
Algere, algidum, & algificum quid ſint. 2.563 2.574.
Alimenta ex publico quibus darentur. 3.256
Allij, quæ vtilitates, & qualitates. 3.603
Alliũ numeratur inter herbas olentes. 3.605
Allium ſanguinem purificat. 3.606
Alphœſibœa, quæ & qualis fuerit. 1.396
Alternum quid dicatur. 3.481
Altus quis dicatur. 3.311
Amarum, vnde, & quid dicatur. 2.742
Amaſis, Polycrati hoſpitium renunciauit. 1.123.
Amaſis prudens conſilium aduerſus fortunæ inſidias. 1.121
Ambages, quę dicantur. 2.289
Ambitio quare denominetur cretata. 3.536
Ambitio, quæ licita, vel quæ damnata. 3.537
Ambitio, tyrannicè exercet imperium. 3.530
Ambitioſi, celſas inuadunt dignitates. 2.654
Amicitia, non dura vel aſpera, ſed tenera virtus eſt. 3.122

Amicitiæ non conuenientes, qualiter ſoluendæ. 2.400
Amica maior, quæ dicatur. 3.791
Amomum quid ſit. 2.536
Amor cæterorum, ad Dei contumeliam pertinet. 3.818
Amorem, quæ comitentur. 3.515
Amor, inter quos maximè coaleſcat. 3.137
Amoris paſſio, regulam non admittit. 3.523
Amor Lethæus vbi, & quare coleretur. 3.512
Amor naturæ principium, ex quibus naſcatur. 1.50
Amor palliatur ſpecie miſericordię. 3.516
Amor quandoque extaſim facit 3.78. 3.525
Amor vnde naſcatur. 3.144.
Amphion, quomodo ſono traxerit lapides. 1.322.
Amphitrites, Delphini opera, nupta Neptuno. 1.356
Amuleta, quæ forent. 2.93
Amuleta, quæ prouidenda contra morbos animi. 2.412
Amulius, quis & qualis fuerit. 1.293
Anaxandrides, quare ſuas Comœdias concideret. 1.193
Anaxarchus à Nicocreonte tuſus. 1.325
Anceps libra, quę dicatur. 2.615
Anceps, vnde, & quid dicatur. 2.615. 3.481
Ancilla dominium exercet, quando ſenſibus obedimus. 3.402
Anguina ſpecie quid figuraretur. 1.401
Anguis, quibus in locis pingeretur. 1.402
Angulus quid, & vnde dicatur. 3.680
Anhelare, vnde, & quid ſit. 1.111. 1.114. 3.42

Ani-

Animaduerſio aſperrima,qualis foret. 3.398
Anima,& eius operationes,quales. 1.112
Animam ſuam quomodo quis odio habeat. 3.790.
Animam vagari circa ſepulchra,falſo dici. 3. 579.
Anima ponitur pro flatu, ſeu vento. 1.113
Anima ſeparata,eſt immortalis,& melius habet. 2.416
Animatorũ ab inanimatis differentia in operando. 3.628
Animę immortalitatem quomodo poſuerit Socrates. 3.125
Animi conſcij ſibi vitiorum,quanta ſint tormenta. 2.340
Animus nequit cogi, vt velit bonum particulare. 3.131
Animus qualiter prematur ratione. 3.132
Annibal,quomodo coſtam ſubduxerit Appœnino. 2.362
Annonæ defectus induxit ludum. 3.211
Annuere quid ſit. 2.124. 3.782
Annuli quare tali digito geſtentur. 2.92
Anſerum iecinora,quomodo grandeſcant. 3. 848.
Anthiope,quæ,& qualis fuerit. 1.318
Anticyra quæ, & quid in ea probè fieret. 2. 636.
Antimachus quis,& qualis fuerit. 2.263
Antiochi amor, ab Eraſiſtrato deprehenſus. 2.562.
Antitheta,& alia ſchemata. 1.343
Antonius,Clodij filium Ciceroni reconciliauit. 3.124

Antonius,gulę lautitijs deditus erat. 2.309
Antonius in puerili decoxit ætate. 3.113
Antonius ob ebrietatē publicè vomuit.3.556
Anus habentur deliræ. 2.649
Anus venefica, & garrula,iocosè deſcripta.3.711.
Anus vnde,& quæ ſit. 2.648
Anxietates,hebetant aciem ingenij. 1. 49
Apelles,quomodo Antiochi orbitatem pictura expreſſit. 2.69
Apis ; & araneę operibus,quid deſignetur.2.676.
Apollinis Templo, quanta Crœſus obtulerit. 2.221
Apollo,Crœſum ab incendio ſeruauit. 2.71
Apollo,quare Caſtaliũ fontem dilexerit. 1.17
Apollo, Xerſis exercitum deleuit apud Delphos. 1 22
Apperendi diuitias an, & in quibus ſit finis. 3.876.
Appœninus vnde,qualis,& quæ eius coſta.1.361.
Apponere quid ſit. 2.11
Apricum vnde,& quid dicatur. 3.545
Apulia ſiticuloſa,quia calida, & inops aquarum. 1.255
Aquarũ copia quare foret in templis. 2.189.
Aqualiculus quid ſit. 1.243
Arabia an ſola procreet thus. 3 426
Aranearum, & apum, quę differentiæ. 2.676
Arbores,quare ſint rubricandæ. 1.171
Arcadia,vnde,vbi,& qualis foret. 2.257
Arcam Noeticam,qualiter menſus fuerit Origenes. 2.697.

Arcanum vnde,& quid dicatur. 2.700
Arceſilas denominatus magiſter ignorantiæ. 2.466.
Arceſilæ quot,qui,& quales fuerint. 2.465
Archilochus quis fuerit, & quid inuenerit. 1.11.
Arena pro ędificijs;qualis eſſe debeat. 3.85
Aretium,& eius figulina laudantur. 1.442
Argillacea Etruſca,celebrata. 2.189
Argiuus,mente ſemicaptus, quid faceret. 2. 638.
Argumentum validiſſimum,quale. 3.784
Aricia Vrbs,quę,qualis,& vbi ſita. 3.798
Aries,quare ponatur primus ſignorum. 3.158
Arion quis,& qualis fuerit. 1.357
Ariſtæ,vnde,& quæ dicantur. 2.575
Ariſtion Tyrannus,philoſophus Epicuræus. 1.50
Ariſtophanes,quis,& qualis fuerit. 1.428
Ariſtotelis demonſtratio,infringitur. 2.486
Arma,nobilitatem adferunt ea tractantibus. 1.363.
Armentum quid ſit, & num aliud à grege. 2. 138.
Ars,& artifex,quid ſint. 1.286
Artemiſia,quę, & qualis fuerit. 1.173
Arterię,pulſus,& venæ,quid ſint. 2.500
Articulus,vnde,& quid apud diuerſos. 3.220
Artifex quis,& vnde dicatur. 1.286
Artifex vultus,qualis dicatur. 3.134
Artis nomen ad quæ extendatur. 3.329
Artocreæ, vnde,& quid ſint. 3.784
Arundo quid, & quantum vtilis. 2.268
Aruſpices quales forent,& vnde venerint. 2. 74. 2.190.

 Ar-

Aruum, nouale, & ſeges, quid ſint. 3.724
As, & eius valor, & partes. 1.346. 3.266
3.360.
Aſcendens quid ſit. 3.162
Aſini aures habere, qui dicantur. 1.419
Aſinorum aures in quibus ſint. 1.254
Vrbes, quę certauerint, vt dicerentur patria Homeri. 3.667
Vrentes oculi, qui dicantur. 2.100
Vrgere,quid ſit. 3.755
Vrna,quid ſit. 2.188. 3.456. 3.747
Vrnarum copia,quamobrem foret in templis. 2.190.
Vrtica quid ſit, & quam proficua ſanitati. 3.837.
Vruum,quid ſit. 3.687
Vſura,legibus omnibus eſt prohibita. 3.832
Vſuræ maiores,& minores,quæ ſint. 3.466
Vſus,& fruitio, quarum rerum ſint. 2.207. 3.710.
Vulgi opiniones eſſe contemnendas. 1.145
Vulnera, & vlcera quid ſint, & an differant. 2.569.
Vulnera facta mucrone ęreo,citius curantur. 3.217.
Vulnera Parthorum ſintne illata, an accepta. 3.24.
Vulphernius, quis fuiſſe fingatur. 3.611
Vultus artifex,quis,vel qualiter dictus. 3.134

Vxorem duci alicui, quid ſignificet. 1.55
Vxor quædam, vigintiduos extulerat viros 1. 55.

X

XErſis exercitus fuſus apud Delphos. 1. 22.

Z

ZAhorini Hiſpani, quomodo abbdita cernerent. 1.375
Zaleucus Locrenſium legislatdr, quam fuerit iuſtus. 3.295
Zeno conditor ſcholæ Stoicę. 3.126
Zeno, qualiter Dialecticam exprimeret, & Rhetoricam. 3.760
Zephirus Chloris, ideſt Floram rapuit. 3 601
Zodiaci ſigna, quę ſint. 3.158
Zodiacus, qualiter ab Aſtrologis diuidatur. 3.158. 3.160.
Zoilus, & Ariſtarcus, quales fuerint. 1.270.

Errata — *Corrige.*

PARTE PRIMA.

Errata	Corrige
Fol.b pag.vltima lin.11. 1688	1689
Fol.6. lin. 8. ſatyra 1.	ſatyra 1. ne
Fol.6. lin.13. vrna	verna
Fol.16. lin. 3. ephibia	ephippia
F.35. lin.18. χῶρε	χαῖρε
Fol.35. lin.34. ſunt	ſint
Fol.37. lin.26. durcifer	furcifer
Fol.104.lin.34. habemur	habentur
Fol 129.lin. 9. plamate	plaſmate
Fol.158.lin 14. ſcapulorum	ſcapularum
Fol.351.lin.34. Iudus	Indus
Fol.397.lin.24. correctis	correptis.

PARTE SECVNDA.

Errata	Corrige
Fol.39.lin. 8. audire	audiri
Fol.61 lin.34. framunt	fremunt
Fol.121.lin.18. tranſuerſim	tranſuerſos
Fol 125 lin. 2. lætatum	notatum
Fol.231.lin.32. vcum	vdum
Fol.256.lin.23. quæratur	queratur
Fol.283.lin.25. compleſſus	complexus
Fol.295.lin. 7. Promotheo	Prometheo
Fol.379 lin. 9. pyramidiale	pyramidale
Fol.390.lin.15. amantibus	amantium
Foi.394.iin.29. duas vias	duæ viæ
Fol.473.lin 31. indigatione	indagatione
Fol.641.lin.3. diſcrepares	diſcrepare
Fol.657.lin.1. verſu	ſcena.

PARTE TERTIA.

Errata	Corrige
Fol.24. lin. 8. ab	ob
Fol.24. lin. 9. commentuum	commeatuum
Fol.44 lin.10. conſternaiis	conſternatis
Fol 58. lin.16. febris	fabris
Fol.91. lin. 6. An	At
Fol.126.lin.17. æquaminitatis	æquanimitatis
Fol.140.lin. 7. bibi	ſibi
Fol.153.lin.18. ſemper	ſimplex
F.217.lin. 1. συννορα	σύννορα
Fol.230.lin.18. ergo	erga
Fol.302.lin 29. ſrriore	ſeriore
Fol.309.lin. 2. turi	turri
Fol.325.lin.15. precipieutem	præcipitem
Fol.355.lin.11. ſint	✠

Fol.

Errata PARTE TERTIA *Corrige.*

Fol.373.lin.32.	eſtis	eſt is
Fol.394.lin.33.	inuehare	inuehar
Fol.526.lin 30.	epiſt.	epiſt 6.
Fol.563.lin.26.	Nec	Sed
Fol.565.lin. 9.	Repetitaque	recutitaque
Fol.578.lin.32.	leo	formica
Fol.598.lin.15.	capum	captum
Fol.614.lin.17.	Arti.col.	Attico lib.
Fol.634.lin.16.	Cermentam	Carmentam
Fol.651.lin.34.	Virg.Georg.	Virg.l.1.Georg.
Fol.761.lin.34.	agerent	egerent
Fol.765.lin.13.	animas	animabus
Fol.791.lin. 7.	ſuam	tuam
Fol.762.lin.20.	pertuliſti	prætuliſti
Fol.826.lin.27.	pacemque	paciſque
Fol.853.lin.25.	exinationem	exinanitionem
Fol.875.lin.23.	nil intra eſt in nuce	nil extra eſt
Fol.879.lin. 8.	apparere	apparare.

COMMENTARIA IN SATYRAS AVLI PERSII FLACCI.

Per R. P. S. T. Magiſtrum

FRATREM HENRICVM SCALESIVM A Pimonte Ordinis Prædicatorum Elaborata.

PARS PRIMA.

AVTHORIS VITA.

GEntis Perſiæ, rara admodũ extat apud antiquos memoria, niſi quod Liuius ab Vrbe condita libro 26. §. 39. ait *Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarenti res geſta: nã ad quatuor millia hominũ, frumentatũ egreſſa, quũ in agris paſſim*

ſim vagarentur, Liuius, qui arci, præſidioque Romano præerat, intētus in omnes occaſiones gerēdę rei, C. Perſium impigrū virum cum duobus millibus armatorum ex arce emiſit, qui vagè effuſos per agros, palātesque adortus, quū diu paſſim cęcidiſſet, paucos ex multis trepida fuga incidentes ſemiapertis portarum foribus, in vrbem compulit, ne vrbs eodem impetu caperetur. Et alius item C. Perſius fuit, cuius cenſuram Lucilius cæterorum irriſor, ſummopere formidabat, de quo Cicero lib. 2. de Oratore. *Hic enim fuit, vt nouimus, omnium fere noſtrorum hominum doctiſſimus: Lelium Decimum volo, quem cognouimus virum bonum, & nō illiteratum, ſed nihil ad Perſium.* Qui etiam Cicero in Bruto, de eodem inquit. *Tum Atticus: Quid ergo? eſt ne iſta Fannij? nam varia opinio, pueris nobis erat, alij à C. Perſio literato homine ſcriptam eſſe aiebant, illo, quem ſignificat valde doctum eſſe Lucilius: alij multos nobiles, quod quiſque potuiſſet, in illam orationē cōtuliſſe.* Verū an iſte noſter Perſius ex ipſis, aut ex eorum altero, originem duxerit, quum authores non loquantur, affirmare nō audeo. Inuenio fuiſſe ipſum Flacci equitis Romani, & Siſennę nobiliſſimæ fęminæ filium, affinitate etiam iunctum primi ordinis totius Reip. familijs, & in lucem prodijſſe pridie Nonas Decembris, Olympiade ducenteſimatertia, ab Vrbe Roma condita, iuxta faſtus Conſulares, anno ſeptincenteſimo octuageſimoſexto: at iuxta Tacitum lib. 6. Annalium anno ſeptincenteſimo octuageſimo ſeptimo. Lucio Vitellio Nepote, Paulo Fabio Perſico Coſſ. deceſſiſſe autem ſtomachi vitio VIII. Kal.

Kal. Decembris, quum eſſet annorum triginta Publio Mario Celſo, & Lucio Aſinio Gallo Coſſ. qui iuxta Faſtus conſulares eſt ab Vrbe condita annus octincenteſimus quartuſdecimus, ſed iuxta Tacitum lib. 14. annaliũ octincenteſimus quintuſdecimus. Quod ſi verum eſt, nõ potuit obijſſe trigeſimo ſuæ ętatis anno, ſiquidem à Conſulatu Vitellij, & Fabij Perſici, nempè trigeſimo quinto Chriſti Domini, & ſeptincenteſimo octuageſimoſexto, vel ſeptimo Vrbis conditæ, qui fuit vigeſimus imperij Tiberij Cęſaris, ad Conſulatum Marij Celſi, & Aſinij Galli, nempè Chriſti Domini ſexageſimumtertium, & ab Vrbe condita octincenteſimumquartum, vel quintumdecimum, qui fuit octauus Neronis, in quo is thermas ędificauit, non intercedunt, niſi viginti octo anni. Hieronymus tamen in Euſebij Chronico refert ipſum vitam cum morte cõmutaſſe, ætatis anno vigeſimonono.

Flaccus pater ipſius, moriens, ipſum puerũ ſexennem reliquit: Mater vero Siſenna iterum nupſit Fuſio Roſcio equiti Romano (quem etiam intra breue tempus extulit) qui Perſiũ priuignum educandum, boniſque litteris, & moribus imbuendum ſuſcepit. Et quum ingenij polleret docilitate, domi moribus, in ludo vero litterario, litteris animum applicuit, eiſque ſtuduit primum Volaterris, vbi natus fuerat, nempe in ea Etruriæ parte, quæ proximè Liguriam attingit, ad duodecimum vſque ætatis annum. Inde Romam, commune tunc Latinarum diſciplinarum emporium, ſe contulit, vbi ſub Remmio, ſiue Herennio Pale-

mone, de quo Suetonius lib. de Illuſtribus Grammaticis cap.23. & vltimo, Grammaticæ, ſub Virginio vero Flacco, Rhetoricæ operam dedit. Exinde decimumſextum ætatis annum ingreſſus, togaque virili indutus, amicitia vti cœpit Annæi Cornuti, Stoicam philoſophiam Romæ profitentis, cuius doctrina, & moribus candidus adoleſcens, adeò delectabatur, vt ab eo diuelli non pateretur, vt fatetur Satyra 5. dicens.

Tecum enim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Vnum opus, & requiē pariter diſponimus ābo,
Atque verecunda laxamus ſeria menſa.

Simul cum Cornuto, plures coluit amicos, & inter alios Ceſium Baſſum Sabinum, Poetā lyricum elegantiſſimum, quem Quintilianus, ſolum è Latinis, exiſtimauit Horatio comparabilem, cui ſextam: & Plotium Macrinum equitem Romanum, nedum diuitijs affluentē, ſed, &, quod pluris faciendum erat, eruditione præſtantem, moribus elegantem, ſuum ſub Cornuto condiſcipulum, cui ſecundam ex his Satyris ſcripſit. Coluit etiam fere vt patrem quendam Seruilium Numanum, ſiue Nouianum, & Calpurnium Staturam, ſiue Suram, nec non Annęum Lucanum, Cornuti ſimiliter auditorem, qui adeò eius ſcripta mirabatur, vt, eo recitante, continere ſe non poſſet quin exclamaret, illa eſſe vera poemata. Vſus eſt etiā conuictu duorum doctiſſimorum ſimul, & honeſtiſſimorum virorum, acriter tunc ſub Cornuto philoſophantiū, videlicet Claudij Agaterni Medici Lacedęmonij, & Petronij Ariſto-

cra-

cratis Magnetis,quos mirabatur ſimul,&ęmulabatur. Per decennium etiam,antequam fato concederet,ſumme dilectus eſt à Pœto Traſea, aſcitus ab illo comes peregrinationum eiuſdem,vtpote qui Noſtri cognatam,Ariam vxorem duxerat, de qua Martialis meminit præcipue l.1. Epig. 14. Quum igitur Perſius noſter ingenium eruditione, optimiſque diſciplinis excoluiſſet,& virginali honeſtate,egregia quamuis forma repugnante,partheniana floreret verecundia,boni, & æqui zelator, pietatis erga Siſennam Matrem, Ariam amitam, ſorores, atque alios cognatos, exempli ſufficienti,frugalis vitæ,& omni præditus virtute, vt decebat eum, qui ab honeſtiſſimis fœminis Siſenna, & Aria fuerat educatus, & viuebat cum Cornuto, Pœto, & alijs eiuſdem farinæ incorruptorum morum hominibus,non aliter viuebat,quàm ſcripſerit.Verum quum obſeruaſſet Remp. ſuis temporibus peſſum ire, nec vllam ſupereſſe ſpem,eam ad meliorem frugem reuocandi, quando illius Principes Tiberius, Caligula,Claudius, & Nero,luxuria perditi, omni crudelitatis genere in optimum quemque debacchabātur, eoſque maxime cōſumptos volebant, in quibus clarior fulgeret virtus,nequaquam ſibi integrum, aut tutum putauit, incaſſum, nempe ſine emendationis ſpe Remp. capeſſere. Quare non armis,nec iuri dicundo (artibus,quibus Reſp. adminiſtratur,) ſed philoſophiæ, atque otio litterario animū applicuit. Vacabat ergo ſimul cum amicis,ſerijs naturæ, morumque diſputationibus quibus plerūq;earum rerum ſecreta rimantur:in-

termiſcens etiam nonnumquam melodicam Muſarum ſuauitatem. Animaduertens, etiam generoſus adoleſcens, quamuis philoſophicis ſtudijs deditus, perditos Ciuium, & maximè Magnatum,& ipſorum Cæſarum mores, indignatione percitus,continere ſe,poſt lectum Lucilij librum,nequiuit à Satyra ſcribenda, timens fortaſſe,vt ait Satyra 1.

Quæ ſemel intus.
Innata eſt, rupto iecore exierit caprificus.

Et vt in ſimili argumento loquitur Iuuenalis Satyra 1.

Quum pars Niliacæ plebis,quum vrna canopi.
Criſpinus Tyrias humero reuocante lacernas.
Ventilet eſtiuum digitis ſudantibus aurum.
Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ,
Difficile eſt Satyrã non ſcribere,nã quis iniq;
Tam patiens Vrbis,tam ferreus vt teneat sè.

Exardeſcens igitur cupiditate reprehendendi, caſtigandique inquinatos Ciuium, & maxime aulicorum, magnatum, & ipſorum Principum mores,ſcienſque ex aliorum notiſſimis experimentis, ignominioſa ſibi morte eſſe pereundum,ſi Nero,vel quicumque ex illius aulicis, & delatoribus,olfeciſſe ſaltem in ſe potuiſſet maledicendi, criminandique voluntatem, ſtylum taliter temperandum putauit, vt etiam quum dixiſſet, quæ Nemeſis, & veritas ſugeſſiſſet, quaſi in ſcrobem verba infodiſſet,vulgaris ſiuè lector,ſiuè auditor,intimum eiuſdem ſenſum non caperet. Ad quem finem nedum eſt vſus breuitate, quam fere sẽper comitatur obſcuritas, ſed etiam tropis, tũ crebris,tum audacioribus,& vſu parum receptis.

ptis, nonnumquam etiam è lōge petitis, à quibus omnibus, eſto eius dictio obſcuritatem habeat, nihilominus magnificentiam, & altitudinem, etiam participat, vt non ſemel diximus in noſtris Oratorijs inſtitutionibus, & precipue lib.3. Tract.4. Verumtamen eo ob hanc neceſſariam cauſam obſcuritatem affectante, ſcioli nonnulli, & poſterioris ęui ſcriptores, & inter eos Thomas Farnabius, ipſum contempſerunt, nedum tamquam ſcotinum, & obſcurum, verum etiam tamquam deſultorem, & qui ſententiam intentam non cuſtodiat, vel proſequatur. Quod quidem vitium miror vnde Perſio impingatur, quum, ſi quis alius, iſte accuratus ſit in intentionis proſecutione, vt notum erit lectori horum commētariorum. Aduerſariorum certè ſententiæ nō ſubſcriberet Quintilianus, quando de Perſio dixit eum. *Multum, & veræ gloriæ in vno Satyrarum libro meruiſſe.* Nec Martialis ad Pudentem dicens libro quarto Epigrammate 29.

Sæpius in libro memoratur Perſius vno.
Quam tota ingens Marſus Amazonide.

Satius fuiſſet fateri ſe, vel ignorantia, vel negligentia non aſſecutos mentem obſcuriſſimi, ſeu potius profundiſſimi, & ſublimiſſimi vatis, quam eum accuſare ſententiæ non cuſtoditæ, qui dicere in eos poſſet Plautinum illud. *Nihili coaxatio*, quaſi enim ranarum voces habendæ ſunt ab eruditis, huiuſmodi maledicæ, & calumnioſę, dignæ, ab ijs contemni, non ſecus, ac à Luna canum latratus. Satius fuiſſet dicere, cum Ioanne Ouueno libro 2. ad D. Mariam Neuille Epigrammate 158.

Scripta tenebroſi lego, non intelligo Perſi.
Lectores nimium negligit ille ſuos.

Perſius itaque noſter, quamuis in pueritia ſcripſiſſet Prætextam, & Odos : ὁδοιπορικῶν, quaſi dicas arduã, & ſalebroſam viã, & verſus quoſdam in ſororem Traſeę, Arriæ matrem, quæ ſe ipſam necauerat antè virum, hæc tamen omnia Siſenna, Cornuti vſa conſilio, abolenda iudicauit, ſuppreſſitque, relictis tantum ſex iſtis Satyris, quas edendas curauit Ceſius Baſſus. Quum autem noſter Poeta diu, multumque laboraſſet ſtomachi vitio, victus tandem vi morbi, extremum clauſit diem VIII. Kal. Decembris in ſuis prædijs ſitis via Appia, octauo ab Vrbe lapide, ætatis anno vigeſimo octauo, vt iam probatum eſt, condito prius teſtamento, quo matrem ſcripſit hæredem vniuerſalem ſuorum bonorum aſcendentium ad H.S.XX. circiter, cum onere tamen prouidendi, vt ſuæ ſorores honeſtè locarentur, & tradendi Cornuto ſuo præceptori HS. centum, & bibliothecam ſuam omnem, numeroſam ſeptincentum voluminum. Cornutus, tamen vt verè philoſophus Stoicus, receptis libris, pecuniam, ſiuè argentum omne, ſibi legatum, remiſit Perſij ſororibus, quo honeſtius collocarentur. Sextertia autem vicies à Perſio relicta, redacta ad hodiernam monetam, valere extimantur fere ſcuta aurea quinquaginta millia, & ita Perſius iuxta ſuum ſtatum, & cõditionem equitis priuati, ſatis habebat diuitiarum, ad vitam frugaliter tranſigendam.

Præ-

PRæmittit Perſius, poetarum omnium ferè ſecutus cõſuetudinẽ, procemium ſuis Satyris, cuius præcipuus ſcopus eſt offerre ſuum librum ad ſacra vatum, nimirum, vel rectis aliorum iudicijs, & cenſuris, vel potius, iuxta nouam Auguſti legem, bibliothecæ extructæ in colle Palatino, ſub tutela Apollinis Muſarum Præſidis. Interim tamen auditorum, ſiue lectorum beneuolentiam captat; extenuatione ſuarum virium: & illos carpit, qui quum nihil habeant, quo poetæ nomen mereantur, pro poetis nihilominus audent ſe venditare: & horum magnus tunc Romæ numerus erat, ſiue propterea quia Auguſtus, quo Martiales Romanorum animos prælijs, etiam ciuilibus aſſuetos, à cædibus, rapinis, & huiuſmodi rebus, ad pacis conuerteret ſtudia, muſis, & liberalibus diſciplinis vacantes, diuitijs, & honoribus ornauerat: ſiut quia Nero, non dubitauerat poeticam affectare lauream, ideoque quamplures, Principis genio ſe conformantes, eadem colebant ſtudia, vt narrat Horat. l. 2. Epiſt. 1. dicens.

Mutauit mentem populus leuis, & calet vno.
Scribendi ſtudio: pueri, patreſque ſeueri
Fronde comas vincti cœnãt, & carmina dictãt.
Ipſe ego, qui nullos me affirmo ſcribere verſus
Inuenior Parthis mendacior: & prius orto
Sole, vigil, calamũ, & chartas, & ſcrinia poſco:
Nauẽ agere, ignarus nauis timet, abrotanũ ægro
Nõ audet, niſi qui didicit, dare: quod medicorũ eſt
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Scribimus indocti, doctique poemata paſſim.

Quum ergo iſti nihil, aut, ad ſummum, valde modicum haberent eruditionis, & bonarum litterarum viaticum, iure merito hic irridentur, eo maxime titulo quod aſſerebant ſe per ſacrum enthuſiaſmum ab Apolline, & Muſis creatos poetas, vt ſi forent de eorum numero, in quorum perſona cecinit Ouidius lib.3.de Arte.

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia Cæli
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Vel quaſi Heſiodi meruiſſent ſortem, qui, vt ipſemet in Theogonia narrat, dum patris ſui ouium gregem paſceret in vallibus Parnaſi, viſis Muſis, & ab eis ad fontem Aganippē perductus, atq; aqua illa potatus, poeta fuit cōſtitutus, quod de ſe negat Naſo dicens 1.de Arte.

Non mihi ſunt viſæ Clio, Cliuſque ſorores
Seruanti pecudes vallibus Aſcra tuis.

In hoc ergo proœmio, hæc tria pręſtare intendit poeta, primo ſua poemata ſapientibus, vel Apollini Palatino conſacrare: deinde lectorum, ſiue auditorum captare beneuolentiā, extenuatione ſuarum virium, & negando etiā ſe eſſe poetam: & denique repræhendere illorum audaciam, qui nullo fulti ſcientiarum illarum præſidio, quibus poetæ indigent, pro poetis ſe venditabant.

PROOEMIVM.

Nec fonte labra prolui Caballino
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſo
Memini, vt repente ſic poeta prodirem
Heliconiadaſque, pallidamque Pirenem.
Illis relinquo quorum imagines lambunt
Hæ-

Hederæ ſequaces, ipſe ſemipaganus .
Ad ſacra vatum carmen adfero noſtrum.
Quis expediuit pſittaco ſuum Χαῖρε
Picaſque docuit noſtra verba conari ?
Magiſter artis, ingenijque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Coruos poetas, & poetidas picas ,
Cantare credas Pegaſeium melos .

COMMENTARIVM PROOEMII.

CONſtat hoc proœmium verſibus ſcazontibus, ideſt iambicis trimetris ſeu ſenarijs . Quod carminis genus, ob breuis ſyllabæ velocitatem, ad maledicēdum, conuiciandumque putatur accomodatiſſimum, iuxta illud Naſonis de Remedio Amoris .

Liber in aduerſos hoſtes ſtringatur Iambus,
Seu Celer, extremum, ſeu trehat ille pedem.

Meritoque dictus iambus, à Græco iambizare, quod eſt, apud Latinos, conuiciari, & maledicere , vt docuit Ariſtoteles in ſua poetica cap.2. his verbis. *Iambicum propterea nunc appellatur , quod his plerumque numeris ueteres* ἰαμβίζειν *, ideſt conuiciari inuicem ſoliti ſint.* Creditumque hoc carminis genus inuentum ab Archiloco , quo ſe de Lycambe vlciſceretur, qui, quum ei ſe Neobolem filiam matrimonio copulandam promiſiſſet, ſponſioni non ſtetit; Videns ergo ſibi à Lycambe negari nuptias concupitas, tantis eum inceſſit maledictis, vt eum adegerit ad vitam laqueo finiēdam, quod innuit Horatius ad Piſones dicens.

Archilocum proprio rabies armauit iambo.

Et Ouidius in Ibin minatur.

Poſtmodo ſi perges, mihi liber iambus,
Tincta Lycambeo ſanguine tela dabit.

Priſcis autem temporibus, hoc carminis genus ſolis conſtabat iambis: verum poſtmodum admittere, locis imparibus, prima ſcilicet, tertia, & quinta ſede, cœpit alios etiam pedes, puta trochæum, vel ſpondæum, & etiã dactylum, & anapeſtum, idque docuit Horatius de arte poetica ad Piſones ſcribens.

Syllaba longa breui ſubiecta, uocatur iambus,
Pes citus, unde etiã trimetris accreſcere iuſſit
Nomen iambæis quum ſenos redderet ictus
Primus ad extremũ ſimilis ſibi: non ita pridẽ
Tardior ut paullò, grauiorq; ueniret ad aures
Spondęos ſtabiles in iura paterna recepit,
Commodus, & patiens, non ut de ſede ſecunda
Cederet, aut quarta &c.

Et hic, alios pedes admittens, vocatur iambus mixtus. Scazon autem, eſtò in reliquis ſenarij, & iambici mixti leges obſeruet, in ſexta nihilominus ſede, perpetuo, loco pedis iambi, ſpondæum recipit, aut Choræum: & propterea ſcazon, ideſt claudicans appellatur, quia quum terminetur ſyllaba longa, & pede alieno, videtur illum trahere, & ita claudicare, vt innuit Ouidius loco citatò de Remedio amoris.

PROLVI. Exiſtimant aliqui, Proluere eſſe verbum compoſitum, ex Pro, & Lauo, & propterea interpretantur eo ſignificari procul attingere, & lauare, quaſi poeta dicere voluerit: Nedum meipſum, ſiue meum os, non laui poetifico fonte Caballino, affatim, copioſeque il-

lius aquam bibendo, ſed ne ſummis quidem labijs, eam attingere licuit, quum procul ab illa fuerim. Quibus verbis,& beneuolentiam captaret,ſuam extenuando poeticam facultatem,& Satyricè alios irrideret, qui ſe profitebantur creatos poetas, quum ex eo fonte potati fuiſſent. Verum nequeo huic interpretationi ſubſcribere, vel ei aſſenſum prebere, quum videam paſſim apud probatos authores proluere accipi pro affatim,& abundanter bibere, vel diligentèr lauare, ſic Virgilius 1. Georgicorum verſu 481.

Proluit inſano contorquens vortice ſiluas
Fluuiorum Rex Eridanus,cãpoſque per omnes,
Cum ſtabulis armenta tulit.

Et idem etiam Virgilius lib.1. Æneidos verſu 740.

Dixit, & in menſa laticum libauit honorem
Primaque libato ſummotenus attigit ore:
Tũ Bitiæ dedit increpitãs,ille impiger hauſit,
Spumantem pateram,& pleno ſe proluit auro.

Sic etiam Claudianus libro 2. de Raptu Proſerpinæ.

Apparet ſubitus Cœlo timor,aſtra uiarum
Mutauere fidem, uetito ſe proluet Arctos.
AEquore,præcipitat pigrum formido Bootem.

Et idem Claudianus libro de laudibus Serenæ Reginæ.

Quid dignum memorare tuis Hiſpania terris
Vox humana ualet? Primo lauat æquore ſolẽ
India,tu feſſos exacta luce iugales
Proluis,atque tuo reſpirant ſydera fluctu.

Similiter idem Claudianus lib.de tertio Conſulatu Honorij,ait.

O de

O decus ethereum, terrarum gloria quondam,
Te tuus Oceanus natali gurgite laſſum
Excipit, & notis Hiſpania proluit vndis.

Sic Plautus Curculione Actu 1. Scena 2.

Age, effunde hoc cito.
In barathrum, propere prolue cloacam.

Immo Columella lib. 2. capite 18. inquit. *Quoniam impetus aquarum proluit terram, nudatiſque radicibus germina non patitur coaleſcere.* Ex quibus conſtat amplius eſſe proluere quam ſimplex bibere aut lauare. Qua propter videtur Perſium hic non negare ſimpliciter, & abſolutè ſe bibiſſe, ex aqua Hippocrenes, ſed tantum ſe ex ea bibiſſe adeo affluenter, vt poſſet dici ſe ea proluiſſe, atque adeo egrægium ſe euaſiſſe poetam: Quemadmodum Auſonius profitetur, modice tantum ſe Moſellam laudare poſſe, quod tamen alijs affatim præſtare cōceditur ſic Idyllio 9.

Fas mihi ſacrum
Perſtrinxiße amnem tenui libamine Muſæ,
Nec laudē affecto, veniam peto, ſunt tibi multi
Alme amnis, ſacros qui ſollicitare fluores
Aonidum, totāque ſolent haurire Aganippen.

Sentit ergo exiguam ſibi ineſſe poetādi facultatem, quia modicè tantum ex poetifico fonte bibiſſet.

FONTE Caballino. Fons quē Latini dixere Caballinum, Græcis eſt Hippocrene, vel Aganippe, Pegaſęus, Caſtalius, alijſque multis nominibus appellatus. De eius origine ſic fabulantur. Quum Perſeus Iouis, & Danaes filius, Meduſæ, vnius ſcilicet ex Gorgonibus, caput, in Oriente, & in ipſis Oceani fontibus, exſecuiſ-

cuiſſet, ſanguis ex huiuſmodi vulnere profluens, terrã fœcundauit, ex qua alatus equus proceſſit, qui inde euolans, ad Parnaſi rupem deuenit, vbi, quum ſiti teneretur, terram pedis vngula fodit, indeque ſalubrium aquarum fons emerſit, ex quo tum ipſe equus tunc bibit, tum homines deinceps biberunt. Equus iſte deinde in Bellorophontis venit poteſtatem, qui, eo adiutus, Chimęram ſuperauit, & tandem inter ſidera fuit receptus. Quum autem apud Latinos, equus dicatur etiam caballus, inde fons iſte ab equo formatus, Caballinus eſt appellatus. Notanter autem dictus eſt Caballinus potius quam equinus, vel alio nomine idem importante, non enim quicumque equus propriè dicitur Caballus, ſed tantum clitellarius, vel doſſuarius, & oneribus gerendis addictus. Hinc Auſonius Epiſtola 7.

Paratum iam fore.

Heroicorum verſuum plenum eſſedum,
Cui ſubiugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali ſaxa voluunt pondere
Tripedes Caballos terga ruptos verbere.

Sic Horatius libro 1. ſermonum Satyra 6.

Non ego me claro natum patre, non ego circũ,
Me Satureiano vectari rura Caballo,
Sed quod eram narro.

Et idem Horatius loquens de illo, qui vilia vendere ſolitus, agellum fuerat mercatus, ait lib. 1. Epiſtola 7.

Verum vbi oues furto, morbo periere capellæ;
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando,
Offenſus damnis, media de nocte Caballum.
Arripit &c.

Et

Et idem Horatius eodem libro 1. Epiſtola 14. inquit.

Optat ephibia bos piger, optat arare caballus.

Similitèr de eo, cui Eutrapelus nocere volens, pretioſas donauerat veſtes, ait idem poeta eodem libro 1. Epiſtola 18.

Beatus enim iàm.
Cũ pulchris tunicis, ſumet noua cõſilia, & ſpes
Dormiet in lucem, ſcorto poſtponet honeſtum
Officium, nummos alienos paſcet, ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballũ.

Nominauit ergò hunc fontem caballinum potius quam equinum, etiam ſi dicere potuiſſet, nec fonte equino labra merſimus noſtra, non ſolum quia vox, Caballino, eſt grauior, & numeroſior, verùm etiam quia ratione vilitatis, ſiuè rei ſignificatæ, ſiuè modi ſignificandi, conuenit ſubſannanti, & irridenti. Quæ fuit ratio mouens Iuuenalem ad nominandum caballum ipſum Pegaſęum, ſic enim ait Satyra 3.

Audi modo facinus maioris abollæ.
Stoicus occidit Baream, delator amicum,
Diſcipulumque ſenex, ripa nutritus in illa
Ad quam Gorgonei delata eſt penna caballi.

Fons igitur dictus nunc eſt caballinus, in cõtemptum pſeudopoetarum, & quia nomen proprium illius caballi, ſiuè equi, à quo inuectus, & productus fuit, erat Pegaſus, ſic dictus à πηγῆς nimirum fonte, quia natus fuerat iuxtà πηγῆς, videlicèt fontes Oceani, vbi habitauerat Meduſa, quæ fuit interfecta, ideò fons dictus fuit Pegaſęus. Hippocrene verò eſt appellatus propterea, quia equus Grecè di-

dicitur ἵππος. κρήνη verò eſt idem ac fons, vt hippocrene ſonet idem ac fons equi, immò quidam interpres Arati, nomine Theos docet κρήνης appellationem, quæ nunc ad omnem, & quemcumque fontem extenditur, fuiſſe primitus huic ſoli propriam. Aganippe verò eſt nominatus, quaſi diceres valdè equi, ſiuè ab equo: nàm ἄγαν eſt idem, ac valde ἵππος verò eſt equus. Sed quod dicatur Caſtalius aliam habet, & diuerſam originem, à quadam videlicèt virgine, Caſtalia nomine, quæ fugiēs Apollinem inſequentem, & ſuæ inſidiantem pudicitiæ, quum in hanc rupem deueniſſet, & iàm iàm ab illo ferè teneretur, ex ea ſe præcipitem dedit, mortem potiùs appetens, quàm virginei pudoris iacturam pati: verùm Deorum commiſeratione in hunc fontem conuerſa, ab eodem ſuo amatore Apolline nihilominus amari, frequentari, & priuilegijs decorari non deſtitit, inter quæ illo maximè decantato, vt quicumque ex eius aqua bibiſſet, poeta illicò euaderet. Tanta de hoc fonte fabulantur. Potuit tamen huiuſmodi fabulis occaſionem præbuiſſe Cadmus, qui per eam regionē aptum quærens locum Thebanæ Vrbi condēdæ, dum hac, illacque eques, montes, & nemora circumiret, in hunc fontem incidit, accolis ante ignotum, creditusque Pegaſus, nēpè equus quo Cadmus vehebatur, non tàm inueniſſe, quàm pedis vngula formaſſe. Et quia Cadmus primus litteras è Phœnicia in Græciam tranſtulerat, fons ab eo repertus, habitus eſt Apollini ac Muſis, nimirum ſcientijs, & bonis litteris ſacer. Opinio autem illa,

quod

quod quicumque ex aqua illius fontis potatus fuiſſet, conſtitueretur poeta, poſt Homeri, & Eſiodi tempora emerſit, quum hi nuſquam hac de re loquantur. Legimus certè in Heſiodi Theogonia initio, fōtem Hippocrenen nominatum, & quod ipſe dum patris gregem cuſtodiret in Parnaſi vallibus, muſas viderit, & ab eis poeta fuerit creatus, ſed quod eius poeticus enthuſiaſmus in ipſum venerit ex potatione talis fontis, nec ibi, nec alibi apud eum, & alios antiquiores reperitur. Verùm poſteriores, ex eo, quod ipſe aſſerit, Muſarum beneficio, ſe deducentium ad fontem illū, creatum poetam, intellexerunt ipſum dicere voluiſſe, factum poetam ex fontis potu.

NEC in bicipiti ſomniaſſe Parnaſo memini. Parnaſus ſiuè per ſimplex, ſiuè per duplex, s, ſcribatur, mons eſt Phocidis, vatibus omnibus decantatus, non minus, ac fons Hippocrene indè naſcens. Erat autem nedum Apollini, & Muſis, ſed etiam Baccho (quamuis hic, teſte Macrobio lib. 1. Saturnaliorum cap. 18. idem erat cum ſole, & Apolline) & etiā Nymphis ſacer, quum enim eius rupes, iuga, cryptę, ſpecus, nemora ac Syluæ, ſiuè ipſo ſitu, ſiuè Dæmonum præſentia ac præſtigijs, Deo permittente, horrorem incuterent, præſentis Diuinitatis credulitatem ingerebant, nàm iuxtà Petronium in fragmentis ſui ſatyrici *Primus in Orbe Deos fecit timor*. Erat autem mons iſte vndique præceps, ſed in theatri ſpeciē formatus, vbi Apollinis erat templum cum oraculo toto orbe celeberrimo: Denominatus eſt autē biceps, non quidem ob Cyrrham, & Niſam,

quum

quum iſtæ non forent iuga, ſeù capita, & vertices Parnaſi, ſed duę Vrbes ad illius radices ædificatæ. Sed biceps eſt cognominatus ob formam, quia duobus collibus quaſi totidem aſſurgit capitibus, ſicut ob eamdem rationem biuerticem eum appellauit Statius Papinius libro 1. Thebaidæ verſu 627. dicens.

Sæuior in miſeros fatis vltricis ademptæ
Delius inſurgit, ſummaque biuerticis vmbræ
Parnaſi reſidens, arcu crudelis iniquo
Peſtifera arma iacit.

Huiuſmodi autem colles perperàm à Seruio, & alijs, quibus ipſe impoſuit, nominati ſunt Helicona, & Cytherona: concordi enim authorum, & Geographorum ſententia, h s nominibus appellati ſunt duo montes, quorum Helicon quindecim, Cytheron vero tr.-ginta paſſuum millibus à Parnaſo diſtare po nitur. Fuiſſeque ſortitos hęc nomina à duobus fratribus inibi tumulatis; quorũ Cytheron q.-dem, vt auaritiæ vitio inquinatus, indignè ferebat Helicona fratrem, communem alere patrem, & propterea vtriſque necem machinatus eſt, & patrem quidem breui impiè ſuſtulit, verum quamuis idem facinus paraſſet in fratrem, cernens inſidias non ſuccedere, illũ complexus, ſimul cum eodem ſe de quadam rupe deiecit, quo caſu ambo interierunt, ſepultique in duobus illis montibus, eiſdem ſua dederunt nomina, vt Heſiodi narrat Scholiaſtes. Quum ergò non habeamus ex his, colliũ ſiue capitũ, & verticum Parnaſi nomina, placuit Herodoti ſequi ſententiam, qui libro 8. denominato Vrania, illorum collium vnum

appel-

appellat Tithorea, alium verò Hyampæum,
ſic enim loquitur. *Poſteaquã e Doride in Phoci-
d. m ingreſsi ſunt Barbari, ipſos quidem Phocen-
ſes non ſunt adepti, quorum nonnulli cacumina
Parnaſi conſcenderant (qui vertex eſt iuxta Vr-
bem Neonem illic ſitam, nomine* Tithorea*) eo-
q:e ſe receperunt: ſed plures ad Locros Ozolas in
vrbem Amphiſſum, quæ ſupra Criſeum ſita eſt
campũ, omnem tamen agrum Phocenſem incurſa-
uerunt, ſic enim ducebantur à Theſsalis: & om-
nia, quæ nacti ſunt, igni, ferroque uaſtarunt,
Vrbes etiam ingreſsi, ignes in ſacras ædes inie-
cerunt. Nam peragrantes eam iuxta Cephiſſum
amnẽ, cuncta populati ſunt, & hinc Vrbem Dri-
mon incenderunt, illinc Charedram, & Erochum,
& Thetronium, & Amphicæam, & Neonem, &
Pedicas, & Triteas & Elateas, & Hyampolim,
& Parapotameos, ideſt Fluminis accolas, & A-
bes, ubi delubrum Apollinis erat locuples, &
theſauris, donarijs compluribus exornatum, in
quo, ut tunc, ita nunc redduntur oracula. Hoc
delubrum poſtquam diripuere, incenderunt. Pho-
cenſium etiam quoſdam, per montana inſecuti,
cæperunt, & mulieres aliquot, quas, præ multi-
tudine ſtuprantium, extinxerunt. Prætergreſsi
quoq; e fluminis accolas, peruenere ad Panopeas,
unde bifariam copiæ iam diuiſæ fuerunt, quorum
plurima pars, ac ualidiſsima, cum ipſo Xerxe
Athenas uerſus tendens, in Boeotios, in agrum
Orchomeniorum ingreſſa eſt. Boeotij cum Medis
uniuerſi ſentiebant, quorum Vrbes viri Mace-
dones in eis collocati, qui ab Alexandro miſsi
fuerant, ſeruauerunt, uolentes planum facere
Xerxi, Boeotios ſentire cum Medis. Et hi quidẽ*

Bar-

Barbari hac iter intenderunt: Cæteri uerò cum ſuis ducibus, Parnaſum à dextra præſtringentes, ad templum, quod eſt Delphis, proceſſerunt, quidquid agri Phocenſis nanciſcebantur, id omne fœdantes. Nàm & Panopeorum oppidum deflagrauerunt, & Dauliorum, & Aeolidenſium. deò autem hac ab alijs ſeiuncti pergebant, ut direpto, quod Delphis eſt, templo, pecunias repræſentarent Xerxi Regi, qui omnia, quæ in eo templo erant memoratu digna, melius norat (ut ego audio) quàm quæ in ædibus ſuis reliquerat, permultis, aſſiduè referentibus, quum alia, tum præcipuè Crœſi Halıaſtıs filij donaria. Hoc Delphi quum audiſſent, in extremam prorſus deuenere formidinem, qua attoniti, Deum de ſacra pecunia conſultarunt, numquid eam humi defoderent, an in alium locum transportarent. Eas, Deus illis interdixit, ne amouerent, ſe enim ſuffecturum eſſe, ad res ſuas tutandas. His auditis Delphi de ſemetipſis curandum putarunt, liberis uxoribuſque in Achaiam traiectis: plerique uertices Parnaſi ſuperauerunt, & ad Corycium antrum, quidam ad Ampliſſam Locridem ſe ſubduxerũt. Deniquè omnes Delphi urbem deſeruerunt, præter ſexaginta uiros, ac Prophetam ideſt uaticinum. Poſtea uerò, quam Barbari ſubeuntes appropinquabant, templumque cernebant, interim Propheta, cui nomen erat Aceratos, inſpicit antè delubrum ſacra arma prolata è conclaui, quæ intus propoſita fuerant, quæ nefas erat, cuiquam mortali contingere. Quod oſtentum iis Delphis, qui aderant perrexit nunciatum. Vbi Barbari properantes peruenere ad fanum Mineruæ, quod eſt antè templum, tum uerò etiam maiora, quàm ſuperius

rius

rius prodigia repreſentata ſunt, res profectò hæc ualdè miranda. Nàm arma martia ſua ſponte extra delubrum propoſita apparuerunt, quod tamen ſecundo loco actum eſt, ex omnibus miraculis maxima eſt admiratione dignum. Quum enim Barbari ad ſacellum Mineruæ, quod eſt ante tẽplum accederent, interea è Cælo flumina in eos deciderunt, & à Parnaſo duo abſciſſi uertices, magno cum fragore ſunt deuoluti, permultoſque eorum interceperunt: atque ex ipſo ſacello Mineruæ, uociferatio iubilatioque extiterunt. Quibus omnibus pariter ingruentibus, terror incuſſus eſt Barbaris, ut fugæ ſe mandarent. Ea re cognita, Delphi deſcendentes, magnam eorum ſtragem edidere. Qui ſuperfuere, rectà ad Bæotios effugerunt, & quum rediſſent, referebant, ut ego accipio, alia ſe, pter ea, que dixi, miracula uidiſſe, duos armatos, humana natura auguſtiores, inſtitiſſe ſibi, cædem facientes atque inſequentes. Hos duos, Delphi aiunt, indigenas heroas eſſe Philacon, & Autonoen, quorum fana uiſuntur, Philaci quidem ſecundum ipſam uiam, ſuper ædẽ Mineruæ: Autonoi uero prope Caſtalium, ſub Hyampeo *uertice. Saxa, quæ à Parnaſo deciderunt, adhuc ad noſtram uſque memoriam integra extant in fano Mineruæ protemplaris locata, ad quod per Barbaros deuoluta peruenere. Atqui hic receptus à templo horum uirorum fuit.* Quod autem ait ſe non ſomniaſſe, ſiuè dormiſſe in Monte Parnaſo, ex eo dictum eſt, quia ſicut ſabulabantur, dicentes eos, qui bibiſſent ex aqua Fontis Hippocrenes, repentè, abſque alio ſtudio, ſolo Muſarum beneficio, poetas euadere, ſic etiam affirmabant, eos qui dormiſ-

ſent

ſent in Parnaſo, vel in aliquo, ex Montibus illi vicinis, Helicona, & Cytherona, idem munus conſecuturos. Quæ etiam fabula, antiquis intacta, apud recentiores recepta fuit, anſam illi prebente eodem Heſiodo, aſſerente ſe Poetam factum, viſis muſis, dum ſui patris in Parnaſo paſceret oues, id enim acceperunt quaſi dixiſſet, ex eo quia dormierat in Monte Parnaſo, indeque, quemcumque ibi, & in tota circumuicinia dormientem, putant poetam euadere. Quod & Propertius innuit l.3. Eleg.2

Viſus eram molli recubans Heliconis in ũbra
Bellorophontæi, qua fluit humor equi.
Reges Alba tuos, & Regum facta tuorum
Tantum operis neruis hiſcere poſſe meis
Paruaque tam magnis admoram fontibus ora,
Vnde Pater ſitiens Ennius ante bibit.

Et hic forte etiam Ennium deridet, qui dixit ſe per ſomnium quod dormierat in Parnaſo, vidiſſe Homeri animam in ſe veniſſe, indeque ſe factum poetam: idque de ſomnio, & animarum migratione repetet Satyra 6. illis verbis. *Cor iubet hoc Enni poſtque deſtertuit eſſe Meonides Quintus &c.*

VT repente ſic poeta prodirem. Repente idem valet, ac illicò, ſubitò vel ſtatim, & videtur dictum à ῥέπας quod eſt propendeo, vergor aut inclino, res namque ſubitò fertur in id ad quod inclinat, vel propendet, vt videmus in lance. Et ſic accepit Cicero Familiarium lib.4. Epiſtola 4. dicens. *Ipſe Cæſar, accuſata acerbitate Marcelli (ſic enim appellabat) laudataque honorificentiſſime, & equitate tua, & prudentia, repente, præter ſpem, dixit, ſe Senatui roganti de*

Mar-

Marcello, ne hominis quidem cauſa, negaturum. Exprimitur autem his verbis, emphaſis non vulgaris, non enim ſolum ſignificatur repente, hoc eſt abſque vllo temporis interuallo, quod eſt nihilominus neceſſarium in quolibet negotio, & maxime in cultu Muſarum, ſed inſuper præmittitur tò ſic, quo videtur ſignificari, ex ſolo enthuſiaſmo, & afflatu Muſarum Parnaſum incolentium, ex illiterato egregiũ poetam ſe conſtitutum.

HELICONIADESQ: pallidamq; Pirenē. illis relinquo quorũ imagines lambunt hederæ ſequaces. Legunt nonnulli Heliconides, & ita ratio metri videtur exigere, ita namque huius verſus primus pes eſt anapeſtus, ſecundus vero iambus: diximus autem ex Horatio, verſum iambum in locis paribus, alios pedes præter iambos non admittere: legendo verò Heliconiades etiam ſecundus pes foret anapeſtus: ſed nihilominus placuit legere Heliconiades, ad exprimendam affectatam iactationem illorum pſeudopoetarum, quos nunc irridere intendebat, nam aucto ſyllabarum numero, additaque in medio dictionis vocali grandiſona, vaſtioris ſoni verſus efficitur, nec curat metri leges ſeruare, vt morem exprimat eorum quos ridet, qui ſonos, & voces captabant magis quam res. Heliconidarum autem nomine intelliguntur Muſę, per patronimicum loci qui eſt illis ſacer, cuique præſident, vel quem incolunt. Vt autem diximus Helicon eſt Mons Bœotiæ, propè Phocidem, quindecim tantum paſſuum millibus à Parnaſo diſſitus, huic oppoſitus, & ęmulus, tàm ambitu ſiuè circuitu, quam altitudine

tudine, vndè vterq; horreſcit niuibus, & ſaxea aſperatur rupe: & quum ambo ſint Apollini, Muſis, Baccho, ac Nymphis ſacri, putabantur ambo religione venerabiles, & erant execrabiles ſuperſtitione.

PALLIDAMQVE pirenẽ. Pirenes ſi ſcribatur per ypſilon, eſt mons, Hiſpaniam à Gallia diſterminans, ità dictus à πῦρ nempe ab igne, quia eius montis ſyluæ, igne, vel fortuito, caſuque fulminum excitato, vel iniecto à ruricolis, & paſtoribus, frequentèr conflagrauerant. Niſi mauis ità appellatũ à Pyrene puella, Bebrycis Regis filia, ab Hercule compreſſa, & imminuta, atque in eo monte à feris laniata, ibidemq; tradita ſepulturæ: & quamuis quocumque ex his modis acciperetur, poſſet ei conuenire poſitum hic epitheton, pallidæ, ob duo tamen argumenta vtramque reſpuere cogor intelligentiam: primum quia tunc in iambico ſenario, Pirrichius quintam occuparet ſedem, quod foret contra huius iambici rationem. Secundum & validiùs, quia non videtur ratio, quur Poëta, montem iſtum relinquere velit ſummis illis vatibus, quibus poſitæ erant ſtatuæ, quando mons iſte, tunc tẽporis, à Barbaris, paſtoribus, & ruricolis agreſtibus tantum incoleretur, qui nullum cum ſacris Muſis habere videbantur commercium. Quapropter ſcribendum cenſemus per epſylon iota, ſiue per j longum, vt ſyllaba ſit longa, pedẽ conſtituens iambum, proprium huius metri. Et ità Pirenes fuit puella à Neptuno adamata, quæ ex illo duos concepit, & enixa eſt filios, Cenchreum ſcilicèt, & Legeum: quæ etiã

quum Cenchreum vidiſſet, in adoleſcentiæ flore exaruiſſe, adeò inconſolabiliter illius mortem defleuit, vt Deorum commiſeratione, in hunc ſui nominis fontem conuerſa fuerit, non multas quidem habentem aquas, ſed tamen ſalubres, perſpicuas, ac ſuaues, & quum, hic fons ſit poſitus in Iſthmo Corinthiaco propè Acrocorinthum, inter duo maria Ægeũ ſcilicèt, & Ionium, loco amœno, & ſalubri, ideò à Muſis, & ſtudioſis hominibus, non minus quàm Pegaſus frequentabatur, vt colligitur ex verbis Statij Papinij lib. 2. Syluarum in Lucani Genethliaco.

Lucani proprium diem frequentet
Quiſquis collibus Iſthmiæ Diones
Docto pectore concitatus œſtro
Pendentis bibit vngulæ liquorem.

Quod dixit, quia crediderunt nonnulli et hunc etiam Fontem formatum ab equo Pegaſo, quod innuit idem Statius Papinius libro 4. Thebaidos verſu 59. his verbis.

It comes Inoas Ephyrę ſolata querelas
Cenchræęque manus, vatũ qua conſcius amnis
Gorgoneo percuſſus equo, quaque obiacet alto
Iſthmos, & à terris maria inclinata repellit.

Et ſic potuit optimè huic fonti conuenire epitheton pallidi, ſiuè ob fabuloſam Cenchrei mortem, & inconſolabiles Pirenes matris lachrymas ac dolorem; ſiue propterea, quia quum locus foret amœnus, à Muſis, & liberalium artium ſtudioſis frequentabatur, atque ità, per metonymiam loci pro locato, fons Pirene ſumi debet pro hominibns cõtemplationi addictis: contemplatio autem, ſiue vacatio

ad

ad ſtudendum,ſiue otium ſtudioſum,pallorem inducit:quandoquidem color viuidus,ſiue roſeus, naſcitur in hominibus ex multitudine ſpirituum vitalium,meantium ſimul cum ſanguine, qui, ſi quando deſint, florentem ipſum colorem,marceſcere neceſſe eſt. Et quum vitales iſti ſpiritus,ſint materia,& alimentum ſpirituum animalium, quibus vtimur, vt inſtrumento, in operationibus partis cõtemplatiuæ, in qua etiam,ob nimiam, diuturnamq; applicationem cõtinuè conſumuntur,ſed Dei, ſiue naturæ prouidentia, quotidiè per vitales ſpiritus reparantur, indeq; fit, vt ſi quis diutius perſeueret vacando contemplationi,adeò vt ſpiritus vitales,non ſufficiant tot animales reſtaurare, quot in meditatione conſumuntur & ſimul digeſtioni, motui, cæteriſque naturalibus functionibus, quum maxime,ſtudijs mancipati,minimum ſint de cibo, potuq; ſolliciti, iuxtà illud Iuuenalis ſatyra 7.

Tunc par ingenio pretium, tunc vtile multis
Pallere,& vinum, toto neſcire Decembri.

Indè neceſſariò prouenit marcor, ſqualor, & color pallidus, nequeuntibus ſpiritibus vitalibus, vltra reparationem animalium, & præſtationem aliorum officiorum,ad quæ à natura ſunt ordinati, oris etiam tribuere viuacitatem.Pirene igitur,per metonymiam loci pro locato, ſumitur hic pro ſtudioſis, vel litterario otio vacantibus,& denominatur pallida per metonymiam effectus pro cauſa,quia ſtudium, modo iam explicato, eſt cauſa palloris.

ILLIS relinquo quorum imagines lambunt hederæ ſequaces. Lambere propriè eſt lingere,

ſeu lingua ſuauiter tangere, eo ferè modò, quo canes faciunt, aut illi, qui dentibus carent, vndè Lucilius citatus ex ſatyra 23.

Iucundaſque puer, qui lamberat ore placentas

& Columella lib. 8. cap. 17. inquit. *Nam quia, dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt, mandere quidem nõ poſſunt.* Martialis autem lambere dixit de muſcis ſuper cibos volitantibus, lib. 14. epigr 67.

Lãbere quæ turpes prohibet tua prãdia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

Lucanus verò, lambere, videtur accepiſſe pro leuiter tangere l. 1. Pharſaliæ. verſu 330. dicens.

Sic & Syllanum ſolito tibi lambere ferrum.
Durat, Magne, ſitis.

Et in eadem notione de Ætna loquens Virgilius, ait lib. 3. Æneidos verſu 571.

Horrificis iuxta tonat Ætna ruinis
Interdũque atram prorumpit ad æthera nubẽ
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
Attollitque globos flãmarum, & ſydera lãbit.

Interdum etiam lambere eſt leuiter alluere, vt apud Horatium lib. 5. Carm. ode 22.

Siue per Syrtes iter æſtuoſas,
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Verum hic lambere eſt leuiter ambire, & circumcingere, in qua etiam ſignificatione vſus eodem verbo Virgilius, dicens 2. Æneidos verſu 680.

Dictuque oritur mirabile Monſtrum.
Nãque manus inter, mæſtorumque ora parẽtũ,

Ecce

Ecce leuis, ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen Apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circũ tẽpora paſci.

IMAGO propriè dicta, hoc à ſtatua differre videtur, quod hæc, ſiue è ligno, ſiue ex ære, vel marmore, aut alio ſolido corpore, compacta, trinam habeat dimentionem: illa verò tantum binam, nam dumtaxat ſuperficietenùs rem repreſentat pictis coloribus, & quoad externam corporis formã, ideſt quoad latitudinẽ, ac longitudinem abſque profunditate, quam ſola ſtatua exhibet: quamuis imaginis nomen, ad ſtatuam propriè dictam ſignificandam, tranſlatum etiam inueniatur, vt apud Virgilium lib. 2. Æneidos verſu 771.

Quærenti, & tectis Vrbis ſine fine furenti
Infelix ſimulacrum, atq; ipſius vmbra Creuſæ
Viſa mihi ante oculos, & nota maior imago.

Videtur tamen imago ad ſtatuam ſe habere ſicut genus ad ſpeciem, vnde Suetonius in Tiberio cap. 26. de eo ait. *Templa, flamines, Sacerdotes decerni ſibi prohibuit: etiam ſtatuas, atq; imagines, niſi permittente ſe, poni, permiſitque ea ſola conditione, nè inter ſimulachra Deorum, ſed, inter ornamenta ædium ponerentur.* Verum, quum mos foret, celebrium Poetarum ſtatuas, & non tantum imagines, poni in æde Camœnarum, imago hic nominata videtur per ſenecdochen generis pro ſpecie, vel ſaltem vnius ſpeciei pro alia. Afferit ergò ſe Muſarũ inuocationem relinquere, vel remittere illis, qui meruerant, vt ſibi in æde Camœnarum ponerentur imagines, ſiue ſtatuæ, nempè valdè ægregijs: & hoc modò ſatyricè, & ironicè

ambitioſos carpit Muſarum cultores, qui ſtatuas ſibi poni curabant, non ob præſtantiam in diſciplina aliqua liberali, ſed ad nomen ſibi, & honorem comparandum, debitum verè ſapientibus.

HEDERÆ ſequaces. Hedera herba eſt notiſſima, perpetuo gaudens virore, ideòque credita eſſe ſub tutela Liberi patris, quod hũc etiam fabularentur perpetua virere iuuentute. Quamquam huius tutelæ alia etiam cauſa reddi poſſit, quia ſcilicet, hac fronde coronatus, triumphans, redierit ex India, & Oriente deuictis. Nominis ethymologiam quidam deducunt ab hærendo, quamuis nedum ſcribatur ſinè diphtongo, ſed primam etiam corripiat ſyllabam: alij ex eo quod edita, ſiuè celſa petat: quamplures ex eo quod edat, nempè abſumat corpora, quibus adhęſerit. Sunt autem tres hederarum ſpecies, vna quæ nigra, & Dionyſia appellatur, propterea quod Dionyſius, videlicèt, Bacchus, ea coronatus redierit ex Oriente deuicto, à nigro baccharum colore. Alia quæ à baccharum ſimiliter colore, denominatur alba, & hæc eſt omnium pulcherrima, adeò vt dixerit Virgilius, Ecloga 7. verſu 37.

Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hyblę
Candidior Cycnis, hedera formoſior alba.

Tertia, quæ à Clauiculis, quibus corpora circũamplectitur appellatur Helix, nã clauiculas iſtas ἕλικας Græci nominant: Et hæc, quãuis nullũ adferat fructũ, ob frondium tamen exiguitatem, & angulorum diuerſitatem, omnium exiſtimatur concinnior. Commune

eſt

eſt autem omnij hederarum generi, adhærere corpori iuxta poſito, quo nixa, etiam ſi per ſe ſtare nequeat, ad quamcumque ſurgere altitudinem: & propterea meritò denominatæ ſunt hederæ ſequaces; ſequuntur enim corpora, quibus adhærent, quorum virtute, ad maiorem etiam, quam ipſe habeant, nonnunquam ſurgunt altitudinem Verum quaſi proditoriè ea corpora ſuo complexu necant, quæ, quaſi ex nimia charirate, arctè amplecti videbātur. & propterea vetuſtatis ſunt ſymbolum, nam ſemper circa arbores, vel ædificia vetuſtate conſumpta, aut ruinoſa ſaxa, cernūtur: & hæc eſt alia ratio, quare credatur ſacra Baccho, ſicut etiam vinum à vetuſtate laudatū, Baccho ſacrum creditur: immò ferunt hederæ folia commanducata, ebrietatis, quaſi à vino cauſatæ, quandam ſpeciem repreſentare, & incitare mentē ad furorem. Vt autem elegiacis Poetis dabatur corona ex myrtho, arbore credita funebri, & nihilominus Veneri dicata: epicis ſiuè heroicis laurea, propria Imperatorum triumphantium, quaſi quod facta, dictis, illi ęmulentur: ità tragicis hederacea; quia per hederam ſignificatur ars, & induſtria, peruigili parta labore: ſiquidem, vt diximus, hedera ſuapte vi, imbecilla, humi ſemper reperet, neque ſe vnquam attolleret, ſed pertinaci quaſi labore, artificioſoque conatu, arboribus, vel parietibus adhęrens, paulatim irrepit, vt ſupra faſtigia victrix euadat, & in ſupremo vertice dominetur, vtroque enim opus eſt, ſi quis excellere velit, ſi autem non excellueris, nihil proficies, nàm mediocres eſſe, poetis, non

homines,non Dij, non conceſſere columnæ. Quod autem hic dictum, ſe relinquere Muſarum inuocationem illis poetis, quorum imagines lambunt hederæ ſequaces, duplicem ſenſum habere poteſt, primum, ſe hanc inuocationem relinquere illis poetis, qui, eo quod excelluerant in Tragœdijs ſcribendis, habebāt poſitas ſtatuas in æde Camœnarum, ornatas, ſiuè coronatas hedera ſemper virenti. Secundum, quod eamdem relinquat illis, ſiuè Tragicis, ſiuè heroicis, aut lyricis, quibus antiquitus poſitæ fuerunt ſtatuæ, hiſque, vetuſtatis merito, hederæ innatæ. Conuenientia huius ſecundi ſenſus oſtenditur, ex eo quia innuit actum ſequelæ hederarum, & quia dat intelligere morem inuocandi Muſas, frequentatum ab antiquis, iam ferè obſoleuiſſe. Verum contra ipſum non leue militat argumētum, nimirum, quia non videtur veroſimile, adeò habitas incuriosè, vt, ſiue hæredes, ſiue publici cuſtodes, ſinere debuerint circa eas hederas naſci: & preterea Perſij intentio erat, ſui temporis, non vero antiquos poetas irridere.

IPSE ſemipaganus ad ſacra vatum carmen adfero noſtrum. Semipaganus dicitur à ſemis nempè dimidium, & paganus, Paganus verò eſt pagi, ſeù villæ habitator. Scio apud Iuriſconſultos, & alios, paganos militibus opponi, vndè Appianus libro de bellis Mithridaticis ait. *Nec Murena quicquam remiſit de priſtina vehemētia, tunc quoque incurſans fines Mithridatis, qui aperto iā bello ſe peti exiſtimans, Gordium iuſſit inuadere vicos finitimos. Ille mox iumenta multa, impedimentaque, & tam paganos,*

nos, quam milites comprehendit, & caſtra ſua Murenæ caſtris in aduerſa ripa oppoſuit, pugnæ verò neuter fecit initium, donec Mithridates venit cum maiore exercitu. Et propterea antiqui Chriſti cultores, idololatras, quod ſub Chriſti vexillo non militarent, etiam ſi Romæ, vel in alia Vrbe præclara, nati forent, Paganos, vt etiam nunc, appellabant. Et quia vita eorum, qui ſedulam liberalibus diſciplinis nauant operam, quædam quaſi militia reputatur, horum etiam nomen à Pagano diuerſum eſt, vnde & eorum peculium dicitur *quaſi caſtrenſe*, vt, militum propriè dictorum, abſolutè *caſtrenſe*. Denominantur autem pagani, vel à πηγῆς, ideſt à fonte, quia qui ex eodem bibebant fonte, ad eamdem villam pertinere credebantur: vel ἀπό τῶν πηγῶν, à fontibus, ruſtici enim, quo facilè habeant aquationem, circa fontes habitare gaudent. Pagani ergò iuxta nominis ethymologiam, illi dicuntur, qui, pagos, ſeu villas, & rura incolunt: & quia in huiuſmodi locis, difficile valdè eſt inuenire gymnaſiarchas, aut alios introducentes, vel initiantes ad ſacra Muſarum, & ad exercitia rerum Ciuilium, ideò frequentèr huiuſmodi ruricolæ, ſiuè pagani, inciuiles ſunt, & incultorum morum. Verum quod hic denominet ſeipſum ſemipaganum, ex eo factum, quia fortè voluit indicare locum natiuitatis, qui, vt diximus, fuit Volaterra, ex quo, duodennis Romam migrauit, & qui, Romæ comparatus, villa, vel rus dici potuit. Vel ità ſeipſum denominauit, ex oppoſito ad faſtum, arrogantiamque illorum poetarum, quos in-

tendebat arguere, quiue vtcumque carmen aliquod panxiſſent, totos ſe Hippocrenes liquores bibiſſe gloriabantur, ſeſeque efferebant, nedum, vt Ciues Romanos, ſed etiam vt poetarum elegãtiſſimos, dignoſque Muſarum, & Apollinis commenſales. Horum ergo comparatione, ſe, etiãſi Romanum Ciuem, & equitem, nominat ſemipaganum, quaſi rudem adhuc, illimatum, & imperfectum: qua ſua modeſtia, mirè illorum eleuat arrogantiam.

AD ſacra vatum carmen adfero noſtrum. Hũc locum bifariam interpretari poſſumus, primò, vt ſacra vatum ſint aliorum, maiori de gente Poetarum, iudicia, iuxta antiquam conſuetudinem recitandi alijs ſuas lucubrationes. Sicut enim athletæ (& idem erat in alijs facultatibus) prius quã legitimi cenſerentur agoniſtę, ſua, pantagoniſtæ, nomina dare, & per examen illi ſe probare tenebantur: ità qui de Poetarum numero eſſe cupiebant, ſua ſcripta Poetis ſelectioribus communicare, eorumque iudicia ſubire adſtricti erant: & hæc erat Muſarum Orgia, in qua Poetæ cultiores, & eruditiores ſe habebant, vt horum ſacrorum antiſtites, & Sacerdotes, indeque Papinius in Genethliaco Lucani, hunc appellat Romani chori Sacerdotem lib. 2. Syluarum.

Lucanum canimus, fauete linguis,
Veſtita eſt iſta dies, fauete Muſæ.
Dum qui vos geminas tulit per artes,
Et iunctæ pede vocis & ſolutę.
Romani colitur chori Sacerdos.

Et ita ipſe Poeta ſemipaganus, ideſt ruſticus, & incultus, defert ſua ſcripta ad ſacra va-

vatum, ea ſubmittens examinanda doctiorum iudicijs. Secundo, vt ſacra vatum intelligatur eſſe Bibliotheca Palatina. Siquidem, vt Suetonius refert in Octauio cap. 29. *Templũ Apollinis, in ea parte Palatinæ domus excitauit, quã fulmine ictam, deſiderari à Deo, haruſpices pronunciarant Addita porticus cum bibliotheca Latina, Græcaque;* Et lege decreuit, quamcumque nouam lucubrationem ibi ſacrandam, quod innuit Horatius dicens lib. 1. epiſt. 3.

Quid mihi Celſus agit? monitus multũq; monẽdus
Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Hanc ergo, ſiue doctiorum virorum cenſuram, ſiue Palatinam Apollinis Bibliothecam, appellat ſacra vatum, ad quæ ſua carmina defert.

QVIS expediuit Pſittaco ſuum χαῖρε? Hæc eſt ſecũda pars huius proœmij, quæ tota ferè verſatur in irriſione cęterorum ſui tẽporis poetarum. Falluntur autem credentes, Perſium hic, aſſerentem ſe famis neceſſitate compulſum Satyras ſcribere, de ſe ipſo intelligere. Non eſt enim veroſimile, eum, qui nedum foret eques Romanus, &, iuxtà ſuum ſtatum, cõmodę, ſufficientiſque opulentiæ, ſed eruditione præſtaret, frugalitèr viueret, & Stoicam, ideſt diuitiarum contemptricem philoſoficam ſectam ex animo profiteretur, munera, vel diuitias appetere voluiſſe, vel ad eum finem carmina recitaſſe. Maximè quum munera affluentèr dentur adulatoribus, etiã falſo laudantibus: reprehendentibus, verò nedum talia negentur, ſed inſuper inimicitiæ ſunt paratæ.

Vndè quum ipſe magnates, ciueſque omnes, & ipſum Principem intenderet reprehendere, omniumque deprauatos mores exagitare, mentis omninò emotæ ſe probaret, ſi talia recitans, præmium, aut vtilitatem aliquam inde ſperaret. Non ergo de ſeipſo, ſed de plerisque alijs ſui temporis ſcriptoribus, loquitur, quibus remiſerat Heliconiades, pallidamque Pirenem; certum eſt autem fuiſſe ſuo tempore Romæ nonnullos, qui anguſtia rei familiaris, impellebãtur ad ſtudia foréſia, ſed multo plures, qui ad poetices, vt ad putata faciliora, ex quibus non pauci, quum vtcumque verſum pedibus inſtruxiſſent, ſeipſos efferebant tamquam Virgilio digniores. In quam ſententiam ſic Eumolpum loquentem inducit, Perſio tempore æqualis, Petronius Arbiter in ſuo Satyrico. *Multos ò iuuenes, carmen decepit, nam vt quiſque verſum pedibus inſtruxit, ſenſumque teneriorẽ verborum ambitu intexerit; putauit ſe continuè in Heliconem veniſſe: ſic forenſibus miniſterijs exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatẽ, tanquam ad portum faciliorem refugerunt, credentes facilius poema extrui poſſe, quam controuerſiam ſententiolis vibrantibus pictam. Cæterum neque generoſior ſpiritus vanitatem amat, neque concipere, aut edere partum mẽs poteſt, niſi ingenti flumine litterarum inundata. Effugiendum eſt ab omni verborum, vt ita dicã, vilitate, & ſumendæ voces à plebe ſubmotæ, vt fiat,* odi profanum vulgus, & arceo. *Præterea curandum eſt nè ſentẽtiæ emineant extra corpus orationis expreſſè, ſed intexto veſtibus colore niteant, Homerus teſtis, & Lyrici, Romanuſque*

Vir-

Virgilius ; & Horatij curioſa felicitas : cæteri enim aut non viderunt viã qua iretur ad carmẽ, aut viſam timuerunt calcare . Hos ergo pſeudo poetas nunc reprehendit, docens non ideò eos poetas factos, quia muſas viderint, aut quod ex fonte Hippocrenes bibiſſent, vt profitebãtur, ſed quia, vt aues, ſame ſtimulante, humanas voces, etiam non intellectas, vtcumq; ſtrepunt, & imitantur, ſic iſti verſus faciunt neceſſitate impellente, ſpoliatos tamen eruditione, & virtutibus proprijs poetarum. Dicit ergò: *Quis expediuit*. Expedire propriè eſt auferre pedum ligamina, ſicut compedes diſſoluere, & extricare: ſed generalius ſumitur pro auferre quęcumque quorumuis membrorum vel rerum impedimenta, quocumq; id fiat modo, ſiue manibus, vel adhibitis inſtrumentis, ſiue aſſuefactione per actuum frequentationẽ, ſiue etiam conſilio. Hinc Pamphilus, quum Dauo ſeruo dixiſſet apùd Terentium Andria Actu 3. Scena 5.

Ehodũ bone vir, quid ais ? viden' me conſilijs tuis
Miſerum impeditum eſſe? Dauus reſpondet. *At*
iam expediam. Pan. *Expedies*? D. *Certe Pamphile* P. *Nempè vt modo*? D. *imò melius ſpero*.
P. *Oh tibi ego vt credam durcifer*:
Tu rem impeditam, & perditam reſtitues ?

Sic Parmeno apud eumdem Terentium Hecyra Actu 3. Scena 1. Pamphilum alloquitur dicens.

At ſit, citius qui te expedias his ærũnis, reperies.
Si non rediſſes, hæ iræ factæ eſſent multo ãpliores
Sed nunc aduẽtũ tuũ ambas Pãphile ſcio reuerituras,

Rem

Rem cognoſces, iram expedies, reſtitues rursũ in (gratiam.

Vult ergo dicere quod quemadmodum pſittaco, alijſque auibus, ad humanas voces formandas, naturalia adſunt linguę impedimenta, auferuntur nihilominus iſta ex aſſuefactione, & actuum frequentatione, impellente fame, adeò vt voces humanas perfectè imitentur, vt dicere potuerit Papinius libro 2. Syluarum in Pſittaco Melioris.

Pſittace dux voluerum domini facunda voluptas.
Humanæ ſollers imitator Pſittace linguæ.

Sic plerumque homines, alioqui rudes, neceſſitate impelluntur ad bonas artes, & ad ipſam poeticen, quicquid ſit an in ipſis eminẽtiam conſequi valeant.

PSITTACO. Pſittacorum multæ ſunt ſpecies, quibus omnibus commune eſt, humanarũ imitatio vocum. Eſt autem Pſittacus auis Indica, & nihilominus inuenitur, etiam in quibuſdam Inſulis Oceani Occidentalis. Eius magnitudo eſt fere quanta palumborum, vel ſylueſtrium columbarum, color viridis, niſi quod ceruicem habet aureo quaſi torque, miniatam: aliqua etiam pſittacorum ſpecies, ignea fere rubedine coloratur Roſtrum habet aduncum ad inſtar carniuorarum, & rapaciũ, illudque adeò durum, vt quum ex altiſſimo loco præcipitatur in petram, illo quaſi anchora: & fundamento, reliquum excipiat, & tueatur corpus. Capitis quoquè magnam habet firmitatem, vt poſſit ferrea clauicula, quaſi ferula, tundi, ſi quando opus fuerit admoneri à magiſtro, vt eius perſentiſcat imperium, & humanas

manas citius voces addiſcat. Hoc autem feliciter præſtat quum eſt adhuc pullus, vſque ad ætatis biennium, tunc enim illius os, & lingua tenera facile, ad magiſtri imperium conformatur, ac conuibratur: captus verò ſenex, aut ætatis prouectæ, indocilis eſt, & obliuioſus. Nec quilibet pſittacus eſt æque aptus diſciplinæ humani ſermonis, immò in ea excedit, qui glandibus veſcitur, & cui quini in ſingulis pedibus digituli numerantur, is enim adeò expeditè loqui didicit, vt eum audiens, & non etiam videns, poſſis negare auem eſſe quæ loquitur. Habent omnes pſittaci linguā latiorem, plectrumque, ſiuè palatum cæteris auibus patentiorem, in qua linguæ palatique latitudine, cum pſittacis communicant corui, picæ, & aliæ aues humanas imitantes voces. Eas autem tantum pronunciant voces, quas didicerunt, & hinc eſt quod ſi forte conuiciá audierunt, diebus conuiciantur, ac noctibus: ſi vero laudes, & ſalutationes, tales paſſim perſtrepunt. Indè legimus quendam Pſaphum ſiuè Apſephum nomine, Lybiæ Regem, & omni vitiorum genere, tota vita inquinatiſſimū, Diuinitatis tamen inſanientem cupiditate, vt, ſaltem poſt mortem, crederetur, colereturque, vt Deus, pſittacos, aliaſque aues humanarum vocum imitatrices, caueis incluſas, domi habuit, eaſque ſolerter dicere docuit *μὲγας Θεός Ψάφις*, ideſt magnus Deus Pſaphus: vel vt alij referūt Αψεφᾶς Θεὸς ἐςι nempè Pſaphos, vel Apſephos eſto Deus. Et quum morti proximus foret, ſuis mandauit, vt illico, ac eum vidiſſent extinctum, caueas

reſe

reſerarent, aueſque omnes in ſyluas abire ſinerent, quod ita factum eſt: illæ autem nactæ libertatem, in ramis arborum conſidentes, voces quas didicerant ſingulis reddebant horis, eaſque alias ſyluestres etiam aues docuerunt. Ex quo factum, vt ruricolæ, & paſtores primo, deinde Milites, & vrbani, audientes totos montes ſtrepere, & ſonare, Pſaphum eſſe magnum Deum, putanteſque Numinum afflatu aues talia loqui, vel ipſas ſic loquentes, nõ veras aues, ſed in earum forma, Deos eſſe, ſuũ Pſaphum ad Deorum migraſſe collegium crediderunt, ideoque Diuinos illi honores decreuerunt. Pſittacus ergo humanas imitatur voces, & hic dicitur propriam ipſius eſſe Χαῖρε nempè ſalue, aut Aue, quia hanc præ cæteris facillime addiſcit, vt cecinit, etiam Ouidius, vel quiſquis eſt ille author carminis Philomela.

Pſittacus humanas depromit ore querelas.
Atque ſuo Domino χαῖρε valeque ſonat.

Quod etiam expreſſit Martialis in Apophoretis ſeu lib. 14. diſticho 71.

Pſittacus à vobis aliorum nomina diſco.
Hoc didici per me dicere, Cæſar Aue.

Nec tantum aues hic memoratæ, ſed aliæ etiam humanas addiſcunt, & imitantur voces, vndè Nazianz. in præceptis ad Virgines iuxta tranſlationem Iacobi Billij, ait.

Iam vero perſpice quantum.
Ars hominum efficiat, naturæ iura reſoluens,
Sturnus enim noſtras condiſcit reddere voces,
Atque aliena ſuo garritu verba profari,
Quæ viſa in ſpeculo ſturni depicta figura

Edo-

Edocuit virque ingenio præclarus, & arte
Stans retro, ſturnũ, ſturniq; in imagine fallens,
Dum ſua furtiua modulatur carmina voce.
Nec minus humanum videas effingere coruos
Eloquium, ac noſtris crebro ſermonibus vti.
Sic etiam in cauea pulcher canit ore recuruo
Pſittacus, & voces hominum mentitur, & aures
Cantu ſepe ſuo noſtras, auis improba, fallit.

PICASQVE docuit verba noſtra conari: Pica nomen quamuis videatur fœmininum, reuera tamen eſt commune, tàm maſculis, quam fœminis. Hæc auis frequẽs eſt in noſtris ſyluis, ideoque minoris extimatur, quam pſittacus, cui raritas, & longa peregrinatio pretium auget. Eius magnitudo eſt aliquantum deficiens à Syluestri palumbe: color plumarum, reliquo quidem corpore, ceruleus, ſed in alis varius, & multiplex: hæc auis videtur eſſe coruini generis, vndè, ad inſtar coruorũ, Autumno caluefcit, corui namque dicti ſunt φαλακρο κοραχὸς nempe calui, κὸ ραξ enim eſt coruus, & φάλακρος caluus: ſic etiam ad inſtar corui, magnum, & oblongum habet roſtrum, &, vt coruus, atq; pſittacus, humanas imitatur voces, idque tàm exactè, vt dicere potuerit Martialis lib. 14 diſticho 74.

Pica loquax, certa dominum te voce ſaluto:
Si me non uideas, eſſe negabis auem.

Et Naſo, vel quis alius ſit author carminis de Philomela.

Pica loquax, uarias modulatur gutture uoces
Scurrili ſtrepitu, quicquid, & audit, ait.

Indè pro garrulitatis habetur ſymbolo, adeo vt rudis etiam plebecula, garrulos, pi-

cas appellitet, quia hęc eſt loquaciſſima auium,& ſingulis ferè diebus diuerſam emittit vocem,ideoque Baccho ſacra habebatur, quia,quemadmodum ebrij linguam cohibere non poſſunt,ſed potius, Arcanum demens detegit ebrietas,& vt ait Horat.lib 1. epiſt. 5.

Facundi calices, quem non fecere diſertum?

Ita pica ſua garrulitate,quaſi ebria, Baccho addicta viſa eſt.Nec humanas tantũ imitatur voces, ſed & balatũ ouium, mugitũ boũ,hinnitũ equorum, & alias huiuſmodi, immo &, quod magis mireris, tubarum,& muſicorum inſtrumentorũ ſonos:vnde refert Plutarchus de quadam pica, quæ alioqui loquaciſſima, auditis buccinatoribus, tubis, alijſque inſtrumentis,quibus Magnas quidam ad ſepulturam efferebatur,eueſtigio obmutuit,altumq; diebus aliquot,ſilentium tenuit: deindè,quaſi expergefacta, omnẽ eum buccinarũ ſonum,harmoniam,& numeros, ſumma cum omnium admiratione, perfectè reddidit. Nec id pręſtant tantum, quæ caueis educantur, verùm etiam ſylueſtres in ipſis nemoribus: quod inter quadrupedes ſoli hyenæ cõceſsũ vel etiã Crocutæ:vt author eſt Plinius,lib.8. cap. 30. dicens de hyena. *Multa mira tradũtur,ſed maximè ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula aſsimulare, nomenque alicuius addiſcere, quem euocatum foras, laceret. Item uomitionem hominis imitari, ad ſollicitandos canes,quos inuadat.Huius generis coitu, leęna Aethiopica parit crocutam,ſimiliter uocem imitantem hominum,pecorumq;.*Fabulantur autẽ Poetæ in has aues transformatas fuiſſe Pierij ſi-

filias, quę de vocis, & artis Muſicę excellentia, cum ipſis Muſis contendere auſę fuerant, quando Nymphę, ab ipſis Pieridibus electæ arbitræ, iudicauerant Muſas in omnibus excellere, cui iudicio quum Pierides acquieſcere nollent, immò conuinciari perſeuerarent, & manus etiam in Muſas intenderent, eapropter iſtæ, illarum impulſæ temeritate, eas in has aues transformarunt, vt vna Muſarum Mineruæ refert apud Ouidium libro 5. metamorphoſeos dicens.

Conatęque loqui, & magno clamore, proteruæ:
Intentare manus, pennas exire per vngues
Aſpexere ſuos, operiri brachia plumis,
Alteraque alterius rigido concreſcere roſtro
Ora videt, volucreſque nouas accedere ſyluis.
Dumq; volūt plangi, per brachia mota leuatę,
Aere pendebant, nemorum conuicia, picæ.
Nunc quoq; in alitibus facūdia priſca remāſit:
Raucaq; garrulitas, ſtudiūq; immane loquēdi.

VERBA noſtra conari. Conari eſt adhibere operam, ſeduloque niti, vt quidpiam fiat, ſic dictum à κονεῖν ſiuè κονίζειν, ideſt certare, vel ad certamen ſe pręparare: nàm propriè κόνις eſt puluis, quo athletarum corpora ante luctam, obducebantur. Hinc quum Myſis Pamphilo de Glycerio dixiſſet apud Terentium Andriæ Actu 1. Scena 3.

Tum autem hoc timet.

Nè deſeras ſe. Reſpondet Pamphilus. *Hem, egone iſtuc conari queam?*

Et eadem fabula eidem Pamphilo ſic loquitur ſeruus Dauus Actu 4. Scena 1.

Ego, Pamphile, hoc tibi pro ſeruitio debeo
Conari manibus pedibuſq; noctesque, & dies

Capitis periculum adire, dum proſim tibi.
Maximus autem conatus adhibendus, quum quidpiam faciendum eſt ſupra vires, & repugnante natura, ſeu, quod aiunt, inuita Minerua. Et quum nulli irrationali, nec auibus, nec ipſis etiam picis, humanam conceſſerit natura loquelam, ingens eſt adhibendus conatus, ad tales voces addiſcendas reddendaſque, ideoque conari dixit.

Inter verſum: *Quis expediuit pſittaco ſuum* Χαῖρε, & alium nunc explicatum *Picaſque docuit verba noſtra conari*, interſerunt aliqui hunc aliũ *Coruos quis olim concauum ſalutare*, quem nunquam, vt genuinum Perſij recipere potui: videbatur enim indignus Perſiana grauitate, & loquendi proprietate; quis enim perſuaderet ſibi, Perſium adeò puerilitèr, ad exprimendam naturalem coruinæ vocis raucedinem, dixiſſe, illum ſalutare concauum? Indè gauiſus ſum quum repperi hunc eundẽ verſum repudiatum ab Iſaaco Caſaubono, & appellatum, vt reuera eſt, barbarum, ac ridiculum. Exiſtimo autem additum fuiſſe ab aliquo ſciolo, eo quod paulò inferiùs mentio fiat, nedum picarum, ſed etiam coruorum, vbi dicitur *Coruos poetas, & poetrias picas*, ſed quũ Noſter magnificentiam, immò magniloquentiam ſectetur, & hanc, vt dedecet dilogia, ità conuenit breuitas, etiam ſi hanc comitetur aliqua obſcuritas, non debuit hic coruum nominare, ſicut nec ibi pſittacos expreſſit. Expungendus ergò è textu verſus iſte. Eſt nihilominus coruus inter aues, quæ humanas imitantur voces, ideoque de eo aliqua ſunt di-

dicenda. Eius magnitudo eſt quanta gallinæ domeſticæ: color nigerrimus, quamuis Alphonſo Regi Neapolitano, ſub Callixto III. Summo Pontifice, ex magna Britannia, vt ſingulare munus, coruus niuei coloris allatus fuerit Roſtrum habet magnum, & oblongum, vt omne genus coruinum, quamuis ſit inter aues carniuoras, eſto aliæ, quæ carnibus veſcuntur extra hoc genus, roſtrum habeāt curuatum, & aduncum. Iuge, & quaſi connaturale habet bellum cum miluo, quod, & Cicero docuit libro 2. de natura Deorum dicens: *Miluo eſt quoddam bellum, quaſi naturale cum coruo, ergò alter alterius, vbicumque nactus eſt, oua frangit*, & experientia aliquando patuit in campis, ſeù vineis Beneuentanis, vbi innumerabilis vtriuſque ſpeciei multitudo adunata conflixit per biduum, primò ſuccumbentibus, poſtridie præualentibus coruis, magnamque miluorum ſtragem, totis illius regionis vineis edentibus. Creditus fuit coruus eſſe ſub tutela Apollinis, vel quia color niger Soli dicatus creditur, quod eius calore humana corpora nigra reddantur: vndè Brachmani atrum colorem, vt Solem venerantur: vel quia ab initio fuerat albus, quando Phœbus, quum Ioui ſacrum facere inſtituiſſet, coruum præmiſit, qui aquam de viuo fonte hauſtam, adferret: is verò per viam ficum cernens, quæ acerbos adhùc fructus haberet, tamdiù in ea conſedit, donec illi matureſcerent, indè eis ſaturatus, anguem corripuit, & aquam Phœbo deferens excuſabat, ſe paſſum anguem aduerſarium, ne citiùs aquam poſſet haurire: ſed quum Apol-

Apollo eum mendacij redarguiſſet, illum hac pœna multauit, vt quamdiù ficus lacteus foret, aquam de nullo fonte biberet: hinc corui ſiticuloſi ſunt per ſexaginta ęſtatis dies, quibus ventris profluuio laborant, crediti, tali abſtinentia, tali incommodo obuiam ire. Vel tunc quum albus erat, Apollinis meruit indignationem, quod ei nũciaſſet adulterium Coronids Lariſſęę ex ipſo Phœbo prçgnantis, quam ille propterea necauit, ſed deindè coruum indicem, nigredine multauit, teſte Ouidio 2. Metamorph.

Corue loquax ſubitò nigrantes, verſus in alas,
Nam fuit hæc quondam niueis argẽtea pẽnis
Ales, vt æquaret totas, ſine labe columbas
Nec ſeruaturis vigili capitolia voce
Cęderet anſeribus, nec amãti flumina cygno.
Lingua fuit damno, lingua faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.
Sperantemq ſibi non falſæ præmia linguæ
Inter aues albas vetuit conſiſtere coruum.

Vel deniquè, quod quum Apollo diuinationis foret Deus, debuit ſibi ſacrari coruus, ſiquidem hic credebatur cantu, & volatu futura prædicere. Hinc Plautus Aſinaria Actu 2. Scena 1. inquit.

Picus, & cornix eſt ab læua, coruus porro ab (dextera
Conſuadent, certum hercle eſt ueſtram conſe- (qui ſententiam.

Et Euclio apud eumdem Plautum Aulularia Actu 4. Scena 3. ait.

Non temere eſt, quod coruus cantet mihi nũc (ab læua manu

Se

Semel radebat pedibus terram,& uoce croci-
(bat ſua.

Et infra idem Euclio eadem Aulularia Actu 4 Scena 6.

Ni ſubueniſſet coruus,perijſſem miſer.

Phyſici etiam docent coruos , multaque alia bruta , naturali inſtinctu futuras præ-noſcere,& præcauere tempeſtates.Multa alia de coruis referuntur, ſed quod ad rem noſtrā facit, coruum eſſe loquacem, quotidiana docet experientia, & fertur , quo tempore Auguſtus ex Actiaca redibat victoria , qua Antonium deuicerat,& Cleopatram,Ægyptumque in Prouinciæ formam redegerat, inter cæteros, qui feſtiuis plauſibus , & acclamationibus ei adgaudebant , coruum fuiſſe,qui huiuſmodi eum vocibus ſalutauit: *Aue Cæſar Imperator inuicte.*Qua coruina ſalutatione delectatus Cæſar, coruū mille ſextertijs,nēpè nūmis vigintiquinquemillibus emit . Hoc præmio inuitati alij , ſimiliter coruos Cæſarem ſalutare docuerunt , quorum ille emit nonnullos, eſto non tanti , quanti priorem. Eodem tempore quidam Romæ,coruum eādē docere ſalutationem conabatur , verum is eā videbatur non apprehendere, vndè magiſter identidem dicebat, *Operam,& impenſas perdidi:* vel, vt vulgo dicitur , & in eumdem redit ſenſum, *Perdidi oleum,& operam* . Quum autem quadam die,Cæſar illac iter haberet,accidit coruum , conſueta ſalutatione ei adblandiri , dicendo , *Aue Cæſar*:cui iſte, quaſi ſtomachabundus, reſpondit,*Iam talium ſalutatorum abundè domi habeo* . Ad quæ verba,

re-

repentè coruus replieauit. *Perdidi oleum, & operam*, quo, quaſi extemporali dicto, oble-ctatus Cæſar, coruum emit, pluris etiam, quam priores. De quodam alio coruo refert Plinius lib. 10. cap. 43. eum ſolitum ſingulis matutinis diebus ad roſtra volare, ibique nominatim, ac ordine, Tiberium, Germanicum, ac Druſum Cæſares, primum, deindè Cõmunum populum generatim ſalutare, quo officio peracto ad ſua reuertebatur. Et quum quidam è vicinis ciuibus, motus, ſiue inuidia, vt populus credidit, ſiue, vt ipſe excuſabat, ſubita iracundia, quod ab eo ſui cal. cei fuiſſent inquinati, ipſum occidiſſet, populus coruicidam illũ, primum exilio, deindè etiam morte multauit: corui verò ſollennes fieri curauit, exequias, & cum muſicorũ inſtrumentorum ſonitu, eius cadauer deferri duorum Maurorũ humeris, ſepulturæque inferri ad ſecundũ ab Vrbe lapidem, via Appia, loco *Ridiculi* nominato.

MAGISTER artis, ingenijque largitor venter, negatas artifex ſequi voces. Ventris nomine intelligit famem, ſiue ægeſtatem. Dubitari tamen poteſt de veritate huius ſententiæ, quandoquidẽ paupertas, & res aduerſæ, premunt potius quam eleuent animi virtutes, ingenijque minuunt vires, adeo vt prouerbio dicatur. *Nullum animal mæſtum cantare*, & propterea Iuuenalis Satyra 7. ait.

Sed vatem egregium, cui nõ ſit publica vena,
Qui nihil expoſitum ſoleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triuiale moneta,
Hunc, qualẽ nequeo monſtrare, & ſẽtio tãtũ

An-

Anxietate carens animus facit omnis acerbi
Impatiens, cupidus ſyluarum, aptuſque bibendis
Fontibus Aonidū. Neque enim cantare ſub antro
Pierio, thyrſumue poteſt attingere mæſta
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
Corpus eget.

Certè namque ſolicitudinum curarumque aſſiduitas, ingenij hebetat aciem, & ne per amœna Muſarum volare valeat, plumbo efficit grauiorem. Vera nihilominus eſt Perſij ſētentia ſanè intellecta: Non egeſtas per ſe ingenium confert; verum, vt docet Chryſoſtomus hom.4. ad Populum, Animum vagum, effuſum, hiantemque circa multa, colligit, & ad ſeipſum attendere ſerio compellit: velut etiam Laberius, calamitatem, virtutis occaſionem vocauit, quam ſententiam confirmat Senator Aſtrologus, & Poeta Manilius lib.1.

Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quemque
Aduigilare ſibi iuſſit fortuna premendo.

Et ita premendo, quaſi per antipariſtaſim egeſtas ingenium præſtare videtur, quod, & Virgilius innuit 1. Georgic. verſu 145. dicens.

Labor omnia vincit,
Et duris vrgens in rebus egeſtas.

Quod etiam Horatius, ſibi eueniſſe narrat dicens lib.2.epiſt.2.

Dura, ſed emouere loco me tempora grato,
Ciuiliſque rudem belli tulit æſtus in arma,
Cæſaris Auguſti non reſponſura lacertis;
Vndè ſimul primum me dimiſere Philippi
Deciſis humilem pennis, inopemque paterni,
Et laris, & fundi, paupertas impulit audax,

Vt verſus facerem.

Quam ſentẽtiam firmat Gelaſimus apud Plautũm Sticho Actu 2. Scena 1.

Gelaſimo nomen mihi indidit paruo pater
Propter paupertatem hoc adeò nomen repperi,
Quia indè iam à pauſillo puero ridiculus fui,
Eo quia paupertas fecit ridiculus forem,
Nã illa omnes artes perdocet, vbi quẽ attigit.

Paupertas ergò, ſiue fames, & ventris indigentia, dicitur hic largire ingenium, quamuis hoc ſit à natura, quia premendo, impellit ad illius culturam vacandum: è contra vero qui diuitijs affluunt, ſtudiorum obliti, ingenij hebetant, & retũdunt acumen: Indè ipſe Amor, quem ponunt inter naturæ principia, patre Poro, matre vero Penia, natus dicitur, quia eum paupertas accendit. Et tamen Philoſophi diuitias honoreſque inſectantur, paupertatem vero laudibus efferunt: id autem an ex animo faciant, merito dubitat Appianus libro de bellis Mithridaticis, dicens: Archelaus *pecuniã ſacram, è Delo miſit per Ariſtionem Athenienſẽ, miſſis ſimul, ad cuſtodiam pecuniæ, duobus millibus militum, quorum opera vſus Ariſtion, tyrannum egit in patria, ciuibus alijs occiſis, propter factionem Romanam, alijs Mithridati traditis: quamuis profiteretur ſe Epicuræum Philoſophũ. Sed non hic ſolus Athenis, nec ante hunc Critias, cum ſuæ philoſophiæ ſocijs, exercuerunt tyrannidem, verum etiam in Italia Pythagorę ſectatores, & in reliqua Grecia, qui ſeptem ſapientes dicũtur, quotquot tractarunt Rẽp. ſeuius, quam idiotę abuſi ſunt tyrannidis potentia. Vnde, & de cęteris philoſophis merito ſuſpectis, dubitatum eſt,*

eſt, uirtutisne ſtudio, an in paupertatis otijque ſolatium, ſectarentur ſapientiam, quando hodieque multi, priuatam ac inopem uitam degentes, & huic neceſſitati prætexentes ſapientiam, in diuites, ac Magiſtratus, amarulentis conuicijs debacchantur, non tam contemptu diuitiarum, honorumque, ut uidetur, quam quod hęc aliis inuideant. Sed multo ſapientiores, qui contemnunt ipſorum conuicia. Quod autem dixit. *Negatas artifex ſequi uoces,* helleniſmus, ſiuè idiotiſmus eſt, familiaris Perſio, & ſcriptoribus alijs, tam Græcis, quam Latinis; vnde, & Satyra 1. dicit. *Nec ponere lucos artifices.* Eſt autem ſequi, id ē ac facere ſequi, vt vnum verbum ſit poſitum loco duorum, nam venter, ſiue fames, dat ſequi, & imitari voces, & artes, à natura negatas.

QVOD ſi doloſi ſpes refulſerit nummi. Refulſerit, eſt lectio communis, in aliquibus tamen codicibus legimus *Refulgeat:* ſed quocumque ex his modis legatur, idem ſeruatur ſenſus, ſignificatur enim res repente, & quaſi caſu eueniens, ſiue pręter ſpem, & meritum eius cui accidit. Eſt autem refulgere propriè idem, ac micare ſiue ſplendere, quod conuenit aſtris, igni, gemmis, calybi, marmoribus, & corporibus nitidis, quæ lumen, aliunde receptum, reflectunt, ac reuerberantur, & ita micant, ac refulgent. Verum quum hic ſit ſermo de fulgore, & apparentia rei ſperatæ, ſeu lucri ſe manifeſtantis, ſenſus eſt metaphoricus, nam ſpes oſtendit rem ſperatam, ſicut fulgor rem fulgentem.

DOLOSI nummi. Nummus dictus eſt doloſus per metonymiam cauſæ, quia multos in dolos

impellit,illos videlicet qui,experti,longam, & difficilem fore viam, eo potiundi per virtutem,& bonas artes, ad compendiariam,furtorum,fraudum, & ſycophantiarum conuertuntur,quæ vitia,nummo, vt cauſæ,tribuuntur. Vel dicitur doloſus,quia ſemper decipit,promittens felicitatem, quum nequeat dare niſi miſeriam. Eſt autem hæc ſententia: ſi poetæ iſti inſulſi,ineptique, ex mendicabulo, & panis egeſtate,Heliconam venientes, Mœcenatē aliquem nacti fuerint, tantos aſſumunt ſpiritus,adeoque ſibi blandiuntur,vt quamuis Bauij ſint, vel Meuij,Marones ſibi videantur,& tales credi velint ab alijs, nec Flacco,vel Naſone inferiores. Circa paupertatem,& amorē pecuniæ,libet Petronij duo,ex Satyrico, Epigrammata ſubijcere,primum.

Quid faciant leges,ubi ſola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas uincere nulla poteſt?
Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnumquam nummis uendere uerba ſolēt.
Ergo iudicium nihil eſt niſi publica merces.
Atque eques in cauſa qui ſedet,empta probat.

Alterum vero tale eſt.

Quisquis habet nummos,ſecura nauigat aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen,ipſumque licebit
Acriſium iubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat,declamet, concrepet omnes,
Et peragat cauſas,ſitque Catone prior.
Iuriſconſultus paret,non paret,habeto
Atque eſto quidquid Seruius,& Labeo.
Multa loquor:quiduis nūmis præſentibus opta
Et ueniet,clauſum poſſidet arca Iouem.

COR-

CORVOS Poetas,& *poetrias picas,cantare credas Pegaſeium melos*. Senſus eſt, quum indoctis,& malis poetis lucri ſpes offertur, induſtria,atque labore,in tantum aſſurgunt,vt putare poſſis, eos harmonicos Muſarum cantus aſſecutos. Quod autē nominans coruos atque picas,dicat eiuſmodi melicè cantare, bifariam interpretari poſſumus,primo de eo cantu,quo hæ aues humanas voces imitantur, in quo certe genere excellunt, & ita ſenſus eſſet:malos poetas, propoſita ſibi præmiorum ſpe,nō numquam excellentes euadere. Secundo de cantu proprio eorum naturæ, qui certe ſemper eſt ingratus,ac moleſtus, et coruinus etiā infauſtus: & ita pſeudo iſti poetæ,nequeunt, niſi ſibimetipſis, aut ſibi ſimilibus videri cantare melicè. Vtcumque intelligatur,verum eſt quod hic dicitur,ſunt enim qui ſpe præmiorū allecti,ſtudio, & labore,ad veram poetarum gloriam aſſurgūt:Et ſunt qui ſemper repant, eſto ſibijpſis præclari videantur.

POETRIAS picas. In quibuſdā codicibus legitur *Poetidas*, quæ lectio manifeſtè eſt vitioſa: in alijs vero eſt,*Poetridas*, quæ ſuſtineri poſſet iuxta Græcam formationem. Sed præſtat ſeruare *Poetrias*, ſicut eadem ethymologia,dicimus ſyllogiſtria, cympaniſtria, pſaltria,ſambuciſtria &c. Nominat autem *picas Poetrias*, poetas illos, qui, quum reuera tales non ſint, pro talibus ſe venditant, vel qui,ſi forte è domeſtica paupertate, ærumniſque, emerſerint, prioris ſortis obliti, tantos aſſumunt ſpiritus, vt credi velint poetæ incomparabiles, & qui cæterorum omniū laudes obſcurauerint. Sed

quod ait *Credas cantare Pegaſeium melos*, non referrur ad iudicium doctorum, audientium eos recitantes, ſiuè legentes ſuas lucubrationes, ſed ad iudicium audientium eos ſuas laudes prędicantes, & extollẽtes. Vel *picæ poetriæ* ſunt qui è ruditate, labore, & induſtria, excitati ſpe præmiorum, ſublime volarunt, vt vere canerent *melos Pegaſeium*.

CANTARE Pegaſeium melos. *Melos* cantus ſignificat ſuauitatem, naſcentem ex apta vocis modulatione, & flexione. Pegaſeius autem melos, eſt, cõueniens Muſis habitantibus iuxta Pegaſeium, Vel, eſt proprius eorum qui Muſis, & Apolline afflati, Hippocrenes aquam bibiſſe credi poſſunt, indeque dulcem, altiſonam, & melodicam hauſiſſe ſuauitatem. Et eſto in quamplurimis codicibus, ſcriptum inueniatur *Melos*: in nonnullis tamen loco, *Melos*, eſt, *nectar*; in alijs duplicatur l, & ſcribitur, *Mellos*, quod totum euenit ex eo, nam alioquin verſus non foret ſcazon, ſiquidem prima ſyllaba vocis melos, corripitur, nedum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos, & propterea alij ſeruantes voces, earum ordinem inuertunt dicẽtes, *Cantare Pegaſeium melos credas*. Sed Caſaubonus aſſerit, eos qui talem verſum mirãtur], manifeſtare ſe, ne leuiter quidem tinctos Græcis litteris, alioquin debuiſſent cognouiſſe, quam vim habeant apud eos elemẽta liquida, cuiuſmodi inter alia eſt lambda: habent enim vim tam corripiendi, quam producendi vocalem antecedentem, vt oſtenditur ex Homero, hymno in Mercurium prope finem, Sic, & apud noſtrates, Martianus Capella

eandem

eandem primam ſyllabam vocis, Melos, in eodem verſu corripuit, & produxit, dicens.

Et meliscos cantus, melica grata tulit.

Atque ita non eſt quur hanc vocem textus mutemus, nec vt dicamus verſum non eſſe ſcazonta, quum prima ſyllaba vocis, melos, poſſit eſſe longa.

PROOEMII PARAPHRASIS.

NEc vnquam affluenter, vel ad ſatietatem bibi ex aqua fontis Pegaſæi. Non recordor me dormiuiſſe in Monte Parnaſo, duos colles habente, vt hac ratione potuerim, ex aliquo ſacro enthuſiaſmo, poeta ſtatim conſtitui. Quum ergo ad poetandum accedam nullo Diuino furore percitus, merito, Muſarum, & Apollinis inuocationem relinquo illis, maiori de gente poetis, quibus, ob operum excellentiam, in æde Camœnarum poſitæ fuerunt ſtatuæ, ſemper virenti hedera coronatæ; ipſe vero ruſticus, & indoctus, ſat habeo offerre hoc qualecumq; meum carmen, Romani chori Sacerdotibus, nempè poetis doctioribus, vt ab eis repurgetur: vel, ad parendum Auguſtali præcepto, Palatinæ Bibliothecæ, ſub Apollinis tutela exſtructæ. Quemadmodum autem fames, naturalia aufert impedimenta, quibus detinebâtur pſittaci, ne vocem, Salue, cęteraſque humanas proferre poſſent, docuitque picas, niti ad hominum ſermonem imitandum, ſiquidem talis indigentia, difficultates deuorat, & ingenium præbet, etiam à natura negatum: ita eadem neceſſitas, nonnullos ineruditos

tos adegit ad poetandum,& alias egregias ar-tes.Quod ſi ſpes affulſerit nedum cibi,ſed etiã pecuniarum, vel abundantioris commeatus, inepti quidam, & imperiti, qui,vt picæ,vel corui,non niſi raucè,& infauſtè nouerant crocitare,ad tantam aſſurgent eruditionis celſitudinem,vt credere poſſis eos canere ad inſtar eorum, qui Cœleſti numine ſunt afflati,& affluenter ex Hippocrenes fonte biberunt.

Finis Procemij.

IN PRIMAM
PERSII SATYRAM
COMMENTARIVS.

PRimam hanc ſatyram nôſter ſatyrographus, de corruptis edidit ſtudijs,qua, dolendo,manifeſtat,omnem ſtudiorum rationem eſſe Romæ deprauatam, tàm ſcilicet in poeſi , quam in oratoria , cæteriſque liberalibus diſciplinis, adeò vt illa exploderentur,quæ ſanctè amplectenda,quæ vero fuiſſent exſibilanda,omnium plauſibus,paſſiſque exciperentur brachijs:ſtatimque rationes profert, quæ ipſum ad ſatyrã impulerunt: idque præſtat, conferendo cum quodam alio,quem inducit ſuperueniſſe, dum ipſe meditatam ſatyram ſcribere inchoaſſet. Qui quum eum vellet à propoſito dehortari , quod id genus poeſeos,Romæ, lectores non inueniret, & authori necis crearet periculum, ab eo audit,ſe non poſſe à ſcribendo cohiberi, nec tanti facere populi , aut Magnatum iudicia,vt ipſis velit adulari, vel eorum vitare offenſionem . Indè ſingulatim oſtendit, quomodo ſtudia liberalia ſintRomę corrupta.Et tandem manifeſtat cuiuſmodi lectores deſideret, & quibus ſuæ ſatyræ probari poſſint.

SATYRAE I. TEXTVS I.

O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!
Quis leget hæc? Min tu iſtud ais? Nemo. Hercule, (nemo?

Vel duo, vel nemo. Turpe, & miſerabile: Quare?
Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint? Nugæ. Non ſi quid turbida Roma
Eleuet, accedas, examenue improbum in illa
Caſtiges trutina, nec te quęſiueris extra:
Nam Romæ eſt, quis non? At ſi fas dicere. Sed fas.
Tunc quum ad caniciem, & noſtrum iſtud viuere
(triſte.
Aſpexi, & nucibus facimus quæcumque relictis.
Quum ſapimus patruos, tunc tunc ignoſcite, Nolo.
Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene Cachinno.

COMMENTARIVS IN TEXTVM I.

O CVRAS hominum ſollemne erat ſcriptoribus, maximèque poetis, in ſuorum operum initijs, vel materiam ſimul, de qua dicturi erãt, proponere, & Numen inuocare, vel prius proponere, deinde inuocare. Ab hac tamen lege, Satyrici, paſſim ſe ipſos excipiebant, volentes videri ira, vel acri bile conciti, ad dicendum proſilire. An autẽ Perſius, vt inuocationẽ, ita & propoſitionẽ omiſerit, plures dubitãt, docẽtes, eum hanc primã, vt & tertiã, & quartã ſatyrã cæpiſse, ex abrupto, cũ quadã ecphoneſi, & exclamatione, ad caſtigãdos eos, qui orationeaures pruriente, popularẽ captabant plausũ, etiam ſi ſapientiæ nihil haberent. Nobis tamen videtur, ipſum exactè proœmiorum ſeruaſſe leges, & pauciſſimis verbis, immo vnico verſu, materiam propoſuiſſe, multo ampliorem quam Democritus, de quo dixit Iuuenalis ſatyra 10. verſu 48.

Prudentia monſtrat
Summos poſſe viros, & magna exempla daturo
Vernecum in patria, craſſoque ſub aere naſci

Ri-

Ridebat curas, necnon, & gaudia vulgi
Interdum, & lacrymas, quũ fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueũ, mediumque oſtenderet vnguẽ.
Immò, & quam ipſe Iuuenalis, talem exhibens materiam ſatyra 1. verſus 85.
Quidquid agũt homines, votũ, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.
Copioſiorem inquam aſſumpſit Perſius, hominum videlicet tum curas, tum res inanes. Curarum autem humanarum nomine, ſtudia intellexit, & actiones mortalium: rerum vero inanium, phyſicas intelligi voluit, à naturæ authore creatas, vt ſunt aurum, argentum, gẽmæ, & his ſimilia, in quorum poſſeſſione, ſtulti felicitatem ſitam arbitrantur. Incipit autem cum exclamatione, vt attentum reddat auditorem; non enim adhibetur exclamatio, niſi quum res eſt admiratione digna, admirabilia vero attente audiuntur. Materiam vero diſtribuendo, auditorem docilem efficit: & quia proponuntur res, nedum nouæ, ſed, & vtiles ipſis auditoribus, præparat hinc ſibi beneuolentiam, quæ ſunt munia procemij. *O curas*, inquit, *hominum*. *Curæ* dictæ ſunt, eò quod cor vrant, ſiue edant, & excrucient, ita vero appellantur ſollicitudines, & angores, quibus miſer animus affligitur, & contabeſcit. Sic accipit Ennius, apud Ciceronem de ſenectute.
O Tite ſi quid ego adiuto, curamue leuaſſo,
Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa.
Sic Euclio apud Plautum Aulularia Actu 3. Scena 6.
Qui oſſa, atque pellis totus eſt, ita cura macet.
Et Catullus ad Ortalum nempè carmine 66.

Etſi me aſſiduo confectum cura, dolore
Sevocat à doctis, Ortale, virginibus.

Et idem Catullus de coma Berenices ſeu carmine 67.

At tu non orbum luxiſti deſerta, cubile,
Sed fratris chari flebile diſcidium
Quum penitus moeſtas exedit cura medullas.

Curas igitur nunc appellat ſtudia, & occupationes hominum, quæ adferunt ſollicitudines, & anxietates, de quibus agere nunc intendit.

O QVANTVM eſt in rebus inanè. Inanè id dicitur quod ſolido ſiuè pleno, vel conſiſtenti opponitur, & coincidit, cum vano, ſeù vacuo, in qua ſignificatione, ſæpè ea voce vtitur Lucretius maxime lib.1. verſu 1003.

Nunc age ſummai, ecquenam ſit finis eorum.
Necne ſit, euoluamus, itē quod inane repertū ſt,
Seu locus, ac ſpacium, res in quo quęque genātur.

Et quamuis aliquando ſignificet aerem, iuxta illud, Longumque per inane reſoluit, hoc ideo eſt, quia locus aere plenus, ſenſibus vacuus videtur: inde Virgilius libro 3. Æneidos verſu 515. dixit

In vacuo lętam Cœlo ſpeculatus, & alis
Plaudentem, nigra figit ſub nube columbam,

Et hoc ideo, quia quum non ſit ſpectabilis oculis, non enim eſt coloratus, ſpatium aere plenum, ad ſenſum vacuum, & inane cenſetur, nam quidquid plenum non eſt, vacuum dicitur. Hinc Pſeudolo loquens Callidorus apud Plautum Actu 1. Scena 3.

Et quid te pudet?

Reſpondet leno, *Ted'amatorem inuentum eſſe*

eſſe inanem, quaſi caſſam nucem, ſic Seneca, de Conſolatione ad Marciam cap. 7. ait: *Feræ, quū veſtigia catulorum conſectatæ ſunt, & ſyluas peruagatæ, quum ſæpè ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt. Aues, cum ſtridore magno inanes nidos circumfremunt: intra momentum tamen quietæ, volatus ſuos repetunt.* Vult igitur poeta, res omnes viſibiles, & quæcumque ſub ſenſum cadere poſſunt, vel earum ſaltem magna pars, quantumcumque magnæ eſſe videantur, nihil habere conſiſtentiæ, vel firmitatis, ſed eſſe prorſus inanes, quum id, nec præſtent, nec præſtare poſſint, quod promiſerant, nempè felicitatem. Quæ Perſij ſententia coincidere videtur, cum alia Regis Eccleſiaſtis, ſtatim à principio ſic clamantis. *Vanitas vanitatum dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quam ſententiam exponens Nyſſenus homil. 1. in Eccleſiaſtem, ait. *Vanum intelligitur, quod non poteſt conſiſtere, quod in ſola verborum prolatione ſuam habet eſſentiam. Res autem, quæ conſiſtat, non ſolum apparet, cum nominis ſignificatione, ſed eſt otioſus quidam, & inanis ſonus, qui ſub ſpecie alicuius dictionis temere perfertur per ſyllabas, in aures incurrens abſq; ſignificatione, ſicut per ludum nonnulli fingunt nomina, quæ nihil ſignificant. Hoc eſt ergo vnum genus vanitatis. Aliud autem dicitur vanitas, eorum nullus vſus, quæ magno ſtudio, & contentione facta ſunt, nullo ſcopo propoſito, vt quæ in cãpo arenoſo fiunt ædificia, quæ fit aduerſus ſtellas iaculatio, ventorum uenatio, curſoris aduerſus ſuam umbram concertatio, quando contendit quiſ-*

quiſpiam umbrę ſuę uerticem conſcendere, & ſi quid eiuſmodi inuenimus in ÿs quæ facta ſunt temere: Quæ quidem omnia, vanitatis verbo ſubÿciuntur. Eſt autem hoc quoq; ſæpe poſitum in conſuetudine, vt vanum dicatur, quando quiſpiam ad ſcopum aliquem aſpiciens, & tamquam vtile quidpiam ex ÿs quæ ſunt propoſita, ſtudio vehementi perſequens, agit ſingula: deinde quum aliquid contrarium euenerit, labor fuerit irritus, & tunc quod ex eo magno labore, nihil certe ſucceſſerit, hoc vani verbo ſignificatur: de ÿs enim quæ ſunt eiuſmodi, ſolet dici: in vanum laboraui, in vanum ſperaui, & in uanũ multos labores ſubii. Et ne ſingula perſequamur, in quibus uanitatis nomen proprium dicitur, paucis huius uocis ſenſum comprehendamus. Vanitas eſt, uel uerbum quod non cadit ſub cogitationem, & intelligentiam, uel res inutilis, uel conſilium, quod non poteſt conſiſtere, uel ſtudium, quod non peruenit ad finem, uel, ut, in ſumma dicam, id quod in quauis re utili, non poteſt conſiſtere. Atq; ſi iam quidem intelleximus quiſnam ſit uani ſenſus, examinandum eſt quid ſibi uelit uanitas uanitatum. Quiſnam autem ſit qui quæritur ſenſus; fuerit nobis notius, ſi ſcripturæ conſuetudinem examinemus in ÿs quæ intelligunt eſſe meliora, ac præſtantiora. Eorum quę ſunt neceſſaria, & utilia, actio, opus nominatur à ſcriptura. Sed eorum in quæ ſtudium confertur, quæcumq; excellunt, & quæ ſpectant ad ipſum Dei cultum, dicuntur opera operum, ſicut declarat ſcriptura, oſtendente, ut puto, hac dictióne, per quamdam analogiam, ex opere operum, quidnam ſit præſtantiſſimum, ex ÿs in quæ ſtudium confertur. Nàm quam habet rationem

nem ad otium in genere, id quod in opera confer-tur ſtudium, eamdem habet rationem ad alia opera, quæ in altisſimis, & preſtantisſimis eorum, in quę ſtudium confertur ponitur oparatio. Ita etiam Sanctum aliquid dicitur in ſcriptura, & rurſum ſanctorum, adeò ut pari menſura, & ſan-ctum ſuperet profanum in ſanctitate, & hoc rur-ſus ſanctum ſanctorum, quod ſumme, & per ex ſuperationem conſideratur in ſanctificatione. Quod ergo dicimus in re meliori, ac pręſtantiori, ſcripturæ conſuetudine ſignificante hac ratione intenſionem rei, quę intelligitur, hoc etiam in uanitatum uanitate intelligentes, minime aber-rabimus. Dicit enim non abſolute eſſe uana, quę in rebus apparent, ſed ea eſſe eiuſmodi in aliqua exſuperatione uani ſignificationis: perinde ac ſi quis dicat, mortuo magis mortuum, & inanimo magis inanimum, etiamſi comparatiua intentio locum non habet in ijs quę ſunt eiuſmodi, & ta-men hoc uerbo dicitur, ad declarandam exſupe-rationem eius quod ſignificatur. Quomodo ergo intelligimus opera operum, & ſancta ſanctorum, quorum explicatar exſuperatio in eo quod eſt me-lius, ita etiam uanitas uanitatum oſtendit in-ſuperabilem in uanitate exſuperationem. Idem ergo voluit hic Perſius. Immo hoc Salomonis exordium vniuerſalius eſt, cunctaque omnino complectitur, quum exclamatio Perſiana, ex-ceptioni alicui locum permittat.

QVIS leget hęc? Min tu iſtud ais? Nemo. Fingit Perſius, meditanti ſibi Satyras ſcribere, & iam manus operi apponenti, chartis etiam mandato primo verſu iam explicato, ſuperue-niſſe amicum, qui eum à tali ſtudio dehorta-

retur,eo potiſſimum argumento, quod huiuſmodi lucubrationes, Romanorum guſtui non adluberent,ideoque nullum forent inuenturæ lectorem.Et quum ſcriptionis finis debeat eſſe vtilitas,vel delectatio proximorum, ſi nullus legat quæ ſcripſimus,ſuo fine fruſtrabitur labor noſter:ideoque cauendum eſt ab ijs ſcribendis,quæ nemo ſit lecturus, ni velimus inſipientes haberi,ſapiens enim,ad naturę præſcriptum,nil operatur fruſtra. Itaque Monitor adueniens,obſeruanſque quid Perſius moliretur,vt eum ab intento abſterreat, interrogat. Quem putet talia lecturum ? Cui poeta, quaſi mirans, & indignans,reſpondet. *Min tu iſtud ais? Nemo*: quaſi diceret, ſi à me quęris, quem putem lecturum opera mea, reſpondeo:Neminem.Min autem dictum eſt per duplicem Apocopen,figuram detrahentem ſyllabam, vel litteram à fine dictionis : nam à Mihi ſublata eſt ſyllaba,hi,& à ne,ſubtracta littera,e,& remãſit Min,pro Mihine.

HERCVLE nemo, uel duo,uel nemo. Verba iſta puto eſſe Monitoris, excipientis verbum Perſij,quo reſponderat,neminem ſuas Satyras lecturum. Subdit ergo Monitor. Certe nullus eas leget, vel, ad ſummũ duo,vel,quaſi addere vellet, Tres, aut pauci eas legent, ſed, per Apoſiopeſin,omittit paucos illos explicare,&, quaſi pœnitendo,ſe etiam cogitaſſe, quod ſaltem pauci lecturi forent huiuſmodi ſcripta,reuertitur ad prius dictum,affirmans. Nemo leget.Quod autem ait Hercule nemo,in voce Hercule iuramentum eſt, firmans verum eſſe, quod dicebat. Et talis iurandi forma,paſſim

in

inuenitur apud antiquos, ſic Cœlius inter Epiſtolas Ciceronis ad familiares lib.8 Epiſt. 6. *Pompeius dicitur ualde pro Appio laborare, ut etiam putent alterutrum de filijs ad te miſſum. Hic nos omnes abſoluimus, & hercules, confecta omnia fœda, & inhoneſta ſunt*. Et Cicero familiarium lib.2. Epiſt.15. *Non potuit accuratius agi, neque prudentius, quam actum eſt à te cum Curione de ſupplicatione, & mehercule confecta res eſt ex ſententia mea, cum celeritate, tum quod is qui erat iratus competitor tuus, & idem meus, aſſenſus eſt ei, qui ornauit res noſtras diuinis laudibus*, ſic Plautus Menechmis Actu 1. Scena 2.

Euax iurgio hercle tandē uxorē abegi ab ianua.

Sic ſæpius ijdem authores, & alij paſſim. Ethnici autem per omnes quidem Deos iuramenta concipiebant, ſed frequentius per Herculē Caſtorem, & Polluecm, ſub his ſcilicet verborum formis: Hercule, aut, per ſyncopen, Hercle, quaſi, per Herculis diuinitatem, Mehercle, aut Mehercules, ideſt, Ita me Deus Hercules adiuuet. Caſtor, quaſi per Caſtoris Deitatem: Mecaſtor, aut per Aphęreſim Ecaſtor, nempe. Ita me Deus Caſtor tueatur. Pol dicebatur per Apocopen, quaſi, Ita ſit mihi propitius Deus Pollux, vel per Pollucis numen: & ædepol, ideſt per Pollucis ædem, ſiue templum. Obſeruaui autem, docente Gellio lib.11. cap. 6. per Herculem viros tantum iurare, & per Caſtorem tantum, fœminas, per Pollucem, ſaltem vltimis temporibus, eſſe vtriſque commune, ſic enim ait. *In ueteribus ſcriptis, neque mulieres Romanæ per Herculem deierant, neque ui-*

ri

ri per Caſtorem, *ſed quur illę non iurarent Herculem, obſcurum non eſt: nã Herculaneo ſacrificio abſtinent,* (& hoc ideo quia fęminæ ab Herculis virtute, & fortitudine, longè eſſe credebantur.) *Quur autem uiri, Caſtorem, iurantes, non appellarent, non facile dictu eſt. Nuſquam igitur ſcriptum inuenire eſt, apud idoneos quidẽ ſcriptores, aut mehercule fæminam dicere, aut mecaſtor uirum: AEdepol autem, quod iuſiurandum per Pollucem eſt, & uiro, & fæminę commune eſt. Sed M. Varro aſſeuerat, antiquiſſimos uiros, neque per Caſtorem, neque per Pollucem, deierare ſolitos, ſed id iuſiurandum fuiſſe tantum fæminarum, comitijs Eleuſinis acceptum: paulatim tamen, inſcitia antiquitatis, uiros dicere ędepol cœpiſſe, factumque eſſe ita dicendi morem: ſed mecaſtor à uiro dici, in nullo ueteri ſcripto inueniri.* Prætereà obſerua, iurantes per Herculem, vt & per Liberum patrem, ſub dio, & loco patenti id facere: nefaſque ducebatur illos tantos Deos, ſub tecto, aut in vmbra teſtes inuocare, nam quum illi Diuinitatem aſſecuti crederentur, obuiando maximis manifeſtiſque vitæ periculis, ignominioſum putabatur, eos appellare ſub vmbra, quaſi ignauia torperent. Vlterius obſerua Flaminem Dialem, non adſtringi præſtare iuramentum: quod ſi quando contigiſſet, eum, capeſsere Magiſtratum, de quo rite adminiſtrando, lege cautum foret, dãdum eſſe iuramentum, alius ipſius nomine iurabat: nam quum iuramentum ſit quædam torturæ ſpecies, & Flaminis Dialis, nedum corpus, ſed multo magis animus, à tormentis debeat eſſe immunis, nefas ducebatur ipſum

hac

hac ratione torquere. Ex quo conſtare poteſt, quam ſint ſibmetipſis iniurij illi, nedum plebei, & laici, verùm etiam nobiles, & Eccleſiaſtici, qui paſſim in omni ſermone, tam in cauſis etiã leuiſſimis, quã inſuper per iocum, mille proferunt iuramenta, quum ſic torqueant ſemetipſos, quãuis Euãgeliũ Matth. 5 dicat. *Sit ſermo ueſter, eſt, eſt non, non, quod autẽ his abũdantius eſt, à malo eſt.* Maneat ergo Hercule hic poſitum pro iuramento, quaſi diceret, Per Herculis Diuinitatem, nemo hæc leget.

TVRPE, & miſerabile. Quare? Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem prætulerint. Verba iſta, quamuis à nonnullis credantur eſſe Monitoris, mihi Perſij potius omnia eſſe videntur. Quum enim Monitor dixiſſet, iuraſſetque, neminem prorſus inuentum iri, qui has ſatyras legeret, Perſius agnoſcens id eſſe dedecoroſum, ac miſeratione dignũ, interrogat, quare Romani ita deſipiant, vt potius quam ſuas ſatyras, legere malint inſulſa, & inficeta Accij Labeonis poemata. Turpe autem de corporibus, proprie illud dicitur, quod eſt deforme, ſiue inhoneſtum, vel mutilum, ſic Ouidius libro 3. de Arte ait.

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine cãpus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Transfertur autem etiam ad animum, & tunc illud eſt turpe, quod eſt flagitioſum, aut dedecoroſum, vt apud Terentium Heautontimorumeno Actu 5. Scena 4. *Pudet*
Dicere hac præſẽte uerbũ turpe, at te id nullo modo
Facere puduit, ſic Vlyſſes apud Ouidium libro 13. Metamorphoſeos.

Nene

Nene in me ſtolidę conuicia fundere linguę,
Admiremur, quū, nobis quoque digna pudore
Obiicit, An falſo Palamedem crimine, turpe
Accuſaſſe mihi, uobis damnaſſe decorum?

Et ita turpe hic ponitur pro flagitioſo, pudẽdo, erubeſcendo, & dedecoroſo.

MISERABILE vero illud dicitur, quod eſt fletu, & compaſſione, etiam aliorum, dignum. Sic accipitur apud Liuium dicentem lib. 1. ab Vrbe condita §. 23. *Bellum utrimque ſumma ope parabatur, Ciuili ſimillimum bello, prope inter parentes natoſque; Troianam utramque prolem, quum Lauinium ab Troia, ab Lauinio Alba, ab Albanorum ſtirpe Regum, oriundi Romani eſſent. Euentus belli tamen minus miſerabilem dimicationem fecit, quod nec acie certatũ eſt, tectis modo dirutis alterius Vrbis, duo populi in unum confuſi ſunt.* Et eodem lib. 1. §. 29. ait. *Vt uero iam equitum clamor exire iubentiũ inſtabat, iam fragor tectorum qui diruebantur, ultimis Vrbis partibus audiebatur, puluiſque ex diſtantibus locis ortus, uelut nubes inducta, omnia impleuerat, raptim quibus quiſque poterat, elatis, quum larem, ac penates, tectaque in quibus natus quiſque, educatuſque eſſet, relinquentes, exirent. Iam continens agmen migrantium impleuerat uias, & conſpectus aliorum, mutua miſeratione integrabat lacrymas, uoceſq; etiam miſerabiles exaudiebantur, mulierum precipue, quum obſeſſa ab armatis templa auguſta preterirent, ac ueluti captos relinquerent Deos.* Sic etiam Ouidius loquitur in Ibin dicens.

Siſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis ulli.

Gau-

Gaudeat aduerſis fæmina,uirque tuis.
Niſi quod hic apud Naſonem, miſerabilis dicitur,non tam qui modo quocumque aduerſa patitur,quam qui,quod ea merito perpeti iudicetur, nullum habet ſibi compatientem. In caſu tamen noſtro, miſerabile dicitur, quod eſt compaſſione dignum.

NE mihi Polydamas, & Troiades Labeonem prætulerint? Polydamas. Polydamantes tres fuiſſe nominatos comperi, quorum vnus fuit nobilis pancratiaſtes, qui, Alcidem imitatus, inermis,Leonem aggreſſus,ſuffocauit, ingentemque Taurum, apprehenſis extremis illius pedibus, tenuit, & ex curſu retraxit. Apud Darium Artaxerxis filium Perſiæ Regem, ter ex prouocatione pugnans, tres fortiſſimos proſtrauit antagoniſtas, & præmia reportauit,aliaque multa miranda fecit: ſed tandem infeliciter obijt, nam quum quodam veſpere, conuiuio poſt cœnam aſſiſteret, triclinij tectũ ruere cœpit, fugientibuſque cęteris,qui ingẽtis ſaxi ruinam metuebant, perſtitit ipſe,ſperans, poſſe ſe illius impetum ſuſtinere, quare ab illius mole, pondereque oppreſſus, miſerè perijt.Alius Polydamas fuit nobilis Troianus Antenoris,& Theanus,ſororis Hecubæ,filius, qui quamuis matrimonio coniunctam haberet Lycaſten,Priami ex concubina filiam, vna tamen,cum Antenore patre, & quibuſdam alij Troianis,patriam,cum Rege ſocero,alioſque conciues, Græcis prodidit. Tertius fuit etiam Troianus, Panthoi nobiliſſimi viri filius, qui,eadem nocte qua Hector,in lucem editus, diſſimile omnino vitæ genus ſecutus

eſt, Hector ſiquidem armis, Polydamas eloquentiæ, ac ſapientiæ ſtuduit: vnde factum eſt, vt inter Troianos, quemadmodum nullus erat Hectori comparabilis bellica gloria, & rei militaris peritia, ita nec Polydamanti in conſilijs, ac prudentia, adeò vt crederetur prę̄teritorum habere notitiam, & futurorum. Huius ſententia ſemper fuit, reſtituendam eſſe Helenam Menelao, Græciſque, eam repetẽtibus. Sed videns hoc conſilium Paridi, Hectori, & pleriſque alijs diſplicere, monebat, vt ſaltem, contenti tueri mœnia, extra ad nauale Græcorum non egrederentur Troiani, & maxime Hector. Qui nihilominus, deſpiciens huiuſmodi conſilium, vt à formidine natum, egreſſus, quum; poſt ſtratos multos Grçcorum fortiſſimos, etiam Patroclum occidiſſet, vidẽs Achillẽ, exacturũ de Patrocli nece vindictã, ad ſe, furijs exagitatũ, venientem, quamuis poſſet intra mœnia refugere, & inde ſe ipſum tueri, maluit tamen Achillem expectare, & ab illo certiſſimam necem, quam reuerti, vbi Polydamantis exprobrationes, atque conuicia audire poſſet. Et de hoc tertio Polydamente nunc loquitur, &, ſub illius nomine, de Nerone (etiam ſi Caſaubonus id neget,) non quidem ob eam nominis alluſionem, qua Polidamas interpretatur multorum domitor: hoc enim nec in Panthoi filium, nec in effœminatiſſimum Neronem conuenit; ſed ob eam, qua Polydamas idem valet, ac, Multinuba, Nero enim mollis, & effœminatus, multos cognouit, & à multis viciſſim cognoſci voluit, quod teſtatur Suetonius in Nerone cap. 28. dicens. *Puerum*

ſpo-

Sporum, exſectis teſtibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus eſt, cum dote, & flammeo per ſolemne nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad ſe, pro uxore habuit, exſtatque cuiuſdam non inſcitus iocus: bene agi potuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius pater talem habuiſſet uxorem. Hunc Sporum, Auguſtarum ornamentis excultum, lecticaque uectum, & circa conuentus, Mercatuſque Græciæ, ac mox Romę circa Sigillaria comitatus eſt, identidem exoſculans Et capite ſequenti 29. inquit. *Suam quidem pudicitiam uſque adeo proſtituit, ut, contaminatis pęne omnibus membris, nouiſſime, quaſi genus luxus excogitaret, quatenus feræ pelle cõtectus, emitteretur è cauea, uirorumque, ac fæminarum ad ſtipitem deligatorum inguina inuaderet: & quum affatim deſęuiſſet, conficeretur à Doryphoro liberto, cui etiam, ſicut ipſi Sporus, ita ipſe denupſit, uoces quoque, & eiulatus uim patientium uirginum imitatus.* Sed maxime Polydamantis nomine intelligitur Nero, quum hic, intantum rebus Troianis fuerit addictus, vt nihil eius ſaperet animo, auribuſque, niſi Troianum, adeo vt non dubitauerit, inſulſa quædam, ſed Ilienſia, ſcribere: & vt exactius Ilij conflagrationem concipere poſſet, Romanam Vrbem incendi iuſſerit, eamque aſpicere voluerit è turri Mœcenatis, quam puto ſitã fuiſſe in Monte Exquilino, vbi nunc eſt Templum D. Antonio ſacrum: non vero in hortis Columnenſium, ſitis ad radicem Montis Quirinalis, etiam ſi ad eiuſdem ſummitatem aſcẽdant, quod nonnulli dixerunt. Siquidem ab iſto loco Montis Quirinalis, nequequam Ro-

mę incendium videre potuiſſet. Tunc ſiquidē Roma poſita erat in Collibus, ſeu Montibus, Capitolino, Palatino, Cœlio, Auentino, Viminali, Exquilino, & Quirinali, non vero in campo Martio, vt nunc, & ad quem maximè patet proſpectus ex ea parte Montis Quirinalis, bene vero ex illa Montis Exquilini. Palladamantis ergo nomine, abhorrentis ab re bellica, & ſuæ patrię amantiſſimi, intelligitur Nero, mollis, & effœminatus, & cui Troica ſapiebant.

TROIADES, patronimicum eſt fœmininū, & eo intelligūtur Romani, qui gloriabātur ſe ab AEnea originem ducere, quamuis AEnęas non Romam, ſed Lauinium condiderit, & Aſcanius eius filius, Albam: huius nihilominus poſterj Romanam etiam excitauerunt Vrbem, in quam demum Albani migrarunt, vt ex Liuio iam diximus. Affectabant autem antiqui Romani Troianam originem, vt ſepararentur à nouorum Ciuium fæce, qui, vel Cæſaris, vel alia aliquā lege, Ciuitatem, ac tribū fuerant aſſecuti. Hinc legimus apud Iuuenalem Satyra 1.

Trepidat, ne
Suppoſitus uenias, ac falſo nomine poſcas,
Agnitus accipies, iubet à præcone uocari
Ipſos Troiugenas, nam uexant limen, & ipſi
Nobiſcum.

Sic etiam loquitur idem Iuuenalis Satyra 8.

Quid facies talem ſortitus Pontice ſeruum?
Nēpe in Lucanos, aut Thuſca ergaſtula mittes.
At nos Troiugenę uobis ignoſcitis, & quæ
Turpia cerdoni, Voleſos, Brutoſque decebunt?

Similiter Satyra 11. inquit.

Nemo

Nemo inter curas & ſerta ducit habendum.
Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret
Clarum Troiugenis factura, ac nobile fulcrum.
Nominantur autem Troiades ſatyrice, & contumeliæ cauſa, quaſi fœminæ, molles, & effœminati, à maiorum virtute degeneres, quemadmodum, & ipſi Troiani, contumeliæ cauſa apud Virgilium 9. Æneidos verſu 599. dicuntur. *Biſcapti Phryges*, & eodem libro 9. verſu 614. dicitur.

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis
Deſidiæ cordi iuuat indulgere choreis,
Et tunicæ manicas, & habēt redimicula mitræ,
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.

LABEONEM prætulerint. Labeones duos fuiſſe inuenio, vnus fuit Labeo Antiſtius, à labiorum magnitudine ſic dictus, tales enim magna habentes labia, Labrones, ſiue Labeones dicebantur, de quo ſic loquitur Gellius lib. 13. cap. 10. *Labeo Antiſtius, iuris quidem ciuilis diſciplinam, principali ſtudio exercuit, & conſulentibus de iure, publicè reſponſitauit, cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit: & in grammaticam ſeſe, atque dialecticam, litteraſque antiquiores, altioreſque penetrauerat. Latinarūque vocum origines, rationeſque percalluerat, eaque præcipuè ſcientia ad enodandos pleroſque iuris laqueos vtebatur. Sunt adeo libri poſt mortem eius editi, qui poſteriores inſcribuntur, quorum librorum tres continui, triceſimusoctauus, triceſimusnonus, & quadrageſimus, pleni ſunt id genus rerum, ad enarrandam, & illuſtrandam linguam Latinam conducentium. Præterea in libris quos ad Pretoris edictum ſcripſit, multa*

poſuit,partim lepidè,partim argutè reperta,ſicuti hoc eſt,quod in quarto ad edictum libro ſcriptũ legimus: Soror inquit appellata eſt , quod quaſi ſeorſum naſcitur,ſeparaturque ab ea domo in qua nata eſt , & in aliam familiam tranſgreditur: fratris autem vocabulum P. Nigidius homo impenſe doctus,nõ minus arguta ſubtilique ἔτυμω interpretatur,Frater inquit, eſt dictus,quaſi fe. re alter. Et eodem libro 13 cap.12.de hoc ipſo Labeone ſic ait. *In quadam epiſtola Attei Capitonis ſcriptum legimus:Labeonem Antiſtium, legum atque morum Populi R.iuriſque ciuilis doctum apprimè fuiſſe , ſed agitabat,inquit,hominẽ libertas quędam nimia,atque vecors:vſque adeo, vt D. Auguſto iam Principe,& Remp.obtinente, ratum tamen penſumque nihil haberet, niſi quod iuſtum ſanctumque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet . Ac deinde narrat quid idem Labeo per viatorem à Tribuno plebis vocatus,reſponderit. Quum a muliere , inquit, quadam ,Tribuni plebis aduerſus eum aditi ; Gellianum ad eum miſiſſent, vt veniret,& mulieri reſponderet; iuſſit eum qui miſſus erat, redire , & Tribunis dicere,ius eos non habere , neque ſe,neque alium quemquam vocandi , quum moribus maiorum , Tribuni plebis prehenſionem haberent,vocationẽ non haberent:poſſe igitur eos venire, & prehendi ſe iubere,ſed vocandi abſentem ius non habere . Quum hoc in ea Capitonis epiſtola ſublegiſſemus, idipſum poſtea in M. Varronis rerum humanarũ vno, & viceſimo libro enarratius ſcriptum inuenimus , verbaque ipſa ſuper ea re , Varronis,adſcripſimus: In Magiſtratu,inquit , habent alij vocationem, alij prehenſionem, alij neutrum. Vocatio-*

tionem vt Coſſ. & cæteri qui habent imperium: prehenſionem vt Tribuni plebis, & alii qui habent viatorem: neque vocationem, neque prehenſionem, vt Quæſtores, & ceteri qui neque lictorem habent, neque viatorem. Qui vocati nem habent, iidem prendere, tene e, abducere poſſunt, & hæc omnia ſiue adſunt quos uocant, ſiue acciri iuſſerunt. Tribuni plebis uocationem habent nullã: neque minus multi imperiti, pe inde atque haberent, ea ſunt uſi, nam quidam, non modo priuatos, ſed etiam Coſſ. in roſtra uocari iuſſerunt. Ego Triumuir, uocatus à Portio Tribuno plebis, non iui, auctoribus principibus, & uetus ius tenui: Item, Tribunus quum eſſem, uocari neminem iuſſi, neque vocatũ à collega parere inuitum. Huius ergo iuris, quod M. Varro tradit, Labeonem arbitror, uana tunc fiducia, quum priuatus eſſet, uocatum a Tribuno, non iſſe. Quæ (malum) autem ratio fuit, uocantibus nolle obſequi, quos confiteare ius habere prehendendi? Nam qui iure prehẽdi, is etiam in uincula duci poteſt. Sed quærentibus nobis quam ob cauſam Tribuni, qui haberẽt ſummam coercendi poteſtatem, ius uocandi non habuerint, illud occurrit, quod Tribuni plebis antiquitus creati uidentur, non iuri dicundo, nec cauſis, quærelisque de abſentibus noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis, quibus preſentes fuiſſent, ut iniuria, que coram fieret, arceretur: ac propterea ius ad ſe uocandi ademptum, quoniam ut uim fieri uetarent, aſſiduitate eorum, & preſentium oculis opus erat. Eiuſdem farinæ alia multa de hoc Labeone referuntur, ſpirantia libertatem in patria iam ſerua, qui propterea dictus fuit, inter ſanos inſanire. Sed quum

Troica non attigiſſet, non eſt de eo hic locus intelligendus. Alius fuit Accius Labeo poeta inſulſiſſimus, & infimæ conditionis, qui res apud Ilium geſtas, ingenti quidem, ſed inconcinno volumine eſt proſecutus, Homerũ trãſferendo, vt dicemus ad illa verba huius eiuſdem ſatyræ verſu 10. *Non hic eſt Ilias Accii ebria ueratro*, & eo libro mirifice delectabatur Nero, eo ſaltem titulo, quod eſſet de rebus Ilienſibus. De hoc ergo Accio Labeone nunc loquitur, interrogans, num Polydamas, & Troiani, ſeu potius, num Nero, & Romani, hunc, & eius Ilium, ſibi & ſuis ſatyris velint præferre.

PRAETVLERINT. Præfero verbum eſt cõpoſitum ex præpoſitione, Præ, & verbo, Fero, vnde valet idem ac ferre, ſiue geſtare ante: ſic Cicero actione 6. in Verrem, deſcribens ſimulachrum Dianæ Segeſtanę, ait. *Erat admodum amplum, & excelſum ſignum cum ſtola: Verumtamen inerat in illa magnitudine ætas, atque habitus uirginalis: ſagittę pendebant ab humero, ſiniſtra manu retinebat arcum, dextera ardentem facem pręferebat.* Aliquando vero præferre idem valet, ac præponere, ſeu pluris ęſtimare, & ſic accepit Ouidius dicens libro 4. Triſtium elegia 3.

Nec quem præferres (ita res tibi magna uidebar)
Quemue tuum malles eſſe, uir alter erat.

Quandoque etiam præferre, accipitur pro eo quod eſt, verbo, vel facto, aut etiam nutu, animi affectum manifeſtare: ſic Liuius l. 3. cap. 12. *Alii auerſabantur preces, aut uerecundia, aut metu: alii ſe, ſuoſque mulctatos querentes, atroci reſponſo iudicium ſuum pręferebant.* Et lib. 4. cap.

cap.54. *Non alias ægrius plebs tulit tribunicia ſibi comitia non commiſſa. cum dolorem quæſtoriis comitiis ſimul oſtendit & vlta eſt, tunc primum plebeis quæſtoribus creatis, itaut in quatuor creandis, vni patricio Cæſoni Fabio Ambuſto relinqueretur locus, tres plebeii Q. Silius, P. Ælius, P. Pupius, clariſſimarum familiarum iuuenibus præferrentur.* Et lib. 1. cap. 41. *Haud ſecus quam venerabundi, intuebātur in ædium veſtibulis ſedentes viros, præter ornatum habitumque, humano auguſtiorem, maieſtate etiam, quam vultus, grauitaſque oris præſeferebat, ſimillimos Diis.* Et hoc modo videtur hic accipiendum, nam Romani, plaudendo, geſtu, Labeoni recitanti ſua inſulſa poemata, videbantur, ea præferre alijs aliorum poetarum.

NVGAE. Vox iſta videtur eſſe Monitoris, quaſi dicentis. Quid verbis eſt opus, quum reipſa Populus, Magnates, & ipſe Nero, pluris faciat ineptam Labeonis Iliadem, quam tuum elaboratum carmen: qua propter non oportet tempus, & ingenium in his terere, in quibus nihil proficies. Dictæ ſunt autem nugæ à non agendo, & propriè nugæ dicuntur, vel res nullius pretij, ponderis, & æſtimationis, vel ſermones ſcurriles, & iocularij, quæ puto ratio mouit Catullum, vt nugas appellaret ſua opera, quæ erant de rebus futilibus, ſic enim ait carmine 1.

Quoi dono lepidum meum libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli tibi, namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas.

Sic quum Simo ſenex à lenone quæſiſſet quid

Callidorus ei dixiſſet, reſpondet apud Plautũ Pſeudulo Actu 4. Scena 6. Ballio leno.

Nugas theatri, verba quæ in comœdiis
Solent lenoni dici, quæ pueri ſciunt
Malum, & ſceleſtum, & periurum aiebat eſſe me.

NON ſi quid turbida Roma, elenet, accedas, examenue improbũ in illa caſtiges trutina, nec te quæſiueris extra Cuncta iſta puto eſſe verba Monitoris, volentis conſolari Perſium, ne doleret, etiam ſi ſua opera exſibilarentur à Ciuibus, & Magnatibus, qui tamen, paſſis animorum brachijs, inepta quæque excipiebant: ex quo quærit eum inducere ad omittendum intentum ſatyras ſcribendi. *Turbida Roma.* Turbida propriè dicitur aqua, quum eſt commota, vel arenis, aut alijs impuritatibus admixta, quomodo Cicero lib. 5. Tuſculanarum dixit: *Darius in fuga, quum aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibiſſet, negauit unquam ſe bibiſſe iucundius*, ſic etiam Horatius lib. 1. Carminum ode 3. inquit.

Qui uidit Mare turbidum, et
Infames ſcepulos Acroceraunię.

Sed turbidi nomen tranſfertur etiam ad alia multa, vt ad tempus, aerem, vel diem, quæ tũc dicuntur turbida, quum aer nebulis, vel caligine, aut etiam ventis, & turbinibus occupatur, & ſic intelligit Plinius quum, loquens de apibus, ait lib. 11. cap. 10. *Mira munditia: amoliuntur omnia è medio, nullæque inter opera ſpurcitiæ iacent: quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congeſta in locum, turbidis diebus, & operis otio, eggerunt.* Transfertur, & ad hominem, qui tunc dicitur tur-

turbidus quum vitijs,& paſſionibus,maximeque iræ,vel auaritiæ,aut libidinis, ſtimulatur, cuiuſmodi Turnum deſcribit Virgilius,dicens lib.9.Æneidos verſu 57.

Huc Turbidus atque huc
Luſtrat equo muros,aditumque per auia quærit.

Et loquens de eodem Turno, inquit libro 12. verſu 10.

Tum ſic affatur Regem, atque ita turbidus infit.

Perſij autem tempore,Romani fere omnes, cũ ſuo Principe Nerone,vniuerſis erant vitijs inquinati,vt merito,ipſacõmunis patriaTurbida Roma dici potuerit. Potuit etiam alia ratione denominari turbida, nam ſicut aqua dicitur turbida,quum ventis mouetur,& agitatur,ita &Vrbs,quum Ciues,varijs occupati curis,huc illuc mouentur, & ſe mutuo impellunt: quod neceſſario accidebat in illa,pene innumerabili hominum multitudine,quæ tum Romæ viuebat,ob quam dixit Vitruuius,in præfatione ſui operis. *Quum animaduertiſſem diſtentam Ciuitatem publicis, ac priuatis negociis, paucis iudicaui ſcribendum.* Vtramque hanc rationem tetigit Iuuenalis,dicens Satyra 3.verſu 29.

Cadamus patria,uiuant Arturius iſtic,
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida (uertunt.

Roma autem hic denominata turbida,vrbs eſt Latij, immo & Italiæ, & orbis totius caput, ſcriptoribus omnibus celebrata, ad ripam Tiberis, Latium ab Ethruria ſeparantis,condita à Romulo filio Rheæ SyluiæSacerdotis Veſtalis,&,vt ipſa prædicabat, Martis: Numitoris nepote,poſtquam auum ipſum in Albæ regnũ

reſtituerat, vnde ab Amulio fratre pulſus fuerat. Ab eiuſdem autem Romuli nomine, etiam per Remi fratris, ex iurgio, cędem, appellationem ſortita, valde congruentem rebus ab illius Ciuibus ſtatim gerendis, ſiquidem ῥωμὴ Grecè, Latinè idem valet, ac robur, vis, ſiue valentia, cuiuſmodi fuit in priſcis illis Romanis, qui vniuerſum pene orbem, ſubijcere ſibi potuerunt.

ELEVET. Eleuare eſt ſiue phyſicè, ſiue moraliter, tam extollere, & ſublimé ſiue altū facere (nā aliquē, qui rectè facta alicuius celebrat, nonnumquam dicere ſolemus in cœlum illum efferre ſiue eleuare) quam deprimere ſiue extenuare, etiam quoad extimationē: ſic L. Quintius apud Liuium lib. 3. cap. 21. *Mirer, ſi uana ueſtra P. C. ad plebem auctoritas eſt? Vos eleuatis eam, quippe quia plebs Senatus conſultum in cōtinuandis magiſtratibus ſoluit, ipſi quoque ſolutum uultis, ne temeritati multitudinis cedatis, tamquam id ſit plus poſſe in ciuitate, plus leuitatis, ac licentiæ habere*. Sic etiam eleuare pro deprimere, & extenuare poſuit Scipio apud eumdem Liuium lib. 28. cap. 43. dicens. *Facile eſt, poſt fuſos fugatoſque quatuor exercitus Punicos, poſt tot urbes ui captas, aut metu ſubactas in ditionem, poſt perdomita omnia uſque ad Oceanū, tot regulos, tot ſęuas gentes, poſt receptam totam Hiſpaniam, itaut ueſtigium nullum belli reliquum ſit, eleuare meas res geſtas, tam hercule quam ſi uictor ex Africa redierim, ea ipſa eleuare, quę nunc, retinendi mei cauſa, ut terribilia eadem uideantur, uerbis extolluntur.* Et vterque ſenſus, vnico verbo expreſſus, forte à poeta

fuit

fuit intentus; vt voluerit non eſſe credendum populo eleuanti, ideſt extollenti, et per adulationem magnificanti ſtultas, ineptaſque Neronis, vel Magnatum, charorumque ipſius lucubrationes: vel eleuanti, ideſt deprimenti, & extenuanti, per irriſionem, & exſibilationem elaborata, & eximia doctorum poemata.

ACCEDAS. Accedere eſt appellere, ſiue adire, & appropinquare: ſic intelligit Plautus dicẽs Pſeudolo Actu 1. Scena 3. *Accedamus hac obuiam.* Et Menechmis Actu 2. Scena 2.

Dabitur malum.
Me quidem ſi attigeris, aut ſi propius ad me acceſſeris

Et idem Plautus inquit Moſtellaria Actu 2. Scena 2.

Quis homo eſt qui noſtras ędes acceſſit prope.

Nonnumquam tamen accedere idem valet, ac aſſentiri, ſiue factum, aut dictum probare, indeque, vt puto, dicebant, pedibus in ſententiã ire, quum aſſentiebantur ſententiæ eius qui prius dixerat, ſic Terentius prologo Phormionis.

Voluntas ueſtra ſi ad poetam acceſſerit: ideſt ſi illi fauerit, vel eius dictis aſſenſum præbuerit. Hoc ergo negat eſſe faciendum circa Romanorum iudicium, nempe non eſſe ſequendum, & probandum quod illi probauerint, neque reprobandum, quod eis diſplicuerit.

EXAMENVE improbũ, in illa caſtiges trutina. Examen videtur deriuatũ à verbo exigo, ſiue ab huiusverbi ſupino, exactus, ſicut àſupino verbi leuo, leuatum, factum eſt leuamen: & ita

examẽ propriè eſt apũſoboles,quã parentes ex aluearibus,ad nouas quęrendas ſedes,quaſi ad colonias propagandas,exigunt,& expellunt:ſic nominauit Cato apud Ciceronem de ſenectute, dicens. *Nec uero ſegetibus ſolũ,& pratis & uinetis,& arbuſtis,res ruſticæ lętę ſunt, ſed pomariis etiam, & hortis, tum pecudum paſtu,& apum examinibus, tum florum omnium uarietate.* Inueniuntur etiam dicta examina, auium, piſcium,infantium, ſeruorum, & aliorum,vt quorumlibet,& maxime ſe mouentium multitudo, examen dicatur. Sed nunc, non intelligitur hoc modo, quin potius examen nunc eſt ligula illa, ſeu ſtilus,ſub anſa poſitus in medio haſtę,ſeu ſcapi ſuſtinentis lances, qui videlicet ſtilus, quum res ponderantur,exit,ſiue emergit ex parte oppoſita eius lancis, in qua maius pōdus inuenitur. Ex hac autem propria acceptione, transfertur nomen examinis ad rationis iudicium, vnde dicimus illum ſubire examen,cuius diſcutiuntur merita, ſic Caſſianus Collatione 23.cap.5.de Apoſtolo loquens, ait. *Theſſalonicenſibus ſcribens, in labore,& fatigatione,nocte & die operatum ſe fuiſſe teſtatur: quibus laboribus, licet magna eidem meritorum ſtipendia pararentur,tamen mens eius, quamuis ſancta,atque ſublimis,non poterat, non ab illa cœleſti theoria,intentione terreni operis aliquãdo diuelli: denique quum ſe tantis actualibus ditari fructibus cerneret, & è contrario theoriæ bonum corde penſaret, ac velut in vna lance tantorum laborum profectum, in altera delectationes diuinæ contemplationis appenderet, diu examine pectoris ſui quodammodo caſtigato, dum illum*

lum hinc laborum ſtipendia immenſa delectant, illinc deſiderium vnitatis, & inſeparabilis Chriſti ſocietatis, etiam ad reſolutionem carnis inuitat, anxius tandem proclamat, & dicit. Quid eligam ignoro &c. Iuxta hanc ergo metaphoricã examinis acceptionem, Perſij amicus nũc ipsũ monet, ne turbetur ob peruerſum aliorum iudicium, nec velit iuxta illud (quod ob paſſiones, & ignorantiam, eſt omnino prauum, ac diſtortum,) ſuarum lucubrationum meritum, ac dignitatem metiri: ſicut quando examen ſeu ligula, exiſtens ſub anſa ſcapi ſuſtinentis lances, flectit ad aliquam partium, nequit iuſtum pondus rei manifeſtare; ideoque non eſt ſtandum iudicio Romanorum, quum ſit improbum.

CASTIGES trutina. Caſtigare, iuxta verbi ethymologiam, eſt, caſtum, ſiue honeſtum reddere, & accipitur pro eodem, ac reprehendere, vnde Virgilius ait lib. 5. AEneidos verſu 387.

Hic grauis Entellum dictis caſtigat Aceſtes.

Quandoque tamen ponitur pro punire; ſic Virgilius 6. AEneidos verſu 566.

Gnoſſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima (regna.
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitq; fateri,
Quę quis apud ſuperos furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Verum hic caſtigare idem eſt, ac emendare: emendatur autem trutina, leui digiti percuſſione, adhibita ad eam lancem, quæ tardius deſcendit, quod legimus apud antiquum gloſſatorem huius loci, dicentis. *Caſtigare eſt digito libram percutere, vt temperetur, & præ agitatio-*

ne poſt æquum conquieſcat. Quam gloſſam fru-ſtra conuellere tentauit Caſaubonus, monens pro percutere, legendum eſſe, percurrere, quũ libram digito percutere, eorum eſſe videatur qui fraudem moliuntur, vnde ad obuiandum fraudibus, Conſtantini lege, in Codice Theodoſiano Titulo de Ponderatoribus cautum eſt. *Aurum quod infertur, æqua lance, & libramentis paribus excipiatur, ſcilicet vt duobus digitis ſummitas lini teneatur, tres reliqui liberi ad ſuſceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento ſeruato, nec æquis, ac paribus, ſuſpenſo ſtatere momentis*. Sed hæc fruſtra inculcantur: cõcedimus enim, quum ſtateræ lances æquæ, ac pares librantur, non eſſe opus digito alteram percutere, immò tunc talem percuſſionem ad fraudem pertinere: ſed quum lancium vacuarum libratio, oſtendit alteram ferri declinem, tunc illa quæ tardior videtur, leui ictu digiti eſt quodammodo excitanda, vt ſeruet æqualitatem, & ſic demum accipiunt pondera, & per linum duobus primis digitis, ſuſpenduntur. Quod hic igitur ait. *Ne caſtiges examen improbum in illa trutina*, tantumdem valet, ac ſi dixiſſet, Ne ſperes emendationem, aut correctionem iudicij Romanorum paſſionibus ſeruientium, per ſatyricam reprehenſionem.

TRVTINA eadem eſt ac ſtatera, & propriè eſt foramen, intra quod eſt ligula, ſiue ſtilus qui dicitur examen. Ad hoc autem foramen, quod eſt trutina, fit ponderum examinatio, ideoque appellatur libramentum, vel æquamentum, aut æquilibrium: ſed per ſynecdochẽ

vnius

vnius partis pro alia, trutina, & examen pro eodem ſumuntur,& per metaphoram vtrumq; ponitur pro iudicio rationis, vt etiam apud Horatium dicentem 1.ſerm. Sat.3.

Amicus dulcis, vt æquum eſt,
Cum mea compenſet vitijs bona, pluribus hiſce
(Si modo plura mihi bona sūt) inclinet amari
Si volet, hac lege in trutina ponetur eadem.

Et hoc modo pro iudicio, nunc trutina,& examen ponuntur.

NEC te quæſiueris extra. Monitor his verbis conſolatur poetam, ſuadens ne velit turbari, etiã ſi videat opera ſua ingrata eſſe Romanis, nec aliud appetat teſtimonium, niſi quod venit à coſcientia mẽtiri neſciente, nẽpe φιλαυτίας nubilo non obfuſcatà, nec odij, amoris, metus, vel ſpei compedibus conſtricta, & de tali teſte ſibi plaudit Apoſtolus, dicens Romanorum 9. *Veritatem dico in Chriſto non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu Sancto.* Et idem Apoſtolus 1. Corinth.4. inquit. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui autem iudicat me Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare.* Et loquens Auſonius de viro bono, ait Idyllio 11.

Vir bonus et ſapiens, qualem vix repperit vnũ
Millibus è multis hominum conſultus Apollo,
Iudex ipſe ſui, totum ſe explorat ad vnguem,
Quid proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi,
Securus, mũdi inſtar habẽs, teres, atq; rotũdus
Externæ ne quid labis per læuia ſidat.

Et

Et in eamdem ſententiam concinunt verba Boetij lib.4.de conſolatione philoſophię proſa 4.dicentis. *Tum ego, quum tuas inquam, rationes conſidero, nihil dici verius puto; at ſi ad hominum iudicia reuertar, quis ille eſt, cui hæc non credenda modo, ſed ſaltem non audienda videantur. Nequeunt enim oculos tenebris aſſuetos ad lucem perſpicuæ veritatis attollere: ſimileſque auibus ſunt, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat, dum enim non rerum ordinem, ſed ſuos intuentur affectus, vel licentiam, vel impunitatem ſcelerum, putant eſſe felicem. Vide autem, quod ęterna lex ſanciat; Melioribus animum ſi conformaueris, nihil opus eſt iudice præmium deferente, tu teipſe excellentioribus addidiſti. Si ſtudium ad peiora deflexeris, extra ne quæſieris vltorem, tu teipſe in deteriora detruſiſti.*

N*AM Romæ eſt quis non?* His verbis Monitor rationem reddit, quur poeta, aut quiſpiam alius vir bonus, propriæ conſcientiæ teſtimonio debeat eſſe contentus, nec alium quærere laudatorem. Ignominioſa enim potius, quam appetenda eſt laus quæ venit à turpibus: ſi ergo Romæ, tunc paſſim non viuebant, niſi vitijs mancipati; aſpernenda potius, quam captanda erat laus quę venire poſſet à Romanis. Ait ergo *Romæ eſt quis non?* qua ellypſi, ſiue apoſiopeſi, & reticentia, mire exaggerat ignorantiæ, & vitiorum colluuiem, tunc Romæ dominantem: & ea dicendi forma, nullum excludit vitij genus, vnde plus dicit, quam ſi ſigillatim plura ennmeraſſet.

AH ſi fas dicere, ſed fas. Verba iſta ſunt poetæ,

quibus

quibus reſpondet Monitoris ellypſi. Ille ſiquidem conatus fuerat, eum dehortari à ſatyra ſcribenda, quia malum Romanorum irremediabile videbatur, nolebant enim audire monentes vtilia, ſed potius vitæ creabant pericula, audentibus eos reprehendere, aut caſtigare, de quibus loquens, apoſiopeſi vſus fuerat. Hinc poeta, quaſi deterritus, ſubſtitit deliberabundus, dicens. *Ah ſi fas dicere*, quaſi diceret, O ſi mihi liceret loqui quę ſentio, de Romanorum peruerſitate: Demum quaſi reſumpto ſpiritu, vt *anus ad armillum*, redit ad propoſitum, & contempto periculo, aſſerit licerè ſibi Satyram ſcribere.

TVNC, quum ad caniciem, & noſtrum iſtud viuere triſte aſpexi, & nucibus facimus quæcūque relictis, quum ſapimus patruos, tunc, tunc ignoſcite. Verba iſta ſunt poetæ, rationem adferentis, quare putet ſibi licere ſatyram ſcribere, nam dicit. Tunc quum aſpexi ad caniciē, & ad iſtud noſtrum viuere triſte, & ad ea quæ, facimus relictis nucibus, quum ſapimus patruos, tunc, tunc, quaſi ſubdere volens, iuxta Caſaubonum, fas eſſe corruptos Romanorum mores, ſatyrico ſale perfricare: vel, & fortè melius, quia Romani, tunc vehementius pueriles ſectantur ineptias, quum ad ſenectutem deuenerunt, hoc eſt maximè vituperandum, & ſatyra dignum: ſed per apoſiopeſim reticet quæ Romani, ætatis prouectæ, facereut, ſed tantum petit ſibi ignoſci, ſi à ſatyra ſcribenda nequeat abſtinere. Ait ergo. *Tunc quum ad caniciem.* Canicies, ſiue canitudo propriè eſt capillorū albedo, qualis, ætatis acceſſione, ſolet plerum-

que in ſenibus inueniri; ad quem ſenſum loquitur Ouidius, dicens libro 4. Triſtium elegia 10.

Iam mihi canicies, pulſis melioribus annis,
Venerat, antiquas miſcueratque comas.

Docet autem Galenus lib. 2. de Temperam. caneſcere homines, maxime à temporibus, ſiquidem regio illa eſt omnium ſicciſſima. Et iſta paſſio in nullo brutorum, præterequum inuenitur. Quum autem homini ſuperueniat acceſſu ætatis, inde per metaphoram metonymicam, canicies pro ſenectute poni ſolet; & quamuis puerorum nonnulli, albam habere ceſariem inueniantur, illa tamen non eſt canicies, ſed eſt habere capillos argenteos. Et quia homines plerumque in ſenectute ſapere ſolent, ſepè canicies pro ſapientia ponitur: quamuis, Varrone teſte. *Neque vetulus cantherius quam nouellus melior, neque canitudini comes virtus, quæ in tenera aliquando inuenitur ætate:* qualis fuit in B. Agnete, de qua Ambroſius lib. de Virginibus, ait. *Infantia quidem computabatur in annis, ſed erat ſenectus mentis immenſa.* Quod idem docuit ſapiens Sapientiæ cap. 4. dicens. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sed quia frequenter ſenes, longo rerum vſu, ſapere conſueuerunt, merito hic dicitur, Tunc quum aſpexi ad caniciem, quam videlicet decebat ſapientia, & morum grauitas, nam valde mirum eſt, in ea ætate inuenire ſtultitiam, atque ſtudia puerilia.

NOSTRVM iſtud viuere triſte Viuere triſte,

id:o.

idiotiſmus eſt frequens apud Perſium,inuentus etiam apud alios, & maxime Græcos; ſignificat autem vitam tetricam, ac iurgabundam,aut ſubmoroſam,qualis eſſe conſueuit in ſenibus, & philoſophis, & alijs proximorum morum cenſoribus. Indignum autem videtur, eos qui ſint ipſi inquinatiſſimi,alios velle corrigere,vt de quibus ait Iuuen. Satyra 2.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialē
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.

Quum ergo aſpicio,inquit,tale viuere,nempe vitam philoſophicam, & ſubmoroſam,ineptire,& conuerti ad nugas pueriles,nequeo contineri à ſatyra,vt nec Iuuenalis ſat. 1. v. 26.

Quū pars Niliacæ plebis, quum verna Canopi
Criſpinus, Tyrias humero reuocante lacernas
Ventilet, æſtiuum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ,
Difficile eſt Satyram non ſcribere.

Dixit autem *aſpexi noſtrum iſtud viuere triſte*, nempe in prima perſona, vt per Cinomiam, & ſermonis comunicationem, inuidiam vitaret,obiurgationemque molliret.

RELICTIS nucibus. Ita dictum videtur, per metonymiam, pro,omiſſis ſtudijs puerilibus: nuces enim inter puerorum numerantur oblectamenta, eis namque nedum pueri libenter veſcuntur, ſed eis etiam frequenter ludunt, adeò vt Suetonius narret, Auguſtum, cum pueris, nucibus luſiſſe, ſic enim ait, Octauio cap. 83. *Animi laxandi cauſa, modo piſcabatur hamo, modo talis, aut ocellatis, nucibuſque ludebat cum pueris minu is, quos facie, & garruli-*
tate

tate amabiles, vndique conquirebat, præcipue Mauros, & Syros. Detinentur autem pueri colligendis nucibus, ideoque in nuptijs nuces ſpargebantur, vt videlicet, excitato ſtrepitu per pueros nuces colligentes, vel eaſdem frãgentes, non exaudiretur vox ſponſæ, virginitatem deponentis. Quamuis alia quoque reddatur cauſa, quur nuces in nuptijs ſpargerentur, nempe ad ſignificandum, debere nouam nuptam eſſe quaſi Iunonem, & matrimonium, vt & nuces, eſſe ſub Iouis tutela, nam nux, & maxime iuglanda, Ioui erat ſacra. Hinc Virgilius Ecloga 8. verſu 29.

Mopſe nouas incide faces, tibi ducitur vxor
Sparge marite nuces.

Et Catullus Epithalamio Iulij, & Malliæ, ſeu carmine 61.

Da nuces pueris iners
Concubine, ſatis diu
Luſiſti nucibus, lubet,
Iam ſeruire Thalaſſio,
Concubine nuces da.

Et eiuſdem puerilis luſus méminit Martialis, dicens lib. 5. Epigrammate 84.

Iam triſtis nucibus puer relictis,
Clamoſo reuocatur à magiſtro.

Ex quibus cõſtat ſensũ horũ verborum. *Quum aſpexi ad ea quæ facimus relictis nucibus*, eſſe quem diximus, nimirum: Quum conſideraui opera eorum, qui iam è pueritia, vel etiam ex ephœbis exceſſerunt. Per quæ innuit iam totam Romanorum vitam, à carcere ad metã, ſiuè à pueritia ad ſenectutem, inanibus eſſe ſtudijs conſacratam, & ideò ſatyra dignam.

QVVM

QVVM ſapimus patruos. *Patruus* eſt frater patris, ſicut patris ſoror eſt amita, matris vero ſoror, dicitur matertera. Conſueuerunt autem patres, filios ſuos, fratribus tradere inſtituendos, & educandos: plerumque enim amor patrius, non ſinit detortos filiorum mores inſpicere, & caſtigare: patruis vero, vt non deeſt charitas generis, ſiue ſanguinis, ſufficiens inuigilare pro nepotum profectibus, ita non adeſt tanta animi mollicies, quæ eos ſinat eorumdem inſurgentia vitia relinquere inemendata. Hinc patruus ponitur pro ſeuero caſtigatore vitiorum nepotis. Sic Horatius lib. 3. Carminum ode 12. ait.

Miſerarum eſt, neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lauare, aut ex-
Animari metuentis patruæ verbera linguæ.

Et idem lib. 2. ſermonum ſatyra 3.

Gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atq; ebulū, arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa, ſiue ego praué
Seu rectè hoc volui, ne ſis patruus mihi.

Vndè quod hic ait, *Quum ſapimus patruos*, ſignificat. Quum videri volumus morum ſeueriorum, cuiuſmodi eſſe conſueuerunt patrui obiurgantes, & corrigentes nepotum vitia.

TVNC, tunc ignoſcite. Sunt etiam verba poêtæ, & in eis eſt duplex ſchema, videlicet anaphora, qua repetitur eadem vox in eadem ſignificatione, nec ſolum continuè, dicendo. Tunc tunc: ſed etiam poſt interuallum, nam præceſſerat. *Tunc quum ad caniciem*. Et eſt ellypſis, ſiue anadiploſis, nam reticetur quid ſit in Romanorum moribus, poſtquam ad caniciē vene-

venerant, quando verbis Curios ſimulabant, qui compeſcere peccata debuerant. Non enim expreſſit, tunc magis peccare, maioraque dare exempla prauitatis: nec tunc eos eſſe molles, effœminatos, inanis gloriæ, pecuniarumque, ac delitiarum cupidos, ganeones, lurcones, ambitioſos, & ſtudiorum corruptores, neque aliud tale in particulari; ſed ex indignatione orationem abrumpens, iſta omnia, & peiora ſubintelligenda relinquit, petens ſibi ignoſci, ſi à ſatyra ſcribenda non abſtineat.

NOLO. Verbum iſtud dicunt eſſe populi, vel magnatum, contra quos ſatyra ſcribebatur. Sed puto eſſe Monitoris inhibentis, ne faciat. Quum enim poeta, commotus indignatione aduerſus vitia, & peruerſos ciuium mores, peteret ſibi ignoſci, ſi in illos ſatyram ſcriberet, Monitor abſterrere illum nititur, malum ei minitans, ſi in eo perſeueret propoſito.

QVID faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachinno. Verba ſunt poetæ, fluctuantis, deliberantiſque, quid ſibi facto opus foret, poſt auditũ, nullam ſibi veniæ ſpem reliquam, ſi ſatyram ſcribere pergeret. Sed tandem, quaſi cum Cæſare tranſeunte Rubiconem, diceret. *Iacta eſt alea*; vel cum Tullio: *Minoris eſſe amicum, quã animi perdere conceptum*, determinat propoſiti perſeuerantiam, quam tamen excuſat, quaſi operatio illa non deſcenderet à voluntate, ſed à natura: in naturalibus autem, nec meritum adeſt, nec demeritum: & illud probat, quia à ſplene, dante riſum.

PETVLANTI. Petulans idem eſt, ac procax, effrenis, improbus, & contumelioſus, ſic Cice-

Cicero Paradoxo. 3. *Lapſa eſt alicuius libido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quã ſi petulans fuiſſet in aliqua generoſa, ac nobili virgine, peccauit tamen nihilominus, ſiquidem eſt peccare, tamquam tranſilire limites, quod quum feceris, culpa commiſſa eſt*, ſic idem Cicero lib. 2. de Oratore. *Illud aſſequor, vt ſi quis mihi maledicat, petulans, aut plane inſanus eſſe videatur.* Et ita ſeipſum dicit cachinnonem, ob petulans ſplen, nempe ob lienis improbitatem difficilem coerceri.

SPLEN, quod & lien Latinis dicitur, viſcus eſt in ſiniſtra animalis parte ſitum, ad ſe craſſos malinchonicoſque trahens ſuccos in hepate genitos, quorum quum parte ſe aluerit ſubtiliori, reliquam, propriò quodam meatu, in ventriculum remittit. De eo ſic Celſus lib. 2. cap. 7. *Quibus lienes magni ſunt, his gengiuæ malæ ſunt, & os olet, aut ſanguis aliqua parte prorumpit.* Et eodem lib. 2. cap. 8. inquit *Lienoſis, bona tormina ſunt.* Sed lib. 4. cap. 1. ait. *Sub corde, atque pulmone, tranſuerſum ex valida membrana ſeptum eſt, quod à præcordijs vterum diducit, æquè neruoſum, multis etiam venis per id diſcurrentibus, à ſuperiori parte, non ſolum inteſtina, ſed iecur quoque lienemque diſcernit. Hæc viſcera proxima, ſed infra tamen, dextra ſiniſtraque poſita ſunt. Iecur à dextra parte; ſub præcordijs ab ipſo ſepto ortum, intrinſecus cauũ, extrinſecus gibbum, quod prominens leuiter ventriculo inſidet, & in quatuor fibras diuiditur. Ex inferiori vero parte, ei fel inhæret. At lienis ſiniſtra eidem ſepto, ſed inteſtino innexus eſt, natura mollis, & rarus, longitudinis, craſſitudiniſ-*

que

quæ modicæ, iſque paullum à coſtarum regione in vterum ex maxima parte, ſub his conditur: atque hæc quidem iuncta ſunt. Eodemque lib. 4. cap. 9. *Lienis vbi affectus eſt, intumeſcit ſimulque cum eo pars ſiniſtra, eaque dura eſt, & prementi renititur; venter intentus eſt, aliquis etiã cruribus eſt tumor. Vlcera, aut omnino non ſaneſcunt, aut certe cicatricem vix recipiunt. In intenta ambulatione curſuque, dolor, & quedam difficultas eſt. Hoc vitium quies auget; itaque exercitatione, & labore opus eſt, habita tamen ratione, ne febre mixta, ſi nimium proceſſerit, excitetur. Vnctiones frictioneſque, & ſudores neceſſarij ſunt. Dulcia omnia inimica ſunt, item lac, & caſeus: acida autem maxime conueniunt. Ergo acetum acre per ſe ſorbere, & magis etiam, quod ſcilla conditum eſt, expedit. Edenda ſunt ſalſamenta, vt oleę ex muria dura tinctę in aceto, lactucæ, intubique, & betę, ex eodem, & ſinapi, aſparagus, armoracia, paſtinaca, vngulę, roſtra, aues macrę, eiuſdem generis venatio. Potui vero ieiuno debet abſinthium incoctum: at poſt cibum aqua à ferrario fabro, in qua candens ferrum tinctum ſit, hæc enim, vel precipue lienem coercet, quod animaduerſum eſt in his animalibus, quę apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Poteſt etiam dari uinum tenue, auſterum: omniaque in cibis, & potionibus, quibus urinæ mouendę ſunt, præcipueque ad id ualet, uel trifolii ſemen, uel cuminum uel apium, uel ſerpillũ, uel Cythiſus, uel portulaca, uel nepeta, uel thymũ, uel hyſſopum, uel ſatureia, hęc enim inde commodiſſime uidentur humorem deducere. Lienis quoque bubulus utiliter eſui datur, precipuèque*

eruca

eruca,& naſturtium lienem extenuant. Et idem Celſus lib.5. cap.18. ait. *At ſi lienis torquet, glandis, quam βάλανον Græci vacant, cortex,& nitrum, paribus portionibus contunduntur, reſperguntur que aceto quàm acerrimo; vbi cerati craſſitudinem habet, linteo antea in aqua frigida madefacto illinitur,& ſic imponitur, ſupraque farina ordeacea inÿcitur, ſed manere ibi non amplius ſex horis debet, ne lienem conſumat.* Eodéque lib.5.cap.26.inquit. *Liene icto, ſanguis niger à ſiniſtra parte prorumpit, præcordia cum vẽtriculo, ab eadem parte indureſcunt, ſitis ingens oritur, dolor ad iugulum, ſicut iocinore vulnerato, venit.* Plinius lib.20. cap.15.ait. *De cappari ſatis diximus inter peregrinos frutices: non vtendum transmarino, innocentius Italicum eſt; ferũt eos qui quotidie id edunt paralyſi non periclitari, nec lienis doloribus. Radix eius vitiligines albas tollit, ſi trita in ſole fricentur. Spleneticis prodeſt in vino pota Radicis cortex duabus drachmis, dempto balinearũm vſu; feruntque triginta quinque diebus per vrinã, & aluum totum liene emitti.* Et lib.23.cap.1.dicit. *Vitis alba eſt, quã Græci ampeloleucen, alÿ ophioſtaphylon, alÿ melothron, alÿ pſilothrum, alÿ archezoſtin, alÿ cedroſtin, alÿ madon appellant. Huius ſarmenta lõgis, & exilibus internodÿs geniculata ſcandũt. Folia pampinoſa ad magnitudinem ederæ, diuiduntur, vt vitium. Radix alba, grandis, raphano ſimilis initio: ex ea caules aſparagi ſimilitudine exeunt. Hi decocti in cibo, aluum, & vrinam ciẽt: folia,& caules exulcerant, vtique vlcerum phagedænis,& gangrenis, fibrarumque tædio, cum ſale illinuntur. Semen in vua raris acinis de-*

pendet ſucco rubente, poſtea croci. Nouere id qui coria perficiunt, illo enim vtuntur: pſoris, & lepris illinitur, lactis abundantiam facit coctum, cum tritico, potumque. Radix numeroſis utilitatibus nobilis, contra ſerpentium ictus trita drachmis duabus bibitur. Vitia cutis in facie, uaroſque, & lentigines, & ſugillata emendat, & cicatrices. Eademque præſtat decocta in oleo. Deceſtiæ datur, & comitialibus potus, item mente commotis, & uertigine laborantibus, drachmæ pondere quotidie anno toto. Et ipſa autem largior aliquãto, ſenſus purgãt. Illa uis præclara, quod oſſa infracta extrahit in aqua impoſita, ut bryonia, quare quidam hanc albam bryoniam uocãt. Alia uero nigra efficacior in eodem uſu, cum melle, & thure. Suppurationes incipientes diſcutit, ueteres maturat, & purgat. Ciet menſes, & urinam: ecligma, ex ea fit ſuſpirioſis, & contra lateris dolores, uulſis ruptis. Splenem, ternis obolis pota, triginta diebus, conſumit. Et idem Plinius lib 11. cap. 37. inquit Ventriculus, atque inteſtina pingui, ac tenui omento teguntur; præterquam oua gignentibus. Huic adnectitur lien in ſiniſtra parte aduerſus iecur, cum quo locum aliquando permutat, ſed prodigioſe. Quidam eum putant ineſſe oua parientibus, item ſerpentibus admodum exiguum: ita certe apparet in teſtudine, & crocodilo, & lacerto, & ranis. Ægocephalo aui non eſſe conſtat, neque iis, quæ carent ſanguine; peculiare curſus impedimentum aliquando in eo, quamobrem inuritur curſorum laborantibus, & per uulnus etiam exempto, uiuere animalia tradunt; ſunt qui putent adimi ſimul riſum homini; intemperantiamque eius conſtare

lienis

lienis magnitudine. Aſiæ Regio Serpſis appellatur, in qua minimos eſſe pecori tradunt, & inde ad lienem inuenta remedia. Splenis ergo ſiue lienis magnitudo, naturaliter, & proportione reliqui corporis, vel præcordiorum, mod ca eſſe debet, quę ſi in aliquo animalium menſuram excesserit, præter alia phyſica, quę adfert incommoda, dat etiam inclinationem ad effusè ridendum, quod vltra iam dictos, Celſum, & Plinium, tradit Q. Serenus Samonicus, dicens lib. de præceptis Medicinæ c.24.

Pulegiū, abrotonum, nitido cum maſtice coctū
Ac thymiræ ſpeciem, quam commemorant cephaloten
Prædixit ſpleni Deus Idę, poſſe mederi.
Dulcia Plautus ait, grandi minus apta lieni,
Splē tumidus nocet, & riſū tamē addit ineptū
Vt mihi Sardois uideatur proximus herbis
Irrita, quæ miſeris permiſcent gaudia fatis.
Dicitur exſectus faciles auferre cachinnos,
Perpetuoque æuo frontem præſtare ſeueram.

Et hoc nunc vult dicere, à ſplenis magnitudine riſum irritante, procedere ſuum riſum.

CACHINNO. Nomen eſt tertię coniugationis, eum denotans qui facilis, & proclivis ſit ad effusè, & intemperanter ridendum. Cachinnus enim riſus eſt immodicus, ſiue ſolutus, cuiuſmodi, vt ſapientem dedecet, ita proprius videtur eſſe ſtultorum, vnde Eccleſiaſtes cap.7. ait. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti.* Et Eccleſiaſtici cap.21. *Fatuus in riſu exaltat uocem ſuam, uir autem ſapiens uix tacite ridebit.* Et Gregorius Nyſſenus homilia 2. in Eccleſiaſten ait, *Dixi in corde meo,*

age tentabo te in inſipientia, & ecce in bonis. Et hoc quoq; eſt vanitas, non enim ſe ſtatim dedit tali experientię, neq; non guſtata auſteriori, & ſęueriori vita, delapſus eſt ad iucundorum participationem; ſed quum in illis fuiſſet exercitatus, per ſe moribus prius recte præſtitiſſet, & à riſu alienum, grauemq; & conſtantem, per quæ à ſtudioſis maxime comparantur diſciplinæ ſapientiæ, tunc ſe remiſit ad ea, quę ſenſu cenſentur eſſe iucunda, ac delectabilia: non animi ad hæc attractus perturbatione, ſed vt conſideraret, an ad veri boni cognitionem aliquid conferat ſenſus, qui in eis fuerit immoratus. Tunc enim, & ab initio riſui denunciat inimicitias, & animi motum illum, vocat mentis emotionem, quod quidē ſenſu idem eſt quod delirium, & amentia. Si quid enim aliud quiſpiam propriè riſum appellauerit, id quod neq; eſt oratio, neq; factum, certo ſcopo, & propoſito ſuſceptum. Oris antē indecora dilatatio, tremorq; ſpiritus, & totius corporis concuſſio, & genarum diductio, dentiumq; & linguæ, & palati apertio, colliq; contortio, vociſq; præter rationē fractio, quę ſimul cum fractione ſpiritus interſecatur, quid hoc aliud fuerit quam amentia, & ideo. Et dixi inquit, riſui, amentiam: *perinde, ac ſi diceret riſui, Inſanis, & es emotæ mentis, neq; manes intra conſtantiæ fines, vt qui uel inuitus te indecore geras, & in motu animi tuam formam peruertas, idque propter nullam utilitatem.* Democritus tamen inter ſapientes, & Philoſophos famæ non obſcuræ, ad cachinnandum facilis extitit. Vnde Iuuenalis Satyra 10. verſu 28.

Iamne igitur laudas, quod de ſapiētibus alter

Ri-

Ridebat, quoties à limine mouerat unum,
Protuleratque pedem, flebat contrarius alter?
Sed facilis cuiuis rigidi cenſura cachinni:
Mirandũ eſt unde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus, quamquã non eſſent urbibus illis
Prętexta & trabeę, faſces, lectica tribunal.

Chryſippum etiam, alterum philoſophum, nedũ effuſe riſiſſe, ſed ex riſu obijſſe tradit Laertius lib. 7. his verbis. *Nonnulli aiunt præ nimio riſu eum interijſſe: nam quum ei aſinus ficus comederet, quumque anum aſino merum ſorbendum afferre iuſſiſſet, effuſius ridentem mortem occubuiſſe ferunt.* De adulatoribus etiam, & paraſitis loquens Iuuenalis ait Satyra 3. verſu 98.

Natio comœda eſt, rides? maiore cachinno
Concutitur; flet, ſi lachrymas aſpexit amici,
Nec dolet.

Aſſerit igitur ſe cachinnonem ob ſplenis vitioſam magnitudinem, & propterea non poſſe continere ſeipſum, quin carpat, & derideat. Romanorum, etiam Magnatum mores, atque adeo à ſcribenda ſatyra: & ideò eſſe ſibi ignoſcendum, quum id non foret voluntarium, ſiue liberum, ſed omnino, & mere naturale, in quo non eſt meritum, nec demeritum.

PARAPHRASIS TEXTVS PRIMI SATYRÆ PRIMÆ.

PRoœmium huius Satyræ vnico verſu cõpræhenſum, effertur per ecphoniſim, & exclamationem, qua dicitur vniuerſa hominũ

ſtudia inepta eſſe, & in rebus ipſis naturalibus, multam reperiri vanitatem. Verum eo iſta meditante, & mandante chartis, ſuperueniens amicus, eum dehortari à propoſito conatur, quod huiuſmodi lucubrationes ingratę forent auribus hominum, nec vllum forent inuenturæ lectorem. Cui quum ipſe reſpondiſſet non ſe deſtiturum à propoſito, etiam ſi ſciret neminem eas debere legere. Ad hæc Monitor iureiurando aſſerit, prorſus neminem eas lecturum, quod eſt valde indignum, & ignominioſum. Poeta tunc quærit. Num Romani, & ipſe Nero, ſibi antepone e vellent Accium illum Labeonem poetam adeo inſulſum, vt non veritus fuerit dicere (Homeri Iliadem è Gręco in Latinum vertens (*Crudum manduces Priamum, Priamique piſinnos*, quo tamen Nero mire oblectabatur. Ad hæc Monitor. Vanæ ſunt inquit huiuſmodi querimoniæ, nam vere Nero, cæterique Romani, nihil probant, niſi molle, & effœminatum. Ex quo poetam cõſolatur, ſuadens ne ſua opera exponere velit (quaſi gēmam ante gallum Æſopicum) iudicio Romanorum, à quibus, non intellecta, contemptui erant futura, quum Romæ nullus tunc viueret, qui ſapientiæ initiatus ſaltem foret, ſed contentus teſtimonio propriæ conſcientię, abſtinere vellet à Satyra. Hinc poeta dolens ſibi interdictum eſſe pandere animi ſui conceptus, ait. O ſi mihi concederetur explicare, quę ſentio de moribus, & ignorantia Romanorum! ſed ſtatim firmat animum ſcribendi ſatyram, aſſerens id omnino ſibi licere, nã reſpiciens ad ea quæ Romani faciebant ab infantia, ad vſ-

que

que ętatem decrepitam,etiam illi qui ſanctiorem vitam profitebantur , quique aliorum, mores corrigere debebāt, quomodo inanibus, immo vitijs inquinarentur , & obcœcarentur ignorantia,nequibat abſtinere , ab eorum repręhenſione , ideòque rogat ſibi ignoſci ſic facienti. Monitori vero veniam deneganti : reſpondet,ſe nequire naturali obniti inclinationi, hanc vero,procliuitatē ridendi inquinatos aliorum mores, ineſſe ſibi à natura,nimirum à ſplenis magnitudine, & propterea par eſſe ſibi gnoſci.

Finis paraphraſis textus primi ſatyrę primæ.

TEXTVS SECVNDVS

SCribimus incluſi,numeros ille, hic pe-
(de liber
Grande aliquid , quod pulmo animæ
(prælargus anhelet,
Scilicet hic populo pexuſque,togaque recenti,
Et natalitia,tandem cum Sardonyche,albus
Sede legens celſa,liquido quũ pſalmate guttur
Mobile colluerit,patranti fractus ocello ,
Hic neque more probo videas,nec voce ſerena
Ingentes trepidare Titos,quum carmina lũbũ
Intrant,& tremulo ſcalpuntur, vbi intima
(verſu.
Tun'vetule auriculis alienis colligis eſcas?
Auriculis,quibus & dicas,Cute perditus.Ohe
Quid didiciſſe,niſi hoc fermentum , & quæ ſe-
(mel intus
Innata eſt,rupto iecore exierit caprificus?
En pallor,ſeniumque.O mores! Vſque adeone
Scire tuũ nihil eſt,niſi te ſcire hoc,ſciat alter?
At pulchrum eſt digito monſtrari , & dicier
(Hic eſt.
Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quærũt,
Romulidæ ſaturi,quid Dia poemata narrent.
Hic aliquis cui circa humeros , & ianthina
(lena eſt,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus
Phyllidas Hypſiphylas,vatũ,& plorabile ſi quid

Eli-

Eliquat,& tenero ſupplantat verba palato.
Aſſenſere uiri. Nunc non cinis ille poetę
Felix? Non leuior cippus nunc imprimit oſſa?
Laudant conuiuæ. Nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataque fauilla,
Naſcentur violæ? Rides ais,& nimis uncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recuſet
Os populi meruiſſe,& Cedro digna locutus
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, (nec thus?
Quiſquis es, ò modo quem ex aduerſo dicere feci,
Non ego quũ ſcribo, ſi forte quid aptius exit,
Quãdo hæc rara auis, ſi quid tamẽ aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fi- (bra eſt:
Sed recti finem, extremumque eſſe recuſo
Enge tuũ,& Belle; nam Belle hoc excute totũ,
Quid non intus habet? Non hic eſt Ilias Acci
Ebria veratro: non ſi qua elegidia crudi
Dictarunt proceres, non quidquid deniq; lectis
Scribitur in citreis. Calidum ſcis ponere ſumẽ,
Scis comitem horridulũ trita donare lacerna.
Et verum, inquis, amo, verũ mihi dicito de me,
Qui poteſ? Vis dicã. Nugaris, quum tibi Calue
Pinguis aqualiculus propẽſo ſeſquipede extet.
O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas:
Nec linguæ quantũ ſitiat canis Appula tãtũ;
Vos ò Patricius ſanguis, quos viuere fas eſt,
Occipiti cæco, poſticę occurrite ſannę.

COMMENTARIVM IN TEXTVM SECVNDVM SATYRÆ PRIMÆ.

COnatus fuerat Monitor Perſium reuocare ab intento ſcribendi Satyram: verum fruſtra, nam iſte firmus in propoſito, ſtatuit omnia ſtudiorum genera exagitare: ſed oratores in primis atque poetas, tum quia horum vitia notiora erant ſibi, eorumdem ſacrorum participi: tum etiam quia illorum infamia in ſeipſum, illorum conſacraneum, redundabat. Simul autem poetas perſtringit, & oratores, quia quum ambæ hæ facultates occupentur circa ſermonem, tam virtutes, quam pleraque vitia communia habēt, vt magnificentiam, & ei oppoſitum tumorem, ſiue inflationem: quod & Petronius exprimit in̄ principio ſui ſatyrici, vbi loquens de vitio declamatorum ait. *Hæc ipſa tolerabilia eſſent, ſi ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc, & rerum tumore, & ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu, hoc tantum proficiunt, ut quum in forum uenerint; putent ſe in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex ijs, quæ in uſu habentur, aut audiunt, aut uident, ſed piratas cū cate-*

catenis in littore ſtantes, & Tyrannos edicta ſcribentes, quibus imperent filiis, ut patrum ſuorum capita prȩcidant: ſed reſponſa in peſtilentiā data, ut uirgines tres, aut plures immolentur: ſed mellitos uerborum globulos, & omnia dicta, factaque, quaſi papauere, & ſeſamo ſparſa. Qui inter hȩc nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quā bene olere qui in culina habitant. Pace ueſtra liceat dixiſſe, primi omnium eloquentiam perdidiſtis, leuibus enim atque inanibus ſonis, ludibria quædam excitando, effeciſtis, ut corpus orationis eneruaretur, & caderet. Nondum iuuenes declamationibus continebantur, quum Sophocles, aut Euripides inuenerunt uerba, quibus deberēt loqui. Nondum umbraticus doctor ingenia deleuerat, quum Pyndarus, nouemque Lyrici, Homericis uerſibus canere timuerunt. Et ne Poetas quidem ad teſtimonium citem, certe neque Platona, neque Demoſthenem adhoc genus exercitationis acceſſiſſe video. Grandis eſt, vt ita dicam, pudica oratio, non eſt maculoſa, nec turgida, ſed naturali pulchritudine exurgit. Nuper uentoſa iſthec, & enormis loquacitas, Athenas ex Aſia commigrauit, animoſque iuuenum ad magna ſurgentes, peſtilenti quodam ſidere adflauit, ſimulque corrupta eloquentiȩ regula, ſtetit, & obmutuit. Et de poematibus eodem ſatyrico inquit Petronius. *Multos inquit Eumolpus, ô iuuenes carmen decepit: nam ut quiſque uerſum pedibus inſtruxit, ſenſumque teneriorem, uerborum ambitu intexuit, putauit ſe continuo in Heliconem ueniſſe. Sic forenſibus miniſteriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum tranquilliorem refugerunt,*

redentes facilius poema extrui poſſe, quum controuerſiam ſententiolis uibrantibus pictam. Cæterum neque generoſior ſpiritus uanitatem amat, neque concipere, aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum eſt ab omni uerborum, ut ita dicam, uilitate, & ſumendę uoces à plebe ſemotæ, ut fiat. Odi prophanum vulgus, & arceo. *Prętereà curandum eſt ne ſententię emineant extra corpus orationis expreſſæ, ſed intecto ueſtibus colore niteant. Homerus teſtis, & Lyrici, Romanuſque Virgilius, & Horatii curioſa felicitas. Cæteri enim, aut non viderunt viam qua iretur ad carmen, aut uiſam timuerunt calcare.* Eodem ergo modo nunc Perſius, ſimul pſeudooratores, & pſeudopoetas perſtringere intendit. Vnde ait. *Scribimus incluſi numer s ille, hic pede liber.* Eſt autẽ ſcribere, diuerſum ab exſcribere, & vette e. nam qui ſcribit, proprij ingenij fœtus exponit, qui vero vertit, aut exſcribit, al orum inuenta, ad propriam, vel etiam aliorum deriuat vtilitatem. Importat autem ſcribere, mentis conceptũm literis ſiue caracteribus, alijs manifeſtare. Et ſic accepit Plautus, dum in Prologo Aſinariæ ait.

Huic nomen Grecè eſt Onagros fabulæ.
Demophilus ſcripſit, Marcus uortit barbarè
Aſinariam uolt eſſe, ſi per uos licet.

Et idem Plautus Menechmis Actu 2. Scena 1. inquit.

In ſcirpo nodum quæris, quin nos hinc domum
Redimus, niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus.

Sic Horatius Epiſtolarum lib. 2. epiſtola 2.

Paupertas impulit audax

Vt uerſus facerem : ſed quod non deſit habentē
Quę poterunt unquam ſatis expugnare cicutæ
Nil melius dormire putē quā ſcribere uerſus.

Et idem eadem epiſtola ſubdit.

Me Romana poemata cenſes
Scribere poſſe inter tot curas, totque labores.

INCLVSI. Includere eſt intus claudere. Sic accipit Cato dicens apud Ciceronem de ſene. ctute. *Ego ueſtros patres P. Scipio, tuque C. Leli, uiros clariſſimos, mihique amiciſſimos uiuere arbitror, & eam quidem uitam, quę eſt ſola uita nominanda. Nam dum ſumus, his incluſi compagibus corporis, munere quodā neceſſitatis, & graui opere perfungimur. Eſt enim animus Cœleſtis, ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum Diuinæ naturæ, ęternitatique contrarium.* Eodem ſenſu accepit Virg. 2. AEnæidos verſu 45.

Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros

Et Ouidius libro 5 Triſtium elegia 1.

Strangulat incluſus dolor, atq; exęſtuat intus,
Cogitur, & uires multiplicare ſuas.

Sapientes ergo, & omnes qui liberales profitebantur artes, incluſi ſcribebant, ſecreti videlicet, liberi, atque remoti ab hominum confluxu, tumultoque. Eadem ſiquidem laus eſſe cēſetur hominum eruditorum & honeſtarum matrumfamilias, nimirum domi incluſos ſe continere. Sic namque, demptis arbitris, feruentius meditationi incumbere poſſunt: quæ attentio frequentius deperit, ſi quid crepuerit extrinſecùs: ideoque ſcriptores cubiculis, & lectis ſe continebant. Niſi manis incluſos re-

 ferre

ſerre ad penulas, quibus amiciebantur, quod cumulatiuè admitte e poſſum, vt ita ſint bis incluſi, cubiculis ſcilicet, & veſtibus.

NVMEROS ille, hic pede liber. Numerus propriè eſt collectio vnitatũ, vnitas enim ſiue vnum, non eſt numerus, ſed illius principium, binarius vero, primus, & minor numerorum, vt & alij ex vnitatibus conſtantes. Sic Ouidius 2. Triſtium eleg. vnica.

Teſſera quot numeros habeat diſtante uocato
Mittere quo deceat quo dare miſſa modo.

Sed quum omnis harmonia, & harmonicus concentus numeris conſtet, adeo vt muſica arithmeticæ ſit ſubalternata, numerus frequenter ponitur pro ratione harmonica. Et ita Virgilius Ecloga 9. verſu 44.

Quid quę te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram? numeros memini, ſi uerba tenerem.

Et Naſo 4. Triſt. eleg 1.

Hoc eſt quur cantet uinctus quoq compede foſſor
Indocili numero quum graue mollit opus.
Cantat, & innitens limoſę pronus arenę
Aduerſo tardam qui trahit amne ratem
Quique refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum, pulſa brachia uerſat aqua.

Et infra eadem elegia 1. libri quarti Triſtium ait, idem Ouidius.

Et tamen ad numeros antiquaque ſacra reuerti.
Suſtinet in tantis hoſpita Muſa malis.

Harmonicus autem numerus, communis eſt Oratoribus, atque poetis, niſi quod in his eſt manifeſtus &, in eiſdem locis ſemper idem: in illis vero tectior, diſſimulatus, & ideò in eiſdẽ locis diuerſus, vt ex Ariſtotele, & Cicerone

dixi.

diximus in Inſtitutionibus Oratorijs libro 2. Tractatu 2, cap. 2. Et lib 3. Tract. 4. cap. 4. Vnde quod hic ait. *Scribimus incluſi numeros ille, hic pede liber,* numerorum nomine conſpicuos intellexit, nimirum verſus, & carmina: pede vero liber intelligitur Orator, non quod hic abſque pedibus ſcribat, ſed quod non vtatur ſemper eiſdem: & ita vult vnum ſcribere verſus, alium orationem proſam.

GRANDE aliquid quod pulmo animę prælargus anhelet. Granditas propriè ætatis importat magnitudinem: ſic Euclio; apud Plautũ Aulularia Actu 2. Scena 2.

Meam pauperiem conqueror
Virginem habeo grandem, dote caſſam, atque il-
(locabilem.

Et Æſchinus apud Terentium Adelphis Actu 4. Scena 5. loquens de Pamphila ait. *An ſedere oportuit domi, virginem tam grandem.* Sic etiam Cicero pro A. Cæcina ait. *A Cluētius Habitus, fuit pater huiuſce, Iudices, homo non ſolum municipij Larinatis, ex quo erat, ſed etiam regionis illius, & vicinitatis, virtute, exiſtimatione, nobilitate, facile princeps. Is cum eſſet mortuus, Sylla, & Pompeio Coſſ. reliquit hunc annorum quindecim natum, grandem autem, & nubilem filiã.* Inuenitur nihilominus granditatis vocabulũ extenſum ad ſignificandam, quamuis aliam magnitudinem. Hinc Anus, apud Plautum Curculione Actu 1. Scena 2. ait.

Grandiorem gradum ergo fac ad me obſecro.

Sic Hegio apud eumdẽ Plautũ Captiuis. Actu 2. Scena 2.

An vero non iuſta cauſa eſt, vt vos ſeruẽ ſedulo

Quos

Quos tã grandi ſim mercatus preſẽti pecunia?
Et Dinacium apud eumdem, Sticho Actu 2. Scena 2.

Tantum à portu apporto bonum, tam gaudiũ
(adfero grande
Vix ipſa Domina hoc niſi ſciat, exoptare à Dijs
(auſit ipſis.

Et ſic de alijs multis: & in primis, Grande dicitur de ſublimi orationis ſtylo, qui alio nomine appellatur Magniloquentia, de qua diximus Inſtitutionibus Oratorijs lib. 3. Tractatu 4. cap. 1. de qua etiam Cicero in Bruto inquit. *Huic ętati ſuppares Alcibiades, Critias, Theramenes, quibus temporibus dicendi genus viguerit, ex Thucididis ſcriptis (qui ipſe tunc fuit) intelligi maximè poteſt: Grandes erant verbis, crebri ſententiis, compreſſione rerum breues, & ob eam cauſam interdum ſubobſcuri.* Vbi, & de Demoſthene ait. *Nihil acute inueniri potuit, in eis cauſis, quas ſcripſit, nihil, vt ita dicã, ſubdole, nihil verſute, quod ille non viderit: nihil ſubtile dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius. Nihil contra Grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum grauitate, vel ſententiarum, quò quidquam eſſet elatius.* Stilus autem hic grandis, ſiue altiloquus, vel magnificus, & ſublimis, inter omnes laudatiſſimus, vt diximus loco citato, tractantium inſcitia, in vitia incurrit tumiditatis, & inflationis. In quod etiam vitium paſſim incidebant poetæ, & oratores granditatem affectantes, contra quos nunc Perſius loquitur, vt etiam Horatius Piſonibus ſcribens.

Nec ſic incipies, vt ſcriptor cyclicus olim:

Fer-

Fortunam Priami cantabo,& nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient Montes,naſcetur ridiculus mus.

Vnde quod hic appellat Grande, non eſt proprie ſublime dicendi genus, ſed huius affectatio per ampulloſa verba, rerum & ſententiarũ p nde e deſtituta.

QVOD pulmo animæ prælargus anhelet. Pulmo eſt viſcus ſpongioſum, totius corporis, poſt cor,nobiliſſimum, ad vngulæ bouis inſtar diſſectum,prouiſum à natura, vt,quaſi follis, attrahendo,& emittendo ſpiritum,natiuum,cordis,& animalis calorem temperet, & refrigeret,eſt enim reſpirationis inſtrumentum. De eo Celſus lib.2. cap.7. *Qui ſpumantem ſanguinem excreant,his in pulmone vitium eſt.* Et lib. 4.cap.1. *Pulmo ſpongioſus, ideoque ſpiritus capax,& à tergo ſpinę ipſi iunctus, in duas fibras, vngulæ bubulę modo diuiditur.* Plinius vero lib.11.cap.37. *Sub corde pulmo eſt, ſpirandique officina, attrahens, ac reddens animam,idcirco ſpongioſus, ac fiſtulis inanibus cauus Pauca eũ, ut dictum eſt., habent aquatilia, ac cętera oua parientia exiguum,ſpumoſum, nec ſanguineum, ideo non ſitiunt. Eadem eſt cauſa quare ſub aqua diu ranæ, & phocæ urinentur. Teſtudo quoque quamuis prægrandem,& ſub toto tegumento habeat, ſine ſanguine tamen habet. Quanto minor hic corporibus,tanto uelocitas maior.* Quum ergo pulmo ſit reſpirationis inſtrumentum, quando cum difficultatę reſpiramus, tunc anhelare dicimur. Et id accidit aliquando excurſu,aſcenſu,labore, aut alia fatigatione corporis:aliquando vero, ex recitatione oratio-

nis habentis longas periodos, aut verba aſpera,& prolatu difficilia : talia enim,ab exiguum habente pulmonem, nequeunt abſque anhelitu,& fatigatione recitari.Rem autem exaggerat Perſius,dum prælargum pulmonem nominans,aſſerit nihilominus, recitando anhelare. Vitioſiſſimam quippe oportuit eſſe eam orationem,cui,abſque anhelitu,pronunciandę,ne ille quidem par fuerit, qui optimo , prælargo nempè pulmone præditus erat. Inter laudes autem pulmonis, hæ tres in primis numerantur,vt ſit largus,ſiue magnus , & mollis,& validus , adeo vt abunde ſpiritum admittere, & remittere poſſit.

ANIMAE. Anima eſt forma corporis , & nobilior pars compoſiti viuentis,cuius naturā duplici notione explicauit Ariſtoteles in 2.de Anima,primo dicendo. *Anima eſt actus corporis phyſici organici,potentia vitam habentis*. Secundo: *Anima eſt qua primo viuimus,ſentimus, loco mouemur, & intelligimus*. Et eſt triplex nempe altrix,ſeu vegetatrix,ſentiens,& ratiocinatrix,iuxta diuerſos viuentium gradus : ſiquidem in vegetabilibus,nempè in plātis,herbis,& arboribus,eſt tantum anima altrix,quæ eſt viuendi principum: in animalibus vero eadem anima, quæ eſt ſenſationum principium, eſt etiam viuendi, & nutriendi. In homine quamuis, non ſit niſi vnica anima, quæ eſt rationalis,hæc tamen nedum dat ratiocinari , & intelligere,ſed etiam viuere , & ſentire . Aliquando tamen anima ſumitur pro eodem , ac animus:ſed nonnulli iſta diſtinguunt,dicentes, animam propriè eſſe ſubſtantialis vitæ,& operatio-

rationum partis inferioris, principium, animū vero dici, illam portionem, quæ eſt princip ū operationum intellectualium, & proprie dicitur mens. Sæpè etiam anima ſumitur pro ipſa vita, & ſic accepit Iuuenalis, dicens Satyra 12. verſu 17.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tedæ.

Sed frequentius anima ponitur pro vēto, aerē, & flatu, in quo ſenſu legimus Sapientiæ 2. *Ex nihilo ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus, quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum, qua extincta cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diſſoluetur tamquam mollis aer.* Sic Virgilius loquens de malo Medico, animam pro flatu poſuit 2. Georg. verſu 131.

Ipſa ingens arbor faciemque ſimillima lauro,
Et, ſi non alium late iactaret odorem
Laurus erat, folia haud vllis labentia ventis
Flos apprime tenax, animus, & olentia Medi.
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Sic colluquuntur Demenetus, & Philenium, apud Plautum Aſinaria Actu 5. Scena 2.

Dem. *AEdepol animam ſuauiorē aliquanto, quā (vxoris meæ.*

Plin. *Dic amabo, an fætet anima vxoris tuæ.*

Demen. *Nauſeam.*

Bibere malim ſi neceſſum eſt, quā illanc oſcularier.

Sic de Euclione loquentes Strobilus, & Congrio dicunt apud Plautum, Aulularia. Actu 2. Scena 4.

Strob.

Strob. *Quin, quum is dormitum, follem obringit (ob gulam.*
Con. *Quur?* Strob. *Ne quid animæ forte amit- (tat dormiens.*
Cong. *Etiamne obturat inferiorem gutturem*
Tum, ne quid animę forte amittat dormiens.
Et ita nunc animæ nomine aerem intelligit, vel flatum, reſpiratione per pulmonem tractũ, & emiſſum.
ANHELET. Anhelare eſt ægrè, & cum difficultate halare, ſeu ſpirare, vel reſpirare: quæ paſſio accidit ex labore, & fatigatione excitãte calorem, quo multiplicantur ſpiritus, ſe mutuo circa exitum, ſiue ſpirationem, & halationem, impedientes, ſic intelligit Ouidius dicens lib.2. Faſtorum.
Nullus anhelabat ſub adunco vomere taurus
Nulla ſub imperio terra colentis erat.
Sic etiam accipitur apud eumdem Naſonem libro 4. Triſtium elegia prima.
Hoſtis habens arcus, imbutaque tela veneno
Sæuus, anhelanti mœnia luſtrat equo.
In recitandis vero longis periodis, & verbis dithyrambicis, accidit, hæc fatigatio, & conſequenter halatio.
SCILICET, hæc populo pexuſque, togaque recenti, & natalitia tandem, cum ſardonyche albus ſede leget celſa, liquido quum plaſmate guttur mobile colluerit, patranti fractus ocello. Exprimitur his verbis apparatus, qua Magnas quidam ad recitandum proceſſit. Ordo autem verborum talis eſt: ſcilicet pexus, & tandem toga recenti, & natalitia, leget hæc ſede celſa, quum guttur mobile colluerit liquido plaſmate,

te, fractus ocello patranti. Scilicet autem, quã-uis aliquando ſumatur ironicè ad ſignificandũ rem abſurdam, vel minus credibilem, vt conſtat, ex colloquio Simonis, & Daui apud Terentium Andriæ Actu 1. Scena 2.

Simo. *Meum gnatum rumor eſt amare.*

Dauus. *Id populus curat ſcilicet.*

Sic Dido apud Virgilium 4. Æneidos verſu 376.

Heu furijs incenſa feror, nunc augur Apollo
Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo
Interpres Diuum fert horrida iuſſa per auras.
Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat.

Sic etiam loquitur Vlyſſes apud Ouidium lib. 13. Metamorphoſeos.

Scilicet idcirco pro nato cærula mater
Ambitioſa ſuo fuit, vt Cæleſtia dona
Artis opus tantæ, rudis, & ſine pectore miles
Indueret?

Propriè tamen idem valet, ac certe, vel profectò, quaſi ſit ſcire licet, ſicut videlicet ſonat videre licet: ſic Polixena, apud Ouidium 12. Metamorph.

Vtere iam dudum generoſo ſanguine, dixit.
Nulla mora eſt, aut tu iugulo, vel pectore telũ
Conde meo (iugulumq; ſimul, pectuſq; retexit.)
Scilicet, aut vlli ſeruire Polixena ferrem.
Aut per tale ſacrum numen placabitis vllum.

Et Canace, apud eumdem Ouidium Epiſtola 11. ſcribit.

Scilicet eſt aliquid cum ſæuis viuere ventis,
Ingenio populi conuenit ille ſui.

Sic etiam Lucretius lib. 2. de Rerum natura verſu. 464.

Nam

Nam quod fluidum eſt,è leuibus,atq;rotundis
Eſt,ac leuibus atque rotundis miſta doloris
Corpora:nec tamē hæc retineri hamata neceſſu',ſt.
Scilicet eſſe globoſa, tamen quum ſqualida
(conſtent
Prouolui ſimul,vt poſſint,& lędere ſenſus.

Et hoc modo nunc ſumitur, intendit enim demonſtrare,& fere præ oculis ponere, exteriorem cultum Magnatis prodeuntis ad recitandum.

PEXVS. Verbum pecto,quamuis ad multa ſignificāda accomodetur,& transferatur,nihilominus proprie idem valet, ac extricare, & explicare capillos. Sic Cicero 2. Catalinaria. *Poſtremum autem genus eſt,non ſolum numero, verum etiam genere ipſo atque vita, quod proprium eſt Catalinæ, de eius delectu, immo vero de complexu eius ac ſinu,quos pexo capillo, nitidos,aut imberbes,aut bene barbatos videtis.* Sic Ouidius lib.1.de Arte.

Hanc matutinos pectens ancilla capillos
Incitet,& velo remigis addat opem

Sic Horatius lib.1.Carminum ode 15.

Nequicquam Veneris præſidio ferox
Pectes Cęſariem,grataque fœminis
Imbelli Cithara carmina diuides.

Curam autem adhibere, & ſollicitudinem in explicandis pectendiſque capillis,proprium videtur mollium,& effœminatorū; vnde molliciei notatur recitator iſte, qui ſic pexus inducitur.

TOGAQVE recenti,& natalitia. Toga à tegendo dicta,nam alias veſtes, & totum corpus tegebat,genus erat veſtis propriæ Romanorū,

tam

tam virorum, quam fœminarum, qui propterea dicebantur gens togata, vt Iuppiter ait, apud Virgilium lib. 1. Æneidos verſu 283.

Quin aſpera Iuno
Quæ Mare nunc, terraſque metu, Cælumque (fatigat,
Conſilia in melius referet, mecumque fouebit
Romanos rerum Dominos, gentemq; togatam.

Hac autem veſte vtebantur pacis tempore, nam in militia, & in caſtris, breuiorem aſſumebant, quam ſagum dicebant. Et ita Cicero, ait Philippica 5. ſeu Oratione 48. *Quamobrem P. C. Legatorum mentionem nullam cenſeo faciendam, rem adminiſtrandam arbitror ſine mora, & confeſtim gerendam cenſeo, tumultum decerni: iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere, delectum haberi, ſublatis vacationibus in Vrbe, & in Italia, præterea Gallia tota.* Et idem ad Quirites oratione 49. quę eſt Philippica 6. ait. *Bellum nefarium illatum Reip. quum viderem, nullam moram interponendam inſequendi M. Antonium putaui: hominemque audaciſſimum, qui multis nefarijs rebus ante commiſſis, hoc tēpore Imperatorem Populi R. oppugnaret, Coloniā noſtram fidiſſimam, fortiſſimamque obſideret, bello cenſeo perſequendum, tumultum eſſe decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dixi placere, quo omnes acrius grauiuſque incumberent ad vlciſcendas Reip. iniurias, ſi omnia grauiſſimi belli inſignia ſuſcepta à Senatu viderent.* Et infra eadem oratione ad Quirites. *Vos ſaga parate. eſt enim ita decretum, vt ſi ille authoritati Senatus non paruiſſet, ad ſaga iretur. Ibitur: non parebit.* Sic etiam Philippica 7. *An Equites Romani amplecten-*

ſtentur? occulta enim fuit eorum voluntas, iudiciumque de M. Antonio. Qui frequentiſſimi in gradibus Concordiæ ſteterunt, qui vos ad libertatem recuperandam incitauerunt, arma, ſaga, bellum flagitauerunt, me vna cum Populo R. in concionem vocauerunt, hi Antonium diligent? cum his pacem ſeruabit Antonius. Toga autem erat veſtis longior, ad talos vſque demiſſa. Quod autem hic cognominetur toga recens, factum eſt ad ſignificandum recitatorem iſtum plauſum captaſſe, ex corporis cultu, auditorumque captaſſe beneuolentiam ex ijs, quæ erant prę ter, & extra rem, ſiue orationem, vt ex veſte recenti, ex coma pexa, & manu Sardonycata.

TANDEM cum Sardonyche. Sardonix gemma eſt, ſumma ſui parte vnguis humanæ, tam candorem referens, quam læuitatem, inferiori vero, & magis intima, Sardę, ſeu, dicere mauis, Sardij etiam gemmę, ruborem, itaut nonnullis videatur, non ſimplicem eſſe gemmam, ſed cō poſitam, ex onyche, & Sardio, & earumdem gemmarum imitari, vt colores, ita & virtutes, & qualitates. Eſt igitur Sardonyx lapis coloris rubei diluti, & admixti candori, ſeu pallori, qualis eſt in humano vngue. Et quum nihil habeat ſcabriciei, multo extimabatur, eiuſque vſus erat maximus in anulis ſignatorijs, nam facile ſculpebatur, &, ob læuitatem, non patiebatur ceram ſibi adhærere, quali anulari gē ma Romæ primus vſus eſt Scipio, vt refert Plinius lib. 37. cap. 6. dicens. *Primus Romanorum Sardonyche vſus eſt prior Africanus, vt tradit Demoſtratus, & inde Romanis hanc gemmam fuiſſe celeberrimam. Quamobrem proximum ei*

da-

ſtabimus locum, Sardonyches, olim, vt ex nomine ipſo apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc eſt velut carnibus vngue humanis impoſito, & vtroque translucido: taleſque eſſe Indicas tradũt Iſmenias, Demoſtratus, Zenothemis, Sotacus: hi quidem reliquas omnes, quæ non transluceant, cęcas appellantes, quæ nunc nomen abſtulere. Nullo Sardarum veſtigio Arabicæ ſunt, cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi; radice nigra, aut cæruleum imitante, & vnguem: creditum enim candido pingi, nec ſine quadam ſpe purpuræ, candore in minium tranſeunte. Has Indis non habitas in honore Zenothemis ſcribit, tantæ alias magnitudinis, vt inde capulos factitarent: etenim conſtat ibi torrentibus detegi. Et placuiſſe in noſtro orbe initio, quoniam ſolæ prope gemmarum ſcalptæ, cęram non auferrent. Perſuaſimus deinde, & Indis, vt ipſi quoque ijs gauderent: vtiturque perforatis, vtique vulgus tantum in collo: & hoc eſt nunc Indicarum argumẽtum. Arabicæ excellunt candore circuli prælucido, atque non gracili, neque in receſſu gemmę, aut in deiectũ retinente, ſed in ipſis vmbonibus nitente, præterea ſubſtrato nigerimi coloris. Et hoc in Indicis cereum, aut corneum inuenitur, etiam circuli albi, quędam in ijs cæleſtis arcus anhęlatio eſt, ſuperficies vero locuſtarum maris cruſtis rubētior. Iam mellęę, aut fęculentę (hoc enim nomen eſt uitio) improbantur, & ſi Zona alba fundat ſe, non colligat. Simili modo ſi ex alio colore in ſe admittat aliquid enormiter, nihil enim in ſua ſede alieno interpellari placet. Sunt & Armeniacę, cętera probandę, ſed pallida Zona. Inſignem Sardonychem ſignatoriam habuit

buit Polycrates Samiorum Tyrannus, eique gratiſſimam, de qua idem Plinius eodem lib. 37. cap. 1. *His initijs cœpit authoritas, in tantum amorem elata, ut Polycrati Samio, ſeuero inſularum, ac litorum tyranno, fœlicitatis ſuæ, quam nimiam fatebatur etiam ipſe, ſatis piamenti in unius gemmę uoluntario damno uideretur, ſi cũ fortunæ uolubilitate paria faceret, planeque ab inuidia eius abunde ſe redimi putaret, ſi hoc unũ doluiſſet. Aſſiduo ergo gaudio laſſus, prouectus nauigio in altum, anulum merſit: at illum piſcis eximia magnitudine Regi natus, eſcæ uice raptũ, ut faceret oſtentum, in culinam domini rurſus, fortunæ inſidiantis manu, reddidit. Sardonychẽ eam gemmam fuiſſe conſtat, oſtenduntque Romæ ſi credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo, Auguſtæ dono, incluſam, & nouiſſimum prope locum, tot prælatis, obtinentem.* Libet autem hanc Polycratis hiſtoriam, ad aliorum exemplum, ex Thalia, ſeu lib. 3. hiſtoriarum Herodoti hic tranſcribere: ſic autem ait. *Dum Cambyſes AEgyptum contendit, Lacedęmonij quoque intulere bellum Samo, & Polycrati Æacis filio, qui Samum ui occupauerat, eamque inter initia trifariam partiturus erat, cum fratribus Pantagnoto, & Syloſonte. Quorum deinde altero necato, altero, qui erat iunior, eiecto, totam ſolus obtinebat, inito fœdere, cum Amaſi Rege AEgypti, cum quo hoſpitium habebat, mittens munera, viciſſimque accipiens. Breuique ſtatim tempore res eius adeo profecerunt, ut per Ioniam, cæteramque Græciam celebrarentur: quocumque enim bellum intulerat cuncta ei proſpere cedebant, quum haberet centum biremes, mille ſagittarios, inuadens*

omnes

omnes ſine vllo cuiuſquam diſcrimine, quod diceret, ſe magis gratificari amico, ſi ei quæ abſtuliſſet, redderet, quam ſi nihil adhuc auferret. Multas itaque hic inſulas, multa etiam in continente oppida capiebat. Lesbios enim, cum multis copijs opem Mileſijs ferentes nauali prælio vicit, cæpitque, qui omnem foſſam, mœnia Sami ambientem, vinctí foderunt. Atque res Polycratis tantopere ſecundas eſſe, non latuit Amaſim, cui hoc curæ erat. Sed quum aſſidue forent multo ſecundiores, Amaſis libellum Samum miſit, in hæc verba ſcriptum. Amaſis Polycrati ita inquit: Mihi quidem feliciter agi cum viro amico meo, & hoſpite, audire voluptati eſt: tamen tuæ magnæ proſperitates, non mihi placent, qui intelligo quam inuidum nomen ſit. Quod ad me attinet, malim tum meas ipſius, tum eorum, qui mihi curæ ſunt, res, nunc proſperè ire, & per varias fortunæ vices æuum traducere, quam in omnibus mihi proſpere cedere. Tu itaque mihi obtemperando hoc aduerſus proſperitates agito, Diſpice quid tibi eſt, quod plurimi facias, quodque amiſſum tibi maxime doleret: id vbi inueneris, ita abijcito, vt numquam ad homines veniat. Quòd ſi proſpera tua deinceps non variabuntur, aduerſis medeare tu tibi ſubinde, eo modo quem tibi ſubieci. Hæc quum legiſſet Polycrates, & in animum demittens, tãquam bene ſibi ab Amaſi præcepta, diſquirebat, quod nam ſuorum ornamentorum eſſet, quo amiſſo, maxima ipſe moleſtia afficeretur: atque hoc tandem quæritando inuenit. Erat ei gemma ſignatoria Smaragdus, quã geſtabat auro incluſam, opus Theodori Samij, Telecle geniti. Hanc vbi abijciendam ſtatuit, ita abijcere libuit:

biremem conſcendit, eam de hinc viros, quibus illam inſtruxerat, in pelagus educere iubet: & poſtquam ab inſula procul aberat, detractum ſibi ſigillum, dictis qui vna nanigabant inſpectantibus, abiecit in pelagus. Hoc acto renauigauit. Reuerſo domum, quum ex iactura afficeretur, quinto sextoue quam hæc acta ſunt die, hoc ei caſu euenit: piſcator quidam, captũ à ſe piſcem, grãdẽ ſane, ac pulchrum, putauit dignum, quo Polycratẽ donaret, eũ ad fores quũ attuliſſet, dixit ſe in cõſpectũ Polycratis ire velle: a ianitore permiſſus, donans Polycrati piſcem, Rex, inquit, hunc ego, quem cepi, piſcem, & ſi operis mannarijs vitam tolero, tamen non iudicaui ferendum à me eſſe in forum, ſed te, tuaque potentia dignum. Eum itaque adfero tibi, donoque. His nerbis iſte delectatus, ita reſpondit. Tum uero probè, nec facto ſolo, ſed etiam oratione apud me inſiſti gratiam, ad cœnamq; te uocatum uolo. Hæc magni faciens piſcator, domum abijt: piſcem miniſtri reſcindentes, offendunt in eius aluo ſigillum Polycratis. Quod ubi uiderunt, ſumpſeruntque, ad Polycratẽ lætabundi quam celerrime pertulerunt. Eoq; illi reddito, referebant quo pacto fuiſſet inuentum. Polycrates, quemadmodum res diuinitus contigit, ſingula queq; à ſe geſta, retulit in libellum, & qua ratione, quod amiſerat, recepiſſet. hæc ubi ſcripſit, in AEgyptũ miſit. Quibus tabellis Amaſis perlectis, quæ à Polycrate uenerant, intellexit, non poſſe præſtare hominem, ut alterum hominem fato impendenti eripiat, vtque Polycrates bene iam moreretur, bonam fortunam ſemper expertus, qui ea quoq. reperiret, quæ abieciſſet. Miſſo itaque Samum caduceatore, dixit, ſe ius cũ

eo hoſpitii ſoluere. Quod ideo fecit, ne in triſtem aliquem grauemq; caſũ incidente Polycrate, animi dolorem, ueluti de hoſpite, ipſe contraheret. Et præſagium verum fuit, nam infra eodem libro 3. ſiue Thalia ſubdit Herodotus. *Erat Sardibus præſes quidam à Cyro præfectus, nomine Oroetes, uir Perſes, cui nefariæ rei cupido inceſſit, ſiquidem Polycratem Samium, a quo nullo nec facto, nec dicto quantulocumq; læſus eſſet, quemq; ne uidiſſet quidem umquam, tamen concupiuit capere ad interimendum, ob hanc, ut pleriq; aiunt, cauſam. Quum aliquando pro foribus Regis conſiderent Oroetes, & alter quidam Perſes, nomine Mitrobates, præfectus gẽtis, quæ eſt in Daſcylio, è uerbis ad iurgia peruenerunt. Et quũ de uirtute diſceptaretur, Mitrobates obiiciens Orœti inquit. Tunè in precio uirorum es, qui inſulam Samum, tuæ prouinciæ adiacentem, Regi non acquiris, ita facilem captu, ut quidam è popularibus, qui indecim armatis fretus, occuparit, eiuſq; tyrannide potiatur? Hoc iurgium audienti Oroeti, adeo doluiſſe quidam aiunt, ut affectauerit, non de obiurgante uindictam, ſed Polycratem prorſus occidere, propter quem male audiſſet. Alii, ſed pauciores, inquiunt, caduceatorem in Samum ab Oroete miſſum, cuiuſdam rei rogandę cauſa, cuius autem, non dicitur; Polycratem tunc forte in conclaui cubantem fuiſſe, aſſiſtente ei Anacreõte Teio: dq; ſiue conſulto, quod res Oroetis contẽptui haberet, ſiue forte áliqua huiuſmodi factum. Ad quem accedens Oroetis caduceator, quum mandata exponeret, Polycratem, neq; ſe ad hominem conuertiſſe (erat enim ad parietem uerſus) neq; quidquam reſpondiſſe. Hæ biſariæ cauſæ mor-*

tis Polycratis fuiſſe memorantur, quarum viribet accomodare fidem quis poteſt. Itaque Oroetes in Vrbe Magneſia degens, quæ eſt ad Mæandrum flumen ſita, miſit Myrſum quemdam Lydum Gygis filium, cum nuncio in Samum ad Polycratem, cuius animum nouerat. Etenim Polycrates primus extitit Grecorum, dumtaxat eorum quos nouimus ſecundum Minoen, & ſi quis alius iſto prior maris imperio potitus eſt, qui in animum induxerit, vt mari potiretur. Primus inquam extitit ex eo genere quod humanum vocatur, qui multam conciperet ſpem Ioniæ, atque inſulis dominandi. Hoc igitur eum in animo habere, certior Oroetes factus, miſit nuncium in hæc verba. Oroetes Polycrati, ita inquit. Audio te res excellentes agitare animo, ſed propoſito rem pecuniariam, non ſuppetere. Quod ſi ita feceris vt ſuadeo, proſpexeris, & tibi, & ſaluti meæ: nam Rex Cãbyſes, vt mihi pro comperto renunciatur, de me interficiendo cogitat. Nũc igitur meipſum recipito, atque pecunias, earum partem tibi habiturus, partem mihi permiſſurus: & ipſarum pecuniarũ beneficio, omni Greciæ imperaturus. De quibus, ſi mihi fidem non habes, mittito quempiam tibi fidiſſimum, cui ego fidem faciam. Quo audito, Polycrates gauiſus eſt, atque obſequi volebat, maiorem enim in modum pecuniam auebat. Mittit igitur prius ad rem inſpiciendam, quemdam è popularibus ſuis, Mæandrium Meandrij filium, ſcribam ſuum, qui non longo poſt hæc tempore, ornatum conclauis Polycratis ſpectatu dignum, templo Iunonis omnem dicauit. Hunc Oroetes, cognito ſpeculatorem eſſe circumſpectum, ita ſibi agendũ putauit. Octo ſcrinia lapidibus implet, præter admodum

modum paruam partem circa ipſas oras, ac ſuperficiem lapidum auro inducit, eaq; ſcrinia alligata in expedito habet. Quæ, aduenìens Mæandrius, quum inſpexiſſet, Polycrati renunciauit. Enim vero ne illuc ſeſe conferret magnopere dehortabantur, tum oracula, & amici, tum præcipue ſomnium hoc, quod eius filia viderat: videbat vr ſibi cernere patrem in aere ſublimem eſſe, qui à Ioue quidem lauaretur, à Sole autem inungeretur. Hanc viſionem conſpicata, inſtabat omnino diſſuadere patri, ne à patria proficiſceretur ad Oroetem, quin etiam ad biremem eunti, male ominabatur. Cui quum ille minitaretur, ſi ſoſpes rediret, fore vt hæc perdiu maneret virgo: ipſa vt ita contingeret ſibi imprecata eſt: Malle enim ſe diutius virginem eſſe, quam patre orbari. Polycrates omne conſilium pro nihilo habens, ad Oroetem nauigauit, quum alios ſecum ducens, tū vero Democedem Calliphontis Crotonienſem Medicum, qui eam artē apud ſuos præclariſſimè omnium exercebat. Vbi Magneſiam peruenit Polycrates, tetra morte eſt affectus, indignaq; aut ſua perſona, aut ſuis cogitationibus. Nam neq; eorum qui Syracuſis Tyranni extiterunt, neque aliorum Græciæ Tyrannorum ullus eſt magnificentia, cū Polycrate comparandus. Eum Oroetes (quod indignum relatu eſt) cruci ſuffixit. Eorum vero qui illum comitati fuerant, Samios quidem dimiſit, iubens eos gratiam ſibi habere, quod liberi eſſent: hoſpites autem, atque ſeruos, iure captiuitatis ſibi uendicans, retinuit. Polycrates ergo ſuſpenſus, omnem filiæ uiſionem exſoluit, nam ab Ioue quidem, quum plueret, lauabatur: à ſole autem, ex ſudante è membris abdomine, ungebatur. Hunc

exitum habuerunt tot proſpera Polycratis, quem naticinatus ei fuerat Amaſis Rex Ægypti: Appellat autem Perſius gemmam iſtam Sardonychem natalitiam, quia forte natali die miſſa fuerat, quando cognati, & amici mittere ſolebant, maxime veſtes, & anulos, vnde Miles apud Plautum Curcul. Act.1. Scen.2. *Hic eſt quem ego miſi tibi natali die*. De qua conſuetudine, à Meretricibus etiam vſurpata, queritur Ouidius dicens lib.1. de arte.

Quid? quaſi natali quum poſcit munera libo?
Et quoties opus eſt naſcitur illa ſibi.

Intelligitur ergo gemma Sardonyx magni valoris, vt pote miſſa Natali die, qua iſte ornabatur.

ALBVS. Albedo color eſt notiſſimus, nigredini ex diametro oppoſitus: ſunt enim hi duo colores extremi, inter quos ſunt alij ex eorumdem quaſi mixtione ſurgentes, vt viriditas, rubedo, & alij. Subtilius autem rimantes, obſeruant, album pallori eſſe coniunctum, vt apparet in plumbo: candorem vero luci, ſiue ſplendori, qualem videmus in recenti niue. Vnde album opponitur intermediè atro, nigro vero candidum extremè. Verum hæ ſubtilitates, non ſemper obſeruantur. Quia vero color albus, ſiue candidus, eſt primus, & nobiliſſimus inter colores, vtpote proximior luci, ex cuius participatione colores omnes cauſantur, hinc res quæcumque cæteris ſui generis excellentiores, metaphoricè albæ dicuntur, vnde idem Perſius infra hac eadem ſatyra verſu 110. dicet. *Per me equidem ſint omnia protinus alba*, hoc eſt optima, & vndequaque perfecta. Sicut è

con-

contra nigra denominatur res, reliquis ſui generis fœdior ſiue deterior, & ita Cicero pro A Cecina inquit. *Duo præterea teſtes, nihil de vi, ſed de ipſa emptione fundi dixerunt, P. Cæſenius author fundi, non tam authoritate grauis, quam corpore: & argentarius Sextus Clodius, cui nomen eſt Phormio, nec minus niger, nec minus confidẽs quam ille Terentianus eſt Phormio, nihil de vi dixerunt.* Itaque albus hic recitator, poſſet intelligi metaphoricè talis, quaſi eſſet reliquis præſtantior dignitate, & eruditione. Et ita ſermo eſſet ironicus, quum velit, hunc minime fuiſſe eruditũ. Ideo abſque tropo, color huius recitatoris dictus fuit albus, nempe pallidus, ſiue pallor illi acciderit ex nimia applicatione ad ſtudendum, iuxta dicta ad illa verba proœmij. *Pallidamque Pirenem:* quæ intelligentia non conſonat menti poetæ, arguentis recitatorem negligentiæ, vnde inferius dicet. *Nec pluteum cędit, nec demorſos ſapit vngues.* Siue venerit pallor, ex timore, ne ab auditoribus exploderetur, vel nõ conſequeretur plauſum, & acclamationem, ad quam, vt ad finem vltimum, recitatio tendebat. Quamuis enim recitatio fuiſſet introducta, vt eruditi, quibus lucubrationes recitabantur, obſeruarent ſi quid in eis foret correctione dignũ, vt poſſet emendari antequam vulgarentur: vltimis nihilominus ſæculis, non eruditis, ſed populo, vel quibuſcumq; muneribus corruptis, recitabantur, ad hoc tantum vt audiẽtes plauderent. Quod in tantum verũ eſt, vt Quintilianus lib. de cauſis corruptæ eloquentiæ, referat de quodam Baſſo, quod quum per annum, vnum compo-

fuiſſet librum, rogabat, & congregabat eos qui dignarentur, audire, nec id gratis, nam domum mutuabatur, & ſubſellia conducebat, ſpargebat etiam libellos. Verum hic recitator quędã ſumptuoſiora largiebatur, nẽpe cœnã, & veſtes, vt ex dicendis apparebit.

SEDE leget celſa. Notatur his verbis antiquorum recitantium mos, cuius meminit etiã Plinius Secundus Iunior, Epiſtolarum lib. 6. Epiſt. 6. Fundano vbi de Iulio Naſone ait. *Dicenti mihi ſollicitè, aſſiſtit aſſidet recitanti.* Quibus verbis innuit differentiam intercedentem inter recitantem, & orantem, quod hic ſtans. cum geſtu, & inceſſu, ille ſedens dicat, vt expoſuit idem Plinius ſcribens Cereali libro 2. Epiſt. 19. *Hortaris vt orationem amicis pluribus recitem: faciam quia hortaris, quamuis vehementer addubitem. Neq; enim me præterit, actiones, quæ recitantur, impetum omnem, caloremque, ac prope nomen ſuum perdere, vt quas ſoleant commendare ſimul, & accendere iudicum conſeſſus, celebritas aduocatorum, expectatio euentus, fama non vnius actoris, deductumq; in partes audientium ſtudium. Adhæc dicentis geſtus, inceßus, diſcurſus etiam, omnibuſq; motibus animi, conſentaneus vigor corporis. Vnde accidit, vt hi qui ſedentes agunt, quamuis illis maxima ex parte ſuperſint eadem illa quæ ſtantibus, tamen hoc quod ſedent, quaſi debilitantur, & deprimuntur recitantium vero præcipua pronunciationis adiumẽta, oculi, manus, præpediuntur.* Quia ergo iſte recitator erat, & è ſcheda legebat, merito inducitur ſedens, & quidem ſublimi in ſella, nẽpe pulpito, vel cathedra eminentiori, vt à circum-

cumſedentibus auditoribus conſpici, & audiri poſſet. Sic etiam Iuuenalis ſatyra 7. verſu 93.

Haud tamen inuideas vati quē pulpita paſcūt.

Quia nimirum è cathedra recitans, ab auditoribus ſtipem, et munera colligebat, vel gruſcabatur. At recitator iſte tam ornatu, & corporis habitu, quàm throni eminentia inducitur omnibus conſpicuus.

LIQVIDO quum plamate. Plaſma deriuatur à Græco πλάττειν, quod eſt fingere, ſiue componere, & ſimilare, vnde, & figmentum, ſiue compoſitum, nempe res quæcumque ficta, ſiue compoſita, plaſma appellatur, adeo vt Adam, primus homo, quod, Dei manibus, ex luto fictus, & compoſitus eſſet, plaſma ei dictus fuerit: componens vero ſiue formans appellatur plaſtes: quamuis nomen plaſtes extendatur ad ſignificandum etiam plaſma, nempe opificium formatum. Verum hic plaſma ſumitur pro quodam medicamento, ex liquoribus confecto, quo vtebantur ad vocem adiuuandam, nam illam molliebat, reddebatque facile flexibilem: Quintilianus tamen Oratoriarum inſtitutionum lib. 1. cap. 14. vocem reprehendit plaſmate effœminatam. Ad vocem etiam molliendam tragacanthum melle delinctū ſumebant: quidam dum orabant, vel recitabant, ſeruum habebant, qui pone ſtabat, cum guttu, vel ampulla plena dulci liquore, ad quem, rauceſcere incipientes, ſe conuertebant, & modica illius liquoris ſorbitiuncula, vocem reformabant. Et hoc nunc appellat plaſma, ad vocem aptandam varijs flexibus, ac modulationibus.

GVTTVR eſt anterior pars colli, de quo Plinius lib. 11. cap. 37. *Guttur homini tantum, & ſuibus intumeſcit, aquarum quæ potantur, plerumq; vitio.* Et lib. 23. cap. 7. *Siccæ fici ſtomachũ lædunt, gutturi & faucibus magnificè vtiles.* Et Celſus lib. 4 cap. 1. *In dextra ſiniſtraque circa guttur, venæ grandes, quæ σφαγῖτιδες nominantur, itemq; arteriæ, quas parotides vocant, ſurſum procedentes, vltra aures feruntur: atq; in ipſis ceruicibus glandulæ poſitæ ſunt, quæ interdum, cum dolore intumeſcunt. Deinde duo itinera incipiunt. alterum aſperam arteriam nominant, alterum, ſtomachum. Arteria exterior ad pulmonem, ſtomachus interior, ad uentriculum fertur; illa ſpiritum, hic cibum recipit, à quibus quum diuerſæ uiæ ſint, qua coeunt, exigua in arteria, ſub ipſis faucibus lingua eſt, quæ, quum ſpiramus, attollitur, quum cibum, potionemq; aſſumimus, arteriam claudit. Ipſa autem arteria dura, & cartilaginoſa in gutture aſſurgit, cæteris partibus reſidet.* Vnde per metonymiam, optime poteſt guttur ſumi pro ea via, qua ſpiritus à pulmone ad os tranſmittitur, nempe pro aſpera arteria. Et ſic accepit Cicero, dicens lib. 2. de Diuinatione.

Haud medicos tremulo fundẽs è gutture voces.

Et Ouidius, dum Primaueram deſcribens ais lib. 3. Triſtium elegia 12.

Prataque pubeſcunt uariorum flore colorum.

Indociliſque loquax, gutture uernat auis.

Tale ergo guttur, aſpera videlicet arteria, ſumpto plaſmate, ſeu medicamento, redditur mobile, ſeu flexibile ad varias vocis modulationes,

COLLVERIT. Colluere idem valet, ac lauare. Sic accepit Cato de Re ruſtica cap. 88. dicens. *Amphoram defricato, colluitoque, puram impleto aqua pura.* Colluere autem guttur in propoſito, eſt ipſum emollire lotione facta per plaſma, metaphora ducta ab ijs, quæ, aqua lota, molliora fiunt: lotione ſiquidem, aſpera atque dura, ſeu ſicca, deterguntur, & ita molliora redduntur. Et quod dicitur, Colluere guttur mobile, intelligendum eſt per metalepſim ſenecdochicam, quia guttur prius rigidum, aſperum, & quod difficile flectebatur, tali lotione factum erat mobile.

PATRANTI. Patrare propriè eſt liberis gignendis operam dare; vnde Boetius libro de Definitione ait: Patrationem eſſe lachrymas fractæ Veneris, quia videlicet nonnumquam perficientibus talem actum, lachrymæ manāt. Verum tamen eſt, patrare, honeſtum habere poſſe ſenſum, nam Quintilianus lib. 8. cap. 3. ait. *Ductare exercitum, & patrare bellum apud Salluſtium dicta ſanctè, & antiquè, ridentur à nobis, ſi Dijs placet, quam culpam non ſcribentiū quidem indico, ſed legentium.* Itaq; patrare, honeſte ſignificat, perficere, ſiue conſummare opus quodcumq; Verum hic importat, liberis gignendis vacare, & talem ſe exhibere, qualis eſt is qui rei Venereæ dat operam. Et eſt vox ſatyrica.

FRACTVS: participium eſt à verbo frango: frangere autem eſt rumpere, & infringere. Sic Plautus Captiuis Actu 1. Scena 1.

Et hic quidem hercle, niſi qui colaphos perpeti
Poteſt Paraſitus, frangique aulas in caput,

Vel extra portã ire trigeminã ad ſacculũ licet.

Et Curculione Actu 1. Scena 1

Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem.

Et Catullus Carm. 67.

Et qui principio ſub terra quęrere venas.
Inſtitit, ac ferri frangere duritiem.

Sed transfertur ad ſignificandam quamcumque debilitationem, etiam animi, aut imminutionem, ortam ſiue ex delicijs, ſiue ex timore: & ſic nunc dicitur fractus animo, emollitus, & debilitatus per concupiſcentiam, & Venerem.

OCELLO. Ocellus eſt diminutiuum ab oculus, & eſt vox blandientis; in hoc ſenſu vſurpata à Philenio apud Plautum Aſinaria. Actu 3. Scena 3.

Da meus Ocellus, da mea roſa, da mi anime, da mea voluptas.
O Libane, Ocellus aureus, donũ, decuſq; amoris
Amabo faciam quod voles, da iſthoc argentum nobis.

Et Moſtellaria Actu 1. Scena 4.

Ohoho, Ocellus es meus, tuus ſum alumnus, mel (meum.

Et Catullus carmine 46.

At Acme leuiter caput reflectens
Et dulcis pueri ebrios Ocellos,
Illo purpureo ore ſuauiata.

Et ſic nunc ironice blandiendo, diminutiue Ocellum nominat.

HIC neque more probo videas, nec voce ſerena. Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum intrant, & tremulo ſcalpuntur vbi intima verſu.

Ordo eſt: Hic videas ingentes Titos trepidare neq; more probo, nec voce ſerena, quum carmina intrant lumbum, & vbi intima ſcalpũtur

verſu

verſu tremulo. Quibus verbis deſcribitur auditorum corruptio,& qualiter erat, *operculum patella dignum*. Nam quia recitans fœde ac molliter id faciebat, conuenientes ſuis moribus habebat auditores.

VOCE ſerena. Serenum proprie dicitur de aere nubibus purgato, nec obfuſcato nebulis, aut vaporibus: & de mari non agitato ventis, ac tempeſtatibus. Sed transfertur ad alia multa, adeo vt etiam mens dicatur ſerena, quando non perturbatur paſſionibus. Et vox dicitur ſerena, quæ eſt index animi à paſſionibus liberi, quam ſerenitatem negantur habere auditores iſti,& merito, nam præpediti erant vitijs,& paſſionibus gulæ, auaritiæ, timoris,& cupiditatis.

INGENTES. Ingens dicitur quaſi vltra gentem, immenſus, & pluſquam magnus. Sic dicente Thraſone apud Terentium, Eunucho. Actu 3. Scena 1.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Gnatho reſpondet.

Ingentes.

Sic Virg. 1. Georg. verſu 184.

Inuentuſq; cauis bufo, & quæ plurima terræ.
Monſtra ferũt, populatq; ingentẽ farris aceruũ
Curculio, atq; inopi metuens formica ſenectæ.

Et idem lib. 2. Georg. verſu 488.

O qui me gelidis in vallibus Æmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat vmbra.

TREPIDARE, eſt ita affici timore, vt pedibus nequeas conſiſtere, immo tremas,& vacilles. In tali ſtatu Parmenonem videns Laches, interrogat apud Terentium Eunucho Actu 5. Scena 6. *Quid*

Quid eſt?quid trepidas ? ſatine ſalua?Dic mihi
Et Virg.6. Æneid.verſu 489.

At Danaum proceres, Agamemnoniæq; phalanges.
Vt videre virum,fulgentiaq;arma per vmbras,
Ingenti trepidare metu,pars vertere terga.
Ceu quondam petiere rates,pars tollere vocem,
Exiguam,inceptus clamor fruſtratur hiantes

TITOS. Titus prænomen fuit Romanorum, non minus,ac Marcus,Publius, Luciuſque,& alij: crediturq: ortum habuiſſe à Tito Tatio Sabinorum Rege, in Regni ſocietatem, poſt ictũ fœdus,à Romulo adſcito.Niſi mauis cum Feſto dicere,Titos dictos fuiſſe Milites, ſiue Equites,quia forent Tituli ideſt Tutuli,patriã defendentes,& tutantes. Certe Romani hoc gaudebant prænomine, vnde Titorum nomine,Romanos intelligit, ſicut ad Piſones Horatius, Romanos a Romulo Rhamnes appellat, dicens.

Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis.
Celſi prætereunt auſtera poemata Rhamnes:

Ingentes vero dixit Titos, ſicut Horatius celſos Rhamnes, quia Romanorum proceres arguebat.

QVVM carmina lumbum intrant. Lumbus, (ſiue in multitudinis numero,lumbi,) eſt pars inferior ſpinę dorſi,quinque vertebris conſtãs, medijs inter os ſacrum, & eiuſdem dorſi vertebras: hæ partes in brutis propriè armi appellantur, quamuis etiam in ipſis lumbos dixerit;Horat.lib.1.ſer.ſat.6.

Nunc mihi curto
Ire licet mulo,vel,ſi libet,vſque Tarentum,

Man-

Mantica cui lũbos onere vlceres, atque eques armos.

Sed propriè, vt dixi, lumbi hominum ſunt, & ita Plautus Epidico. *Actu* 5. ſcena vltima.

Plaudite. Valete, lumbos porgite, atque extollite.

In lumbis maximam dicunt eſſe virium partẽ, quum abſque alterius oſſis adminiculo, totam ſuperiorem corporis compaginem ſuſtineant. Ex quo factum eſt vt molles, debiles, & viribus deſtitutos, delumbes, aut elumbes dicant. In eiſdem etiam lumbis concupiſcentiam locant, vnde Iuuen. ſat. 6. verſ. 314.

Nota Bonæ ſecreta Deæ, quum ſibi lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemq; rotant vlulante Priapo
Mænades, ò quantus tunc illis mentibus ardor

Quod vero hic carmina dicantur intrare lumbum, accipiendum eſt dictum per metonymiam ſubiecti pro adiuncto, nempe carmina pro eorum ſenſu, non enim carmina, verba, & ſonus eorum, lumbum intrare poſſunt, ad excitandam in eis libidinem: bene vero illorũ ſignificatio animo concepta, per phantaſiam, hanc, ſiue aliam paſſionẽ mouere poteſt. Hinc Paulus Egineta, Medicus, inter venena excitãtia languentem Venerem, ponit Priapeiorum carminum aſſiduam lectionem. Sic Iuuen. ſat. 6. verſu 91.

Concumbunt Græce, donec tamen iſta puellis
Tunc etiã quam ſextus, & octogeſimus annus.
Pulſat, adhuc Grecè? non eſt hic ſermo pudicus
In vetula, quoties laſciuum interuenit illud;
Ζωὴ καὶ Ψυχὴ modo ſub lodice relictis.

Vteris in turba: quod enim non excitat inguem,
Vox blanda,& nequam? digitos habet.

TREMVLO. Tremulus eſt,qui valde tremit, qua paſſione tenentur ſenes, infirmi, & maxime paralytici, & frigore, vel ſubito,ac valido timore correpti, ſic Cherea apud Ter. Eunuc. Actu 2. Scena 3.

Continuò accurrit ad me,quam longe quidem,
Incuruus,tremulus,labijs demiſſis,gemens.

Et quia in modulatione, vox, ita videtur tremere, tremula dici potuit nedum à Cicerone citato 1.de Diuinatione dicente.

Haud modicos tremulo fundens è gutture uoces

Sed etiam ab Horatio lib.4. Carminum ode 13.vbi ait.

Audiuere,Lyce,Di mea uota,Di
Audiuere Lyce,fis anus, & tamen
Vis formoſa uideri.
Ludiſque,& bibis impudens,
Et cantu tremulo, pota Cupidinem
Lentum ſollicitas.

Et ſic nunc verſum tremulum intelligit,e ditũ, voce in cantum flexa,& modulata.

SCALPVNTVR. Scalpere idem eſt,ac ſcabere ſiue fricare,& fit quum[prurito inuadente aliquam corporis partem] illam ſcabimus. ſic Columella lib.7.cap.5. *Vitioſum locum pecudes,aut morſu ſcalpunt, aut cornu, aut ungula tundunt.* Notabantur autem molles,& effœminati,quod vno tantum digito caput ſcalperẽt, quod notat Licinius Caluus in Pompeium, dicens.

Magnus,quẽ metuunt omnes,digito caput uno
Scal-

Scalpit, quid putas hunc ſibi vellet virum.
Sic Iuuenalis ſatyra 9. verſu 130.

Ne trepida: nūquā pathicus tibi deerit amicus
Stantibus, & ſaluis his collibus; vndiq; ad illos
Conueniunt, & carpentis, & nauibus omnes,
Qui digito ſcalpunt vno caput.

Quibus verbis oſtendere intendit, ex molli[& qualem decebat habitum iam deſcriptum] recitatione laſciuorum poematum, excitari in animis, & corporibus audientium pruritum, & deſiderium rerum Venerearum; & ſic dicta ſunt carmina intrare lumbum, & interiora ſcalpi tremulo verſu. Verſus autem dictus eſt tremulus, tum ratione vocis effœminatæ, ipſū proferentis cum quadam flexione, & modulatione imitāte tremorem: tum ratione effectus, nam quia auditores ad libidinem incitat, cogit eos ſubſilire, quod eſt quaſi tremere. Et hæc eſt alia metonymia adiuncti.

TVN vetule auriculis alienis colligis eſcas, auriculis quibus, & dicas Cute perditus, Ohe. Nunc incipit recitantium vitia caſtigare, & eos primo, qui illum ſibi finem vltimum recitationis ſtatuebant, laudari à quibuſcumque auditoribus, etiam ab illis quorum iudicia nauci erant facienda. ſi enim turpe eſt laudem poſcere à laudato viro, quanto fœdius ab illaudato? Iſti vero laudum captatores, cœnarum expenſis, veſtium, aliorumq; munerum largitione, auditores conducebant, qui quum animis fuiſſent præoccupati, etiam ſi alioquin fuiſſent eruditi, liberum non habebant iudicium, ſed ſtatim in plauſum, & laudem recitantis erumpebant, ea tantum dicentes, quæ

reci-

recitator vellet audire. Sed frequentius non eruditos, immo quoſcumque congerrones, paraſitos, & adulatores ad audiendum conuocabant. Tun' vero dictum eſt per apocopen, pro tunc, quaſi diceret. Tu, quum ſis ſenex, quem pro ætatis reuerentia, & dignitate, deceret grauitas, et continentia, contra ſtatum operaris, dum aceruas carmina nullo ſapientiæ ſale condita, mollia, & corruptorum tantum auditorum auribus ſuauia. Conſiderare autem deberes, quid te loqui deceat, potius quam quid ineptus audire velit, vt ſi quis audire nolit honeſta, & quæ faciunt ad morum emendationem, talem à te auditorem amandares potius, quam eius condeſcenderes impudétiæ.

VETVLE. Vetulus eſt diminutiuum à vetere: vetus autem eſt antiquus dierum, ſiue dicatur, quaſi vietus, quia ſit viribus deſtitutus, nam ætas vires debilitat: ſiue à væ, & ætas, quaſi multæ ætatis, nam ſæpè, væ, minuit ſignificatum nominis cui adiungitur. Hinc vetulus erit parum vetus. ſic Plaut. Epid. *Act*. 2. ſcena 2.

Acutum cultrum habeo ſenis qui exenterem.
Marſupium: ſed eccum ipſum ante ædes conſpicor, & Apoecidem.
Quales uolo uetulos duos.

Sic Horatius lib. 4. Carminum ode 13.

Sed Cynaræ breues
Annos fata dederunt,
Seruatura diu parem
Cornicis uetulæ temporibus Lycem.

Quia in Canis, & ſenibus eſſe frequenter ſolet ſapientia authoritati coniuncta, vt rei alicui

cui authoritatem conciliemus, dicimus, ſic à ſenibus dictum, vel vſurpatum fuiſſe. Vnde par fuerat vetulum iſtum, dignitatem, & authoritatē habere, & ita eum dedecebant puerilia recitationis ſtudia, & colligere eſcas auriculis alienis. Quod eſt dictum metaphoricè pro delectabilibus aurium: aures enim non excipiunt eſcas, vel cibos, bene vero vocum, & ſonorum varietates, ſed quia quod eſt ori cibus, eſt auri vox vel ſonus, eſcas aurium appellauit orationes delectabiles, quibus recitandis hic vetulus incumbebat. Et vetuli appellatione, vel intelligitur Nero, non quidem ratione ætatis (tunc enim vix iuuentam fuerat ingreſſus,) ſed ratione dignitatis Imperialis, quam, non ſecus ac caniciem, decet authoritas, & grauitas morum: vel intelliguntur Romanorum illi, quos nec in ſenectute nugari pudebat, de quibus dixit ſupra verſu 9. *Tunc quum ad caniciem, & noſtrum iſtud viuere triſte aſpexi.* Et ita ſenſus eius eſt. O ſtulte, qui in tua conſenuiſti ſtultitia, adeone es amens, vt laborem, ſiue pangendorum carminum, ſiue controuerſiarum, aut ſuaſoriarum ſcribendarum, & recitandarum ſuſtinere velis, non alia de cauſa, quam vt alijs voluptatem, tibi vero inanem parias gloriam? Maxima autem huius reprehenſionis emphaſis eſt in voce, *alienis*, ſiquidem horrent ſapientes quidpiam facere ad aliorum excitandam tantum voluptatem: miſerum vero, ſuam felicitatem in aliorum ponere opinione, nempe in ea voluptate quam alij percipiunt ex noſtro ſtudio, atque labore.

CVTE perditus. Indignatur poeta in vanum illum

illum recitatorem, expiſcantem laudes ab efſrontibus,paraſitis, & adulatoribus,qui laudabant abſque iudicio,& delectu, & frequenter etiam, ea quæ reprehenſionem potius merebantur,vt quilibet poſſet aduertere, laudes illas ex adulatione potius, quam ex merito procedere. Et quum Boetius 3.de Conſolat. proſa 6.dicat.*Qui falſo prædicantur,ſuis ipſi neceſſe eſt laudibus erubeſcant*, vt ſi pumilionem, gygantem:Therſitem,Achillem: Irum, Crœsũ appelles,ſi talis gloriæ cupidus,recitet, dicere ei poteris *Cute perditus*, ideſt rubore,& verecundia deſtitutus; de cuiusmodi hominẽ dicitur Hieremiæ 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*. De quo etiam idem Perſius ſatyra 5. verſ.102. *Nauem ſi poſcat ſibi peronatus arator. Luciferi rudis,exclamet Melicerta periiſſe frontem de rebus*:Nam idẽ eſt perijſſe frontem,& perdidiſſe cutem.Verum Caſaubonus iudicat,Cute perditum dici de eo,qui aqua intercute, ſiue hydropiſi,vel ſcabioſo laboret morbo;quod vt non negauerim, maxime accedente authoritate Sidonij Apollinaris lib.9.Epiſt.9.dicentis. *An ſupercilium, tamquam difficilis, ac rigidi ploſoris extimeſcebas. Et quæ nam eſt cuiquam peritiæ ceruix tanta,quine hydrops, vt etiam tepida veſtra non feruentiſſimis laudibus proſequatur*: & de ſcabie Lucilius inquit.

Triſtem,& corruptum ſcabie,& porrigine plenũ.

Non tamen de talibus puto Perſium intellexiſſe, quum voluerit recitatorem iſtum eos congregaſſe,qui effuſe laudarent, Apollinaris vero innuit hydropicum,vt & rigidum, vix,&

ex

ex magna cauſa, (qualis ſignificatur fuiſſe in aperibus Fauſti) moueri ad laudandum. Conuenientius itaque. *Cute perditus* dicetur ille, qui flagris ſiue virgis, & flagellis pellem habeat deuaſtatam. Et huiuſmodi hominibus cute perditis, qui nedum ſint conditionis ſeruilis, ſed inſuper peſſimæ frugis, vt pote qui ita pellem habeant corruptam, ſtudere, vt placeas recitando, indignum eſt, & ſumma inſania

OHE, interiectio eſt exclamantis, & deſignantis ſatietatem, vel vſque ad faſtidium, & propterea iubentis imponi terminum negotio, ſic Martialis lib 4. Epigr. 89.

Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle
Iam peruenimus, vſq; ad vmbilicum,
Iam librarius hoc & ipſe dixit,
Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle.

Sic Libanius apud Plautum Aſinaria. Actu 2. Scena 3.

Quis noſtras ſic frangit fores? Ohe, inquam, ſi quid audis.

Et Euclio apud eumdem Aulularia Actu 1. Scena 1.

Abſcede Etiam nunc! etiam nunc! etiam. Ohe.

Et Horatius 2. ſerm ſat. 5.

Importunus amat laudari, donec ohe iam,
Ad cœlum manibus ſublatis dixerit: vrge &
Creſcentem tumidis infla ſermonibus vtrem.

Et hoc in eodem quo Perſius loquitur ſenſu, nempe de immodicis laudationibus.

QVID didiciſſe niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus. Innata eſt rupto iecore exierit caprificus.

Pro-

Proferuntur hæc verba, ex perſona recitantis, excuſantis laudis cupiditatem. Et aſſerit niſi liceat, eruditionem tot laboribus partam, manifeſtare, & ex ea laudis capere vſuram, fruſtra tot exantlari labores. Nam vt ait Boetius 3. de Conſol. proſa 3. *Si ipſum propagaſſe nomen, pulchrum videtur, conſequens eſt vt fœdum non extēdiſſe iudicetur.* Immo vult id eſſe impoſſibile, nam quum ſapientia ſit luci ſimilis, vbicumq; fuerit, ſeipſam prodit: & quum ſit veluti fermentum, rumperis, ſi abſcondere eam volueris. Dictum eſt *fermentum*, quaſi feruentum, à verbo ferueo, ideſt calidus ſum, quia feruendo, ipſo calore creſcat: & eſt farina aqua ſubacta, priuſquam illi addatur ſal, & ita relicta donec aceſcat. Sed metaphorice dicitur de animo ira, cupiditate, vel alia paſſione inflammato, qui tunc dicitur eſſe in fermento, ſic dicente Olympione, apud Plautum Caſina Actu 2. Scena 1.

Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.

Reſpondet Stalinus.

AEdepol ego illam mediam diruptam velim.

Et idem Plautus Mercatore, Act. 1. ſcena. 3.

AEquidem numquam caui ne quid facerem, vix viuus ſum miſer,
Nam mea vxor propter illam tota in fermento (iacet.

Ad inſtar ergo fermenti totā farinæ cui inijcitur maſſam corrumpentis, & nequeuntis cōtineri, quin illam inflatam in varias partes dirumpat, vana ſcientiæ opinio ſtatim ſe prodit per vocem, & appetit manifeſtari. Contra quā contingat ſapientibus, & verè laudabilibus, de quibus Boetius loco laudato 3. de Conſol.

proſa

proſa 6. *Quæ, laudes, ſi etiam meritis conquiſitæ ſint, quid tamen ſapientis adiecerint conſcientię, qui bonum ſuum non populari rumore, ſed conſcientiæ ueritate metitur.*

QVÆ ſemel intus. Semel quandoque idem valet, ac vnica vice. Vſus hac voce in ea ſignificatione Hegio apud Plautum Captiuis Actu 3. scena 5. dicens.

Nunc certũ eſt nulli poſthac quidquã credere
Satis ſum ſemel deceptus.

Et Ouidius lib. 4. Triſtium Elegia 10.

Carmina cum primum populo iuuenilia legi.
Barba reſecta mihi, biſue, ſemelue fuit.

Aliquando vero idem valet, ac omnino, ſiue penitus, & irreuocabiliter, vt ſemel factum regreſſum non habeat, vt legimus cap. 9 Epiſtolæ ad Hebræos in hac ſignificatione ter dictum. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quẽadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno; alioqnin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, nunc autem ſemel in conſumatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium, ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhauxienda peccata.* Sic Ouid. Epiſtola 5 quę eſt Oenonis ad Paridem.

Tu quoq; clamabis, nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia: deperit illa ſemel.

Et hoc modo nunc ſemel, idem eſt, ac immobiliter, ſeu fixis radicibus, vt nequeat auelli.

INNATA eſt. Pleonaſmus eſt in his verbis, nempe ſchema quo idem pluribus verbis ſignificatur, vel ad maiorem rei explicationẽ,

vel ad emphaſim, & exaggerationem. ſic Terent. Adelph. Actu.3 ſcena 2.

Hiſce oculis egomet uidi Soſtrata.

Neq;enimalienis, immò nec alijs oculis potuit vidiſſe, vnde redundat tã tò *his*, quam tò *oculis*, quum vtrumque intelligeretur in tò *uidi*. Et idẽ accidit hic, non enim potuit innaſci extra; innata enim, & innaſcor deſignat, rem naſcendo inſitam, intrinſecam, & connaturalem, vt nequeat naſci extra rem cui dicitur innata. ſic Terent. Andriæ Actu.4.ſc 1.

Hoccine credibile eſt, aut memorabile
Tanta uecordia innata cuiquam ut ſiet,
Vt malis gaudeat alienis.

Et hoc modo Caprificus dicitur innata intus, quia intra viſcera, & quaſi connaturalis, quia habitualis ex vitio inanis gloriæ.

RVPTO iecore. Iecus viſcus eſt, ſimile ſanguini incraſſato, primumq; ſanguinis generandi inſtrumentum, & venarum principium. De quo Celſus lib.4.cap.5. *Iecur à dextra parte ſub præcordijs, ab ipſo ſepto ortum, intrinſecus cauũ, extrinſecus gibbum, quod prominens leuiter uentriculo inſidet, & in quatuor fibras diuiditur.* Eſt inſuper iecur ſedes concupiſcentiæ & paſſionum, inde emergentium, iuxta illud. *Cogit amare iecur*. Vnde Horatius lib.1. Carminum ode 13.

Quum tu Lydia, Telephi,
Ceruicem roſeam, & cerea Telephi
Laudas brachia, uæ meum
Feruens diffici i bile tumet iecur.

De hoc ergo, quatenus eſt ſedes concupiſcentiæ, & deſideriorum laudis, vel gloriæ ſperatę

ex

ex recitatione, & niſi oſtentetur eruditio, periclitatur iecur, in quo latebat appetitus.

CAPRIFICVS, ficus eſt è ſilueſtrium genere, nunquam matureſcens, alij tamen maturitatem tribuens, quam ipſa non habet: gignit ſiquidem culices, qui ad circumſtantes ficus aduolantes, earumque exſuggentes humorem, præcoquam illis adferunt maturitatem, vt tradit Plinius lib. 15 cap. 19. dicens. *Caprificus culices parit, qui fraudati alimento in matre, putri eius tabe, ad cognatam volant, morſuq; ficorũ crebro, hoc eſt auidiore paſtu, aperientes ora earũ, atq; ita penetrãtes, intus ſolem primo ſecum inducunt, cerealeſq; auras immittunt foribus apertis. mox lacteum humorem, hoc eſt infantiam pomi, abſumunt, quod fit, & ſponte: ideoq; ficetis caprificus permittitur ad rationẽ uẽti, ut flatus euolantes in ficus ferat. Inde repertũ, vt illatæ quoq; aliũde, & inter ſe colligatæ inijcerẽtur fico: quod in macroſolo, & aquilonio, nõ deſideratur, quoniã ſpõte areſcunt loci ſitu, rimiſq; eadem, quæ culicũ opera cauſa perficit.* Quod Herodotus in Clio lib. 1. etiam de palmis Babylonicis affirmat dicens. *Sunt eis paſſim per omnem regionem palmæ ſua ſponte naſcentes, pleræq; fructiferæ. Ex quibus, & cibos, & vinum, & mel conficiunt, curantes more ficorum. Horum, vt aliarum arborũ Græci maſculas vocant, quarum fructum his quæ palmulas ferunt, alligant, vt illinc prodiens culex, palmulas penetrans, cogat matureſcere, alioqui occaſuras: maſculæ enim in fructu culices ferunt, quemadmodum caprifici.* Arboris autem caprifici tanta eſt vis, vt maceriem, parietem, & lapides etiam [exitum querendo] diſrumpat.

Merito ergo huic comparatur cupiditas gloriæ, quam iſte ſperabat ex recitatione; qui propterea excuſat ſe, nequeuntem à recitando abſtinere, quaſi periculum foret ne rumperetur iecur. Et eſt optima metaphora, nam quia in iecore eſt auaritiæ, & cupiditatis ſedes, laudis etiam deſiderium ibi locatur, & hęc ex recitatione ſperabatur: vnde ceſſare à recitatione, eſt prohibere parturitionem præconceptę, & ſperatæ laudis, ex quo adeſt timor ne iecur rumpatur, etiam ſi alioqui marmoreum foret, nam marmora etiam obſtantia, rumpit caprificus vt exeat, vt ait Martialis lib. 10. Epigr. 2. dicens.

Marmora Meſſalæ findit caprificus.

EN pallor ſeniumq; ò mores! vſq; adeone ſcire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter? En, eſt particula demonſtratiua, idem valens, ac ecce, iungiturq; caſibus tam accuſandi, quam nominandi. Et recto quidem apud Ouidium dicentem 13. metamorphoſeos. (*ſunt*

Aſpicite, en (veſtemque manu deducit) & hęc
Pectora ſemper, ait, veſtris exercita bellis.

Sic Cicero pro Rege Deiotaro. *Quum in Caſtellum Luceium veniſſes, & domum Regis hoſpitis tui diuertiſſes, locus erat quidam, in quo erant quędam compoſita, quibus Rex te munerare conſtituerat. Huc te à balneo, prius quam accumberes, ducere volebat, ibi enim erant armati qui te interficerent, in eo ipſo loco collocati. En crimen, en cauſa quur Regem fugitiuus, dominũ ſeruus accuſat.* At accuſandi caſui coniungitur apud Plautum Amphitruone Actu 3. scena 4.

En tectum, en tegulas, en obductas fores, en ludificatum herum, *En*

En verborum ſcelus.

Et apud Virgilium Ecloga 1. verſu 68.

En vnquam patrios longo poſt tempore fines
Pauperis, & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas

Quum autem, hic, En, ponatur nedum demonſtratiuè, ſed etiam admiratiuè, maximam habet energiam, nam rem deſignat indigniſſimã, quod videlicet paſſi ſenes, vel alij dignitate graues, puerilibus deprehendantur obnoxij deſiderijs, appetendo laudem, cuius cupiditas in eis deferbuiſſe debuit, vt notauimus in Inſtitutionibus Orat. lib. 1. Tr. 4. c. 2.

PALLOR, vt dicebamus ad illa verba procemij Pallidamque Pirenem, eſt color ille quo exterior cutis, ſanguine deſtituta, liueſcit. Sic Ouidius 11. metamorphoſeos.

Conſilij tamen antæ ſui fidiſſima, certam
Te fecit Halcyone: cui protinus intima, frigus
Oſſa receperunt, buſſoq; ſimillimus ora
Pallor obit, lacrymis genæ maduere profuſis.

SENIVMQVE. Senium propriè eſt longæuitas: ſed per ſenecdochen partis pro toto, ſeu formæ pro compoſito, hic abſtractum poſitum eſt pro concreto, nempe ſenium pro ſene, vt pallor pro pallido, idq; ad maiorem exaggerationem indignitatis rei, nempe appetitus gloriæ in homine ætatis, tam prouectæ, vt nedũ pallidus, & ſenex, ſed poſſet etiam dici pallor, & ſenium. Id vero fœdum eſt, nam quum gloriæ cupiditas naturaliter, ex ſanguinis abundantia, & ſpirituum vitalium multitudine naſcatur, quæ in adoleſcentibus vigent, in ſenibus deſunt, vt indicãt, illorum color floridus,

& rubicundus, horum vero pallidus, & plumbeus, præter naturam eſſe videtur, quod ſenes ſint auidi gloriæ, aut laudis popularis: quin potius naturaliter liueſcunt inuidia, ob ſanguinis defectum, & mortis viciniam.

VSQVE adeone ſcire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter? quaſi diceret. Occultæ muſicę nullus eſt reſpectus Nam iuxta Eccleſiaſticum cap.20. *Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſq; Melior eſt qui celat inſipientiam ſuam, quam homo qui abſcondit ſapientiam ſuam.* His autem verbis poeta ſtomachabundus, ſtultorum carpit ambitionem, qui ſtudent comparandæ eruditioni, eam tamen ordinantes, non ad Dei gloriam, proximorum ſalutem, vel propriam vtilitatem: nam ſic tale ſtudium, etiam iuxta Chriſtianas leges, foret laudabile: ſed ad vanam tantum oſtentationem, vt videlicet ab alijs, eruditi, & ſapientes iudicentur, quo nihil eſt ineptius. Certe ſapientum Ethnicorum opinio fuit, ſapientiam eſſe propter ſemetipſam appetendã, quia quũ non haberent notitiam alterius vltimi finis, ſcirentq; hunc in contemplatione, quę eſt perfectiſſima operatio nobiliſſimæ potẽtiæ animæ cõſtituẽdũ, rectè philoſophantes iuxta lumẽ naturale, in contemplatione beatitudinẽ ponebant. Nobis autem Deus per fidem aliam oſtendit contemplationem, quam in hac vita inchoatam tantum, in alia conſummatam habere poſſumus, in Dei viſione, obſcura, vel clara conſiſtentem, & in hac finem vltimum conſtituimus, non vero in laudibus, & opinione aliorum. Quum igitur Gentiles, fidei lumine

care-

carerent,finem vltimum in ſapientia ponebãt, illorumq; ſapientes rectè vitam inſtituiſſe putabantur,ſi nihil feciſſent famæ, vel opinioni ſeruientes: & in hoc à ſtultis ſecernebantur, quia iſti ad vulgi opinionem dirigebant omnẽ operationem,illi nullam; nouerant enim ſapientes,conſcientiam pro mille teſtibus reputari. Idq;potiori iure perſuaſum debet eſſe Chriſtianis,quos fides docet,Deum optimum maximum ſingularum, nedum operationum, ſed,& locutionum, cogitationúmque eſſe, tam teſtem,quam iudicem,& remuneratorem. Reprehendit ergo Perſius ſtultos laudum captatores, quibus conſcientiæ teſtimonium ſufficiens non erat.

AT pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt Ten'cirratorum centum dictata fuiſſe Pro nihilo pendas. Verba ſunt inanis gloriæ amatoris,excuſantis ſuã vanitatem,quod gloriam, quaſi rem honeſtam diligeret, pulchrum enim ſiue honeſtum, & glorioſum credebat,mõſtrari digito prætereuntium, & dici(per paragogem addentem fini dictionis, poſuit, dicier:) Hic eſt qui hæc,vel illa fecit,aut dixit. Quæ opinio non adhęſit huic tantum vano recitatori, quum etiam Lucianus lib.de Gymnaſijs dixerit,non eſſe mediocria præmia,demonſtrari prætereuntium digito:& de Themiſtocle aſſerat Plutarchus,eum dixiſſe; ſe omnium laborum pro Gręcia exantlatorum præmium tunc tuliſſe,quum,publicorum ludorum occaſione,ſedens tota die in theatro,aduenis digito mõſtrabatur,verba eius ſunt.*Dicitur Olympiæ inſtante celebritate, quum eo profectus The-*

miſtocles in ſtadio proceſſiſſet, contemptis certaminibus, omnes in illum eſſe conuerſos, in eoque ſpectando, diem totum conſumpſiſſe, & eum cum plauſu, & admiratione oſtendiſſe peregrinis, & aduenis. Quare ipſe lætus ad amicos dixiſſe fertur, tum ſuorum laborum, quos pro Græcia ſuſcepiſſet, fructum ſe ampliſſimum reportare. Sic Martialis lib. 9. Epig 98.

Rumpitur inuidia quidam chariſſime Iuli,
Quod me Roma legit, rumpitur inuidia,
Rumpitur inuidia, quod turba ſemper in omni
Monſtramur digito, rumpitur inuidia.

Et idem Martialis lib. 6. epigrammate 82.

Quidam me modo Ruſe diligenter,
Inſpectum, velut emptor aut laniſta,
Cum vultu digitoque ſubnotaſſet,
Tune es, ait, tune ille Martialis.

Eiuſdem opinionis fuit Demoſthenes, vt notauit Cicero 5. Tuſculanarum dicẽs. *Leniculus ſane noſter Demoſthenes, qui illo ſuſurro delectari ſe dicebat, aquam ferentis mulierculæ, vt mos eſt in Græcia, inſuſurrantis alteri; Hic eſt ille Demoſthenes.* Sed vanam eſſe iſtam gloriationẽ illud cõuincit, quod pro laude, multoties probrum adfert, & contumeliam, vnde idem Martialis lib. 6. Epigr. 70. ait.

Oſtendit digitum, ſed impudicum.
Alconti, Daſioque, Symmachoque.

Et Laertius lib. 6. in Diogene refert Hoſpitibus aliquando Demoſtenem ſpectare cupientibus, Diogenes, medium intendens digitum: Hiccine, inquit, nobis eſt Athenienſium populi aſſentator.

TEN cirratorum centum dictata fuiſſe pro nihi-

nihilo pendas? Thomas Farnabius loco *Ten*, nobis obtrudere conatur *Tun*, & quidem tam ſenſus, quam contextus vtramq; patitur lectionem, nam verba poterunt ordinari, ita: Tu ne pro nihilo pendas eſſe dictata centum cirratorum: vel ita, Pro nihilo ne pendas te eſſe dictata centum puerorum. Et quum hic poſterior ſenſus ſit elegantior, hæc, quæ eſt communis lectio, eſt retinenda. In vtroque verò eſt Apocope, qua demitur littera, e, à fine dictionis.

CIRRATORVM. Cirrati dicebantur pueri nobiles, à coma quam nutriebant, & quam, poſt pubertatem, tondentes, Laribus donabãt, ſicut puellæ, pubertatem ingreſſæ, pupas Veneri ſacrabant. Dicti cirrati à cirris, qui propriè ſunt capitis capilli calamiſtrati, contorti, & criſpati, quales ſunt Oſtreis, apud Martialẽ dicentem lib. 7. Epigr. 20.

Nec erubeſcit peierare de turdo,
Et oſtreorum rapere liuidos cirros.

Sed cirratorum nomine, pueros intellexit idẽ Martialis, vbi loquens de Phileni, ait libro 9. Epigr. 29.

Heu, quæ lingua ſiles? non illam mille cataſtæ,
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat.
Nec matutini cirrata caterua magiſtri,
Nec quę Strymonio de grege ripa ſonat.

Capillos etiam capitis cirros nominat idem Martialis ad Marinum dicens lib. 10. Epigr. 83

Raros colligis hinc, & hinc capillos,
Et lætum nitidæ Marine caluæ
Campum temporibus tegis comatis.
Sed moti redeunt iubente vento

Redduntnrque ſibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc, & inde cingunt.

Ex quibus clare conſtat, cirros eſſe cappillos ſeu capitis comam, & cæſariem, de qua Ambroſius lib.6. Hexameronis cap.9. ait. *Quàm ſpecioſa cæſaries! quàm reuerenda in ſenibus! quā veneranda in Sacerdotibus! quàm terribilis in bellatoribus! quàm decora adoleſcentibus! quàm compta in mulieribus! quàm dulcis in pueris! Alium ſexum crinita, alium tonſa non decet.* Sic igitur recitator iſte interrogat, num nihili ſit faciendum, eſſe dictata centum puerorum.

DICTATA fuiſſe. Dictata appellantur themata, pueris præſcripta à ludorum magiſtris, ad quorum normam ſua opera, & lucubrationes conformare debeāt. Ita dicta, quaſi ſæpius repetita, & inculcata, vt illorum animis penitus inſigantur, & ab eis firmiter excipiantur. Sic Horatius 1. Serm. ſat. 10.

Sæpe ſtylum vertas; iterum quæ digna legi ſint
Scripturus, neq; te, vt miretur turba, labores.
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Contentus paucis lectoribus: an tua demens

Et ad Lollium lib. 1. Epiſtola 18.

Virtus eſt medium vitiorū, & vtrimq; reductū
Alter in obſequium plus æquo pronus, & imi
Derſor lecti, ſic nutum diuitis horret,
Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Vt puerum ſæuo credas dictata magiſtro
Reddere, vel partes mimum tractare ſecundas.

Et hoc modo nunc proprie loquitur de dictatis, aſſerens non eſſe minimam gloriam ſcriptorum, ſi ſua ſcripta à ludorum magiſtris pro normis, & exemplaribus pueris imitanda proponantur.

PRO

PRO nihilo pendas. Pendo deriuatum videtur à verbo pendeo; & ſignificat exiſtimo, ſiue iudico: quæ enim extimabantur, ea penderabantur, & ita è libra pendebant. Vnde quod ait. *Pro nihilo pendas*, tantumdem eſt, ac ſi dixiſſet, nauci facies, ſiue nullius pretij, ſiue valoris, exiſtimabis.

ECCE inter pocula quærunt Romulidæ ſaturi, quid Dia poemata narrent. Irridet his verbis eorum vanitatem, qui laudem ex recitatione captabant, etiam ſi talis laus nihili foret facienda, vtpote profecta à vino madidis. Deſcribitur enim recitans, non ſobrius inter vigilantes, ſed ſemiebrius inter cōmeſſatores, ex quib; laus nullius pretij erat ęſtimanda. Incipit autem narrationem ab aduerbio, Ecce, ad rem ſubitam demonſtrandam, vt enim obſeruat Aſconius in 2. Verrinam, Cicero rem improuiſam, ex eo aduerbio inchoabat. Sic etiam Virgilius 2. Æneidos verſu 203.

Ecce autē gemini à Tenedo, tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues.
Incumbunt pelago, pariterq; ad littora tendūt.

Et Ouidius lib. 13. Metamorphoſeos.

Ecce fretum findens alti nouus incola ponti,
Nuper in Euboica verſis Anthedone membris
Glaucus adeſt, viſæq; cupidine virginis ardet.

INTER pocula quærunt. Poculum propriè eſt vas ex quo bibitur, à potando, ſiue potiēdo dictum. Sic Horat. 1. ſerm. ſat. 2.

Num tibi quum fauces vrit ſitis, aurea quæris Pocula. Et Virg. Eclog. 3. ver. 44.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit.
Et molli circum eſt anſas amplexus acantho.

Verum hic per metonymiam continentis pro contento, poculorum nomine intelligit vina, quæ potu abſumuntur, ſicut Acheloia pocula intelliguntur quęcumque aquæ, etiam ſi non è vaſe biberentur. Sic Virg. 2. Georg. v. 126.

Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem.
Felicis mali, quo non præſentius vllum,
[Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba.]
Auxilium venit, ac membris agit atra venena

Veterum autem mos fuit, non ilico poſt dapes è menſa ſurgere, immo eiſdem accubantes lectis, calicibus epotandis operam dare: & tunc, animi cauſa, varię proponebantur quæſtiones, quæ dicebantur conuiuales, & ſolis calicibus conuenientes, & vt plurimum erant ludicræ, vel ænigmaticæ. Quem morem ſeruans Samſon Iudicum 14. ſuis compotatoribus, in nuptiali conuiuio, propoſuit ęnigma ab illis ſoluendum, dicens: *De comedēte exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Et Petronius in ſuo ſatyrico narrans conuiuium Trimalchionis, ait. *Interpellauit dulce, fabulas Trimalchio, nam iā ſublatum erat ferculum, hilareſque conuiuæ vino, ſermonibuſq; publicatis, operam cæperant dare.* Ibidemq; multæ referuntur quæſtiones cōuiuales: & inter alias ineptas has Trimalchio ipſe Agamemnoni proponit. *Rogo inquit, Magiſter. quid putas inter Ciceronem, & Publium intereſſe? Ego alterum puto diſertiorem fuiſſe, alterum honeſtiorem.* Et iterum. *Quid autem inquit, putamus ſecundum literas difficillium eſſe artificium? ego puto medicum, & nummularium.* Nec tantum viri, mulieres etiam ſeſe his quæ-

quæſtionibus oblectabant. Hinc Iuuenalis ſatyra 6. verſu 434. *(cæpit*

Illa tamen grauior, quæ quum diſcumbere
Laudat Virgilium, perituræ ignoſcit Eliſæ
Committit uates, & comparat inde Maronem.
Atq; alia parte in trutina ſuſpendit Homerum
Cedunt Grammatici, uincũtur rhetores, omnis
Turba tacet, nec cauſidicus, nec preco loquatur

Huiuſmodi ergo ſermone, quum ſint madidi, ſani eſſe nõ poterãt, nec quibat in illis fieri rectum iudicium de præſtantia alicuius operis, nam docet Horatius 2. ſerm. ſat. 2.

Diſcite non inter lances, menſáſq; nitentes.
Quum ſtupet inſanis acies fulgoribus, & quũ
Accliuis falſis animus, meliora recuſat.
Verum hic impranſi mecum diſquirite.

Idem ſentit Hieronymus Rufino ſcribens. *Quæſo te, amice cariſſime, huiuſmodi deliramenta dimittas, & prandiorum cœnarumq; fabulas, pro argumento non teneas ueritatis.* Cuius ratio eſſe poteſt, nam in eo qui vino madet, memoria obliteratur, omniſq; deperit ſapientia, vinum enim immodice hauſtum, caput turbat, mentem obruit, animi peſſumdat vigorẽ, ſui impotem reddit, voceſq; cogit emitti, per iugulum mox redituras, vt de multis Alexandri Magni amicis legimus: & licet Cambyſes, apud Herodotum in Thalia, ſe vino fartum, mentis compotem probare voluerit, Prexaſpis filium, qui ſibi à poculis miniſtrabat, occidendo per traiectionem illius cordis, nullus tamẽ fuit eo, furor ebrietatis maior.

ROMVLIDÆ Saturi. Romulidæ à Romulo, ſic appellati, non quod Romulus filios habue-

rit,ſed quod ipſe fuerit Romanæ conditor, & ſic Pater Vrbis: ſicut Cecrops Athenarum,ex quo Athenienſes Cecropidę dicti,eſto ex Cecropis ſanguine non fuiſſent.Et interuenit hic acris ironia, dum Romani nominantur Romulidæ,quum non patrizarent, nec eum imitarentur, etiam ſi eo authore gloriarentur. Romulus ſiquidem temperatiſſimus fuit,adeo vt de eo,in illius vita,ſcripſerit L. Piſo,vt refert Gellius lib.11.cap.14. *Eundem Romulum dicunt ad cœnam uocatum, ibi non multum bibiſſe,quia poſtridie negocium haberet: ei dicunt; Romule,ſi iſtuc omnes homines faciant, uinum uilius ſit: Is reſpondit Immo uero carum,ſi quantum quiſque uolet bibat,nā ego bibi quantum uolui.* Et Plato lib.ſiue Dialogo 3. de Rep. inquit. *Ab ebrietate,ipſis(Rectoribus)diximus abſtinendum, unicuique enim magis conceditur quam cuſtodi, ut ebrietate grauatus,ubi terrarum ſit,neſciat:nempe ridiculum eſſet, cuſtodem indigere cuſtodem*. At Romani,Perſas potius imitari videbantur, quibus ea firmiora erant conſilia,quæ à bene potis veniebant,vnde Herodotus in Clio ait. *Vinum largius Perſis apponitur: eiſdem nec uomere coram,nec urinam facere licet,quæ etiam nunc ita obſeruantur. Poti de rebus maxime ſeriis conſultare conſueuerunt*. Nec veriti fuerunt Romani,vinum ab Auguſto petere, vt refert Suetonius in Octauio dicens,cap.42. *Querentem de inopia,& caritate uini populum, ſeueriſſima coercuit uoce. Satis prouiſum à genero ſuo Agrippa, perductis pluribus aquis,ne homines ſitirent*.

QVID Dia poemata narrent. Dia dicebantur Diui-

Diuina, hæroica, vel magnifica à Διὸς nempe à Ioue, Iuppiter enim Διὸς dicebatur, vnde quia Iouis nomine ſignificabatur aer, ſiue æther, etiam nunc eum dicimus eſſe ſub dio, qui non eſt ſub tecto, ſed ſub aperto aere. Poemata ergo Dia, erant Tragica, vel Epica, tractantia de Ioue, vel Dijs, aut heroibus, ſiue de rebus grandibus, Virgilius per Dia intellexit clarum, aut magnificum, dicens 11. Æneid. verſu 655.

At circum lectæ comites, Lauinaq; uirgo.
Tullaq; & gratam quatiens Tarpeia ſecurim.
Italides, quas ipſa decus ſibi Dia Camilla
Delegit, paciſq; bonæ, belliq; miniſtras.

Sic etiam Horatius dicens 1. ſermonum ſat. 2.

Sunt qui nolint tetigiſſe niſi illas
Quorum ſubſuta talos tegat inſtita ueſte.
Contra alius nullā, niſi olenti in fornice ſtātē.
Quidam notus homo, quū exiret fornice, macte
Virtute eſto inquit, ſententia Dia Catonis.

HIC aliquis cui circa humeros, & hianthina lena eſt Rancidulum quiddam balba de nare locutus Phillidas Hypſipilas, uatum & plorabile ſi quid, eliquat, & tenero ſupplantat uerba palato. Humeri propriè ſunt partes illæ in humano corpore, ex quibus brachia dependent, quę in brutis, armi dicuntur de quibus Celſus lib. 8. cap. 1. inquit, *A ſumma coſta, paulo interius quā ubi ea media os excreſcit, ibi quidem tenue, procedens uero, quo propius lato ſcapularum oſſi fit, eò planius latiuſq; & paulatim in exteriora curuatur, quod propius altera uerticis parte modice intumeſcens, ſuſtinet iugulum. Id autem ipſum recuruum, ac neq; inter duriſſima oſſa numeran-*

merandum, altero capite in eo quod poſui, altero in exiguo ſinu pectoralis oſſis inſidet, paulũq; motu brachij mouetur, & cum lato oſſe ſcapularum, infra caput eius, neruis, & cartilagini connectitur. Hinc humerus incipit, extremis vtrimq; capitibus tumidus, mollis ſine medulla, cartilaginoſus: medius teres, durus, medulloſus, leniter gibbus, & in priorem, & poſteriorem, interiorem, & exteriorem partem. Prior autem pars eſt, quæ à pectore eſt, poſterior quæ ab ſcapulis, interior, quæ ad latus tendit, exterior, quæ ab eo recedit, quod ad omnes articulos pertinere in vlterioribus patebit: ſuperius autem humeri caput, rotũdius, quã cætera oſſa de quibus adhuc dixi, verticillatis ſcapulorum oſſibus, paruo exceſſu inſeritur, ac maiore parte ex tranſitu neruis deligatur: at inferius duos proceſſus habet, inter quos, quod medium eſt, magis etiam extremis partibus ſinuatur. Quę res ſedem brachio preſtat, quod conſtat ex oſſibus duobus Radius, quem κερκὶδα Greci appellant ſuperior breuiorq; & primo tenuior, rotundo, & leniter cauo capite, exiguum humeri tuberculum recipit, atq; ibi neruis, & Cartilagine continetur Cubitus inferior, longiorq; & primo plenior in ſummo capite, duobus quaſi verticibus extantibus in ſinu humeri, quem inter duos preceſſus eius eſſe propoſui, ſe inſerit. Sic Æneidos lib. 1. verſu 593. inquit Virgilius.

Reſtitit AEneas, claraq; in luce refulſit,
Os humeroſque Deo ſimilis.

Et 2. AEneidos verſu 707.

Ergo age chare pater, ceruici imponere noſtræ;
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte grauabit:

Et id ſecundum proprietatem; at metaphorice,

ce, vt humeri brutis, ita armi hominibus ſepe tributi inueniuntur, quarum tranſlationum creberrima ſuppeditat exempla antiquorum lectio.

ET hianthina. In nonnullis codicibus legimus hyacinthina. Verum mendum in his irrepſiſſe exiſtimo, quia librarij, cauſam non attingebãt, quur addita copulatiua foret particula, quam nos poſitam dicimus, tum metri gratia, alioquin contra eius leges peccaretur, quum ſyllaba prima nominis hianthinus, corripiatur: tum ad maiorem recitantis ignominiam; circa enim humeros lenam habens hiãthinam, nempe purpuream, dignitate, diuitijſque fulgebat, vt non recitaret ob inopiam, ſed ob meram cacodoxiam, & ita erat magis reprehendendus. Copula autem illa, &, idem nunc valet, ac etiam. Et quamuis Laurentius Valla ſenſerit, non reperiri apud Ciceronem, &, pro etiam, fallitur tamen, vt conuinci poteſt, tum ex alijs locis, tum ex epiſtola 16. libri noni ad Papyrium Pætum, vbi ait. *Quum tam ęquo animo bona perdas, non eo ſis conſilio, vt quum me hoſpitio recipias, ęſtimationem te aliquam putes accipere: etiam hęc leuior eſt plaga ab amico quem à debitore. Nec tamen eas cœnas quæro, vt magnæ reliquiæ fiant: quod erit magnificum, ſit & lautum.* Bene ergo ſcriptum eſt, *& hianthina*, potius quã hyacinthina, hæc enim veſtis nuſquam, quod meminerim, nominata inuenitur. Hyacinthus enim, quamuis flos ſit, non tamen eſt viola, nec ei, caule, aut flore, vel folijs aſſimilatur, quin potius in his omnibus lilio ſimilis videtur, & ſolo colore purpureo,

ab

ab illo, cui argenteus eſt, ſecernitur. In folijs huius floris, ſcilicet Hyacinthi, lineæ quædam cernuntur, repræſentantes duo Græca elemẽta, Alpha, & Iota: ex quo anſam cæperunt fingendi, in hunc florem mutatum fuiſſe, tum puerum, Hyacinthum nomine, de quod inter alios narrat Palephatus, lib. de fabuloſis narrationibus. *Hyacinthus adoleſcens Amiclei s erat, pulcher, & honeſtus ſatis. Hunc Apollo quidem vidit, vidit & hunc Zephyrus, amboq; illi us formæ amore capti ſunt, in eiuſq gratiam, & honorem, certatim artes uterque ſuas illi exhibebat. Sagittabat namq; Apollo, Zephyrus uero ſpirabat: ſed ab illo cantus, & uoluptas ueniebat, ab hoc uero timor non niſi, & perturbatio illi erat. Itaq; in Phœbi amorem ſeſe iuuenis inclinat: ob idque Zephyrum, præ Zelotypia, ad bellum armare fecit. Poſt hæc quędam Hyacintho exercitamenta, cum Apolline erant, in quibus quum ſeſe exerceret, à Zephyro ſibi maxime timendum erat, diſcoq; prȩſertim, quem quum adoleſcentis luſu Deus præparaſſet, & ab illo iam deſcendiſſet, à pueroq; mox leuaretur, Zephyri fraude in eum ipſum decidit, qui ita mortuus eſt. Terra uero tantę calamitatis memoriam, ullo modo deſertam emittere non debuit, quin pro adoleſcentulo quod fecit, florẽ Hyacinthi nominis emitteret, in cuius quidem folijs, eius ipſius Hyacinthi nominis principium inſcriptum fuiſſe memorant.* Tum virum Aiacem, qui ſeipſum necauerat, dolore concepto ob ſententiam contra ſe, & in Vlyſſis fauorem, à concilio Grȩcorum, in concertatione de armis Achillis latam; de quo ſic Ouid, 13. Metam.

Dixit

Dixit.& in pectus, tum demum vulnera paſsũ
Qua patuit, ferro lethalem condidit enſem,
Nec valuere manus infixum educere telum :
Expulit ipſe cruor, rubefactaq; ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis medijs pueroque viroque
Inſcripta eſt folijs, hæc nominis, illa querelæ.

Hianthina vero veſtis celebris, vt patritijs, & magiſtratibus conueniens. Hinc Mart. lib. 2. Epigr. 39.

Coccina formoſæ donas, & hianthina machæ
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Lena ergo hianthina, veſtis erat exterior, violacei coloris; ἴος ſiquidem Græcè, Latinè viola dicitur, ἄνθος vero eſt flos, vnde veſtis hianthina eſt, quæ florem violam repræſentat. Habet autem Plinius lib. 21. ca. 6. *Violarum plurima genera, purpureæ, luteę, albæ, plantis omnes vt olus ſatę. Ex ijs vero, quę ſponte apricis, & macris locis proueniunt, purpureę, latiore folio, ſtatim à radice carnoſę exeunt, ſoleq; Grgco nomine à cgteris diſcernuntur, appellatę ia, ut ab his hianthina veſtis.* Et quamuis veſtiũ luxuria, florum colores imitari docuerit, & inter eos tres celebriores; nempe album, coccineum, & purpureum; in omnibus tamen, violis ſtudebant: nã & albæ, & luteæ, coccineæ, & purpureæ hæ inueniuntur. Certè hyacinthus flos etiam eſt purpureus, non tamen ab eo veſtis denominatur, quia longe abeſt à violæ viuacitate. Et ita veſtis, non hyacinthina à hyacintho, ſed hianthina à viola dicta.

LENA veſtis erat lanea, quę villorum craſ-

ſitu-

ſtudine clamydem calefacere poterat, ita di-cta quaſi χλαῖνα à χλαίνειν ideſt à tepefa-ciendo, quia frigus arceret, quapropter ſupra alias veſtes deferebatur, nec ea poterant vti, niſi magiſtratus, vel perſonę in dignitate con-ſtitutę. Hinc Iuuen ſat. 3. v. 280.

Quibuſdam
Somnum rixa facit, ſed quamuis improbus omnis
Atq; mero feruens, cauet hunc quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longiſſimus ordo
Multum preterea flammarum, atq; ænea lāpas.

Sic Mercurius Iouis iuſſa AEnæę, ſic induto detulit apud Virgilium 4. AEneid. v. 260.

AEneam fundantem arces, ac tecta nouantem
Conſpicit, atq; illi ſtellatus iaſpide fulua
Enſis erat, Tyrioque ardebat murice læna
Demiſſa ex humeris.

Idem innuit Cicero de Claris Oratoribus c. 2 dicens. *Licet aliquid etiam de M. Pompilij in-genio ſuſpicari, qui cum Conſul eſſet, eodemq; tē-pore ſacrificium publicum cum læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis, Plebis contra Patres concitatione, & ſeditione nunciata, ut erat læna amictus, ita uenit in concionem, ſeditionemque tum authoritate, tum oratione ſedauit.* Tali ergo veſte, & ſic colorata, ob oculos ponitur huius recitatoris dignitas.

RANCIDULUM eſt diminutiuum à ranci-do. Rancidum autē propriè dicitur de car-nibus, aut piſcibus, etiam ſalitis, putrefactis tamen, aut putidis ob vetuſtatem, & propte-rea emittentibus nedum odorem grauem, ſed & ſaporem ingratum. Sic Horatius lib. 2. ſerm. ſat. 2.

Ran-

Rancidulum aprum antiqui laudabant, non quia naſus
Illis nullus erat, ſed credo hac mẽte, quod hoſpes
Tardius adueniens, uitiatũ commodius, quam
Integrum edax dominus conſumeret.
Sic etiam Iuuenalis dicens ſat. 11. v. 131.
Nulla uncia nobis
Eſt eboris, nec teſſellę, nec calculus ex hac
Materia, quin ipſa manubria cultellorum
Oſſea, non tamen his ulla obſonia fiunt
Rancidula, haud ideo peior gallina ſecatur.
Sed transfertur ad quamcumque rem ingratã, & inamœnam ſignificandam, ſicut Lucius Apuleius in fine libri primi ſui aſini aurei, quo Milonis hoſpitis auaritiam ſordidam, & ingratã deſcriberet, eum ſenem rancidum appellat, dicens. *Euaſi aliquando rancidi ſenis loquax, & famelicum conuiuium, ſomno, non cibo grauatus, cœnatus ſolis fabulis.*

BALBA de nare. Balbus ille dicitur, qui ob linguæ vitium, obſcurè loquitur, adeo vt minus rectè voces, aut aliquam exprimat ſyllabam, vt dicunt Alcibiadem, & Ariſtotelem nõ quiuiſſe reddere Rho, ſed loco eius ſubdidiſſe Lambdam, Idẽ euenit Demoſtheni, non valẽti exprimere primam litteram Rhetoricæ, quam profitebatur, Cicero quoq; ad familiares lib. 2. Epiſtola 10. balbum ſe appellat, dicens. *Quum eſſet tanta res, tantę gratulationes de te, quia quod ſperabam de Hillo, nempe Hirro (balbus enim ſum) quod non putaram.* Infra tamen eadem epiſtola ait. *Sed balbi non ſumus.* Quod autem ait hunc recitatorem; locutum prius quiddam rancidulum de nare balba, communiter

niter

niter interpretantur, eum ita recitaſſe, vt, ex linguæ vitio, vox per nares mitti videretur. Sed Caſaubonus, ait poetam his multa congeſſiſſe vitia, nempe quod recitator loqueretur rancidè, quod balbè, & quod de nare: & cũ dicit loqui de nare, cui [ob tramitis anguſtias] ſpiritus non libere, per fauces, & palatũ, ſed per nares exit. Sed mihi videtur, loqui rãcidule, eſſe, ea narrare, quæ omnibus ſunt manifeſta, nam ea videntur vetera, & rancida. At quia nedum dicitur locutus rancidulum, ſed additur, de nare balba, puto poetam voluiſſe his exprimere ineptam præparationem, qua recitator, auditorum beneuolentiam captare volebat, ſed in ipſo impegit limine: quum enim præmiſiſſet exteriorem corporis cultum, nunc ſubdit qualiter, vt ad recitandum ſe accingeret, locutus fuerit quiddam de nare balba, ideſt imitatus fuerit balbam locutionem, per narium fortem emunctionem: idq; dictum eſt ſatyricè, nam ita exprimitur huius recitatoris ineptitudo, qui ſtudens conuiuis placere, & auditoribus, in ipſa recitationis paraſceue, & præparatione, in actum impegit ſtomachum mouere valentem, ſcilicet narium emunctioné nauſeam prouocantem.

PHYLLIDAS. Phyllis Lycurgi filia, Thraciæ Regina, Demophoontem Theſei Atheniẽſium Regis, & Phædræ filium, reuertentem poſt Ilij excidium, cũ longis erroribus tempeſtatibuſque fatigatum, hoſpitio, thalamoq; vt coniugem recepit. Sed quum poſt aliquod tẽpus, Demophoon audiſſet defunctũ Mneſthea Athenarum Tyrannum, qui, expulſo Theſeo, Athe-

Athenarum occupauerat regnum, veniam petijt, vt ſibi per Phyllida liceret Athenas, ad paternum regnum recuperandum, proficiſci, iureiurãdo pollicitus, ſe infra menſem remeaturum; ſ b qua conditione vix commeatum à Phyllide impetrauit. Itaq; refecta claſſe, Athenas petijt. Verum ante pacificam Regni poſſeſſionem, nonnullę ei deuorandæ fuerunt difficultates, quibus præpeditus, nequiuit, vt iureiurando ſe obſtrinxerat, infra menſem reuerti. Phyllis vero, tribus præſtolatis menſibus pro viri reditu, tandem deceptam ſe arbitrata, doloris, & amoris impatiens, laqueo vitã finiuit, Deorum tamen miſeratione, in amygdalum arborem eſt mutata. Sed quum Demophoon, rebus domi compoſitis, quarto demum menſe ad eam remeaſſet, illiuſque audiuiſſet caſum, arborem, in quam illa conuerſa fuerat, & quæ tunc folijs erat omnino nuda, complecti voluit: at illa, quaſi quæ ſponſi ſentiret aduentum, & de illius gauderet fidelitate, ſtatim, in eius complexu botros protulit, ex quibus flores, & folia eruperũt, quod nũc etiã, præſtat amygdalus, ante alias arbores florens, in ipſo hyemis rigore; indeq; eſt, vt habet Hyginus libertus Auguſti, libro fabularum fabula 49. vt Gręci, folia, *Phylla* appellent.

HYPSIPYLAS. Quum Vulcanus in Inſula Lemno, Veneris, cum Marte adulterium detexiſſet, Lemnenſes tanto Venerem contemptui habuerunt, vt quum cæteris omnibus Dijs ſacrificarent, vnam illam inhonoratam reliquerint: inde Venus indignata, hircinum viris immiſit fętorem, ideoq; ab vxoribus

odio

odio habiti, quum bellum aduerſus Traces mouiſſent, illæ inter ſe conſilium inierunt de interficiendis omnibus ſexus virilis, regnoq; per ſeipſas adminiſtrando. Hoc firmato conſilio, viros reuerſos, & ſoporatos, ad vnum omnes interficiunt, niſi quod Hypſipyle, Thoantem ſeruauit patrem, quem clam, nauigio impoſitum, in Tauricam, aut Coon, aut Oenoeã inſulam amandauit, rogoq; domi inſtructo, aliũ quendam pro Thoante cremauit. Inde ipſa Regina conſtituta fuit. Ea autem Lemni regnũ obtinente, Argonautarum in Colchos accidit expeditio, qui quum Lemnum appuliſſent, à mulieribus cupidè hoſpitio lectoque recepti fuere, & quæcumq; ex ijs conceperunt, eorum nomina filijs impoſuerunt, Hypſipyla autem ex Iaſone geminos enixa eſt ſexus virilis, quorum vnũ Eunæum, aliũ vero Deiphilum, vel Thoanta appellauit, eoſq; extra inſulam amãdatos, ſeruauit. At Lemniades, ſiue quod reſciuiſſent ab ea ſeruatum patrem, ſiue quod contra Regni leges, prolem maſculam non necaſſet, eam ad cruciatum poſcebant, quod ipſa verita, fugam naui arripuit, ſed à pyratis capta, & Thebas ducta, Regi Lyco vendita fuit, & ab hoc Archemori filij curæ præpoſita, quam prouinciam diligenter adminiſtrabat. Sed quum quadam die, animi cauſa, per Nemeam ſiluam vagaretur, Archemorum vlnis geſtans [quem ex oraculo fuerat prohibita in terram deponere antequam poſſet ambulare]. Accidit tunc illac iter facere Adraſtum, & ſeptem ductores, qui Thebas ibant oppugnatum. Quos vt vidit ſiti pene enectos, eorũ rogatu

rogatu Archemorum(ſiue;vt alij vocãt,Ophiten) ſuper apium, qui altiſſimus ibi erat,depoſuit, oraculo obediens, illiſque aquam Langiam oſtendit:& Adraſti rogatu,illi,ac cęteris ductoribus militibuſq; omnem ſuæ vitæ expoſuit cataſtrophen,quam audiẽtes Thoas, & Eunæus, qui cum Adraſto militabant, matrem agnouerunt,&ab ea viciſſim agniti ſunt. Interea draco cuſtos fõtis,adrepẽs,puerũ exedit,quo nomine àLyco,ſiue LycurgoHypſipyle,ad ſuppliciũ rapiebatur,niſi àfilijs,Adraſto, & ſocijs, poſt necatũ draconem,liberata fuiſſet,qui in Lyci ſolatium,ludos Archemoro ſiue Ophiti funebres inſtituerunt, qui fiunt, quinto quoque anno, in quibus victores apij coronam accipiunt. Et hæc narrant Higinus fab.15. & 74. & Statius lib.4. & ſequentibus Thebaidos. Tales ergo fabulæ lacrymabiles illis recitabantur conuiuis.Et dicuntur in numero multitudinis Phyllidas, Hypſipylas,vel per ſenecdochen numeri, vel quia à multis ſcriptæ fuerant,vt eſſent rancidæ.

VATVM & plorabile ſi quid. Vt fabulæ iam memoratæ lacrymabilem continebant materiam,ſic,& aliæ conſimiles ab hoc recitante fuerant electæ ad detinendos auditores. Sic Claudianus.lib.1.in Eutropium.

Laxuſq;laborat.
Diſtendiſſe genas,fictumq;inflatus anhelat
Puluere reſperſus,tineiſq;& ſolibus ora
Pallidior,uerbiſq;ſonat plorabile quiddam
Vltra nequitiam fractis,& prælia narrat,
Perq;ſuam tremula teſtatur uoce ſororem.
Defeciſſe uagas ad publica commoda uires

Cedere

Cedere liuori, nec ſuſtentare procellas
Inuidiæ, mergiq; fretis ſpumantibus orat,
Exoretq; utinam: dum talia fatur ineptas
Detergit lacrymas, atq; inter ſingula dicta
Flebile ſuſpirat.

Et videtur reſpexiſſe ad carmen elegiacum, niſi quod ad Heroes pertinentia, non narrentur elegia, quum ſit carmen amatorium, molle, & luctuoſum. Vnde de morte Tibulli ait. Ouid. 3. Amorum elegia 9.

Flebilis indignos elegeia ſolue capillos.
Ah nimis ex uero nunc tibi nomen ineſt.

Et eodem repetit lib. 3. Amorũ elegia vltima.

ELIQVAT Eliquare dicitur de metallis igne liqueſcentibus, ac fluentibus. Eſt enim eliquare, ſicut liquare, actiuum, cuius paſſiuum eſt liquari ſiue liqueſcere. Hinc Lucanus libro 7. Pharſaliæ verſu 159.

Excuſſit criſtas galeis, capuloſq; ſolutis.
Perfudit gladiis, ereptaq; pila liquauit.
Ethereoq; nocens fumauit ſulphure ferrum

Et ſeneca lib. 3. quæſtionum naturalium cap. 26. ait. *Eſt in Cherſoneſo Rhodiorum fons, qui poſt magnum interuallum temporis, fœda quędam turbidus ex intimo fundat, donec liberatus, eliquatuſq eſt.* Liquare igitur, ſiue eliquare, eſt liquidum, vel fluidum reddere. Et quia quæ ex duris compactiſq; liqueſcunt, paulatim, ſiue guttatim reſoluuntur, inde ducta metaphora, recitatoris huius verba, dicta ſunt liquari, quia paulatim, cum quadam reticentia, & vocis lenocinio proferebantur, vt vocem reſolueret in cantilenam. Niſi mauis verba tunc liquari, quũ eorum extenuatur aſperitas: quod

fieri

fieri poteſt, vel commutando elementa, vt loco aſperorum, aut duplicium, vel ſoni grandioris, ponantur mollioꝛa, liquida, ſimplicia, & ſoni exilioris, ita vt è duabus vocibus idem ſignificantibus, quarum vna conſtet ex litteris ſoni grandioris, alia, exilioris, hanc præeligat mollitudinis affectator. Vel, ſeruatis eiſdem elementis, voces, ipſa prolatione, extenuando: voces enim grandioribus conſtantes elementis, molliter efferri poſſunt, vt compoſitæ ex exilibus, tali energia pronunciari, vt grandes appareant. Et hæc videtur mens poetæ, dicentis verba liquar tenero palato.

TENERO palato. Palatum eſt cœlum oris, quod quaſi muro, & palis, labijs dentibuſque munitur Ouid. 3. Triſt. el. 3.

Si iam deficiam ſuppreſſaque lingua palato]
Vix inſtillato reſtituenda mero.

Et Auguſtinus lib. 7. de Ciuitate Dei cap. 8. inquit. [Sed Iani bifrontis ſimulachri interpretatio proferatur. Duas enim facies ante, & retro habere dicitur, quod hiatus noſter, quũ os aperimus, mundo ſimilis videatur, vnde & palatum Græci *ὐρανὸν* appellant. Et nonnulli inquit, poetæ; Latini, cœlum vocauerunt palatum: à quo hiatu oris, & foras eſſe aditum, ad dentes verſus, & introrſus ad fauces. Ecce quo perductus eſt mundus, propter palati noſtri vocabulum, vel Græcum, vel poeticum. Quid autem hoc ad animam? quid ad vitam æternam? Propter ſolas ſaliuas colatur hic Deus, quibus partim glutiendis, partim expuendis, ſub Cœlo palati, vtraq; panditur ianua.] Palatum autem tenerum, appellauit molle: perſtat

H ſiqui-

ſiquidem in metaphora, nam quum dixiſſet; *Liquido quum plaſmate guttur mobile colluerit*, nunc exprimit effectum pharmaci, fuiſſe palati teneritudinem, vt ad quamcumq; vocem reddendam, facile flecti poſſet.

SVPPLANTAT verba. Supplantare, verbū eſt compoſitum, ex præpoſitione ſub, & verbo plantare: ſed frequenter ſumitur pro eo quod eſt, ſuppoſito pede, alium ad terram deijcere, & ſic accepit Cicero dicens lib. 3. de officijs. *Scitè Chryſippus, ut multa: Qui ſtadium inquit currit, eniti, & contendere debet quàm maxime poſſit, ut uincat: ſupplantare eum quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet.* Et quia qui hac ratione in lucta, vel curſu, ſuperiores euadebant, fraude magis, quam viribus, aut agilitate, viciſſe videbantur (nam pedem ſupponere, & manu depellere, decipere eſt) hinc ſupplantare pro decipere nonnumquam ſumitur, & ſic Eſau, ait Geneſis 23. de fratre ſuo. *Iuſte uocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me en altera uice, primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam.* Verum hic ſupplantare verba, ſignificat, molli, ac tenera voce ea pronūciare, extremas eorum ſyllabas de induſtria palato infringendo, vt videantur voces, quaſi ſtrangulatæ, & ſic earum ſonus ab ipſis iucundior exiſtimatur.

ASSENSERE uiri, nunc non cinis ille poetæ felix? non leuior cippus, nunc imprimit oſſa? Verba ſunt poetæ, ironicè accipienda: nam auditoribus profitentibus ſe eodem eſſe præditos ſenſu, & recitantis probare, tam formā,

quam

quam materiam,tamquam quibus elegantiora dici non poſſent, oppoſitum ſubintelligitur. Vt enim,ait Muſonius philoſophus apud Gellium lib.5.cap.1. [Quum philoſophus hortatur,monet,ſuadet,obiurgat, aliudue quid diſciplinarum diſſerit, tum qui audiunt,ſi de ſummo,& ſoluto pectore obuia, vulgataſque laudes effutiunt,ſi clamitant etiam,ſi geſtiunt, ſi vocum eius feſtiuitatibus,ſi modulis verborum,ſi quibuſdam,quaſi frequentamentis orationis mouentur,exagitantur, & geſtiunt,tum ſcias,& qui dicit,& qui audit fruſtra eſſe,neq; ibi philoſophum loqui, ſed tibicinem canere. Animus audientis philoſophum,laxamentum atque otium,prolixè profuſeq; laudandi, non habet.Quiſquis ille eſt, qui audiuit,niſi ille eſt planedeperditus,inter ipsā philoſophi orationem, & perhorreſcat neceſſe eſt, & pudeat, tacitus.& pœniteat,& gaudeat, & admiretur, varios adeò vultus,diſparileſq; ſenſus gerat, perinde vt eum, conſcientiamque eius affecerit,vtrarumq;animi partium, aut ſincerarum, aut ægrarum philoſophi pertractatio. Præterea dicebat:magnā laudē,non abeſſe ab admiratione:admirationē autem, quæ maxima eſt, nō parere verba, ſed ſilentiū.] Vnde quod hic ait.*Aſſenſere uiri*, irriſio eſt,& ſubſannatio,nō enim viri eſſe poterant illi,qui laudarent,molli, & ſtrangulata voce recitantem carmina de Phyllide, & Hypſipyle. Vnde tò viri,accipitur ironicè,pro mollibus,& minime viris: nam quum virum propriè nominamus, non tam ſexus intelligimus differentiam,quam fortem, atq;robuſtum, ſiquidem virorum propria eſt

virtus,ſiue virilitas, qua illi carebant. Hinc Seneca de conſolatione ad Polybium cap.36. ait. *Optime illos imitaberis, qui quum indignari poßent, non eſſe ipſos expertes huius mali, tamen in hoc uno ſe cæteris exæquari hominibus, non iniuriam, ſed ius mortalitatis iudicauerunt, tuleruntq; nec nimis acerbè, & aſpere, quod acciderat, nec molliter, & effœminatè Nam & non ſentire māla ſua, non eſt hominis, & non ferre, non eſt uiri.* Sic Demea, audiens Cteſiphonem uerberaſſe Syrum male conſulentem, ait apud Terentium Adelphis Actu 4. Scena 2.

Laudo Cteſipho, patriſſas, abi, uirum te iudico.

NVNC non cinis ille poetæ felix. Verba ironicè dicta, quæ ſi à ſobrijs, & incorruptis iudicibus, ex animi ſententia dicerentur, eximiā continerent commendationem: nunc quia à madidis, comparatis cœnis, vel ſportulis, veniunt, fœdant potius, quam ornent. Ironicè ergo ait, magnatē illum eſſe felicem, cuius opera recitata, tantopere laudarentur. Nam etiam iuxta Chriſtianorum dogma, ad ſecundariam, & accidentalem felicitatem pertinet, quempiā talia feciſſe, vnde vel poſteri ad virtutem prouocentur, vel Deus in ipſis glorificetur. Vnde quum iſte edidiſſet opus tam adamuſſim elaboratum, atq; limatum, vt auditores illi acclamarent, felicitatem videbatur aſſecurus. Cinis autem eſt puluis, in quem vſta reſoluitur materia, niſi liqueſcat. Verum hic, cinis per ſenecdochen vnius partis eſſentialis pro alia, ponitur pro corpore, & hoc per metalepſin, pro anima, quæ ſola felicitatis eſt capax. Lege Cornelia, Sylla ſanxit cremari cadauera, antequam

quam ſepulturæ mandarentur, eorumq; cineres,in vrnam collectos, tumulari:iuxta quam legem,Syllæ cadauer primum fuit in vrbe crematum. Mos tamen cadauera cremandi,ne tetro illorum odore, aer inficeretur, Sylla fuit antiquior, extra Vrbem tamen, vt vel Artemiſiæ Cariæ Reginæ factum probare poteſt, quæ Mauſoli fratris viriq;ſui cineres, è vino abſumpſit, præſtantius illi ſepulchrum præbens in ſuis viſceribus, quam Mauſolæum illi exterius à ſe erectum,inter ſeptem orbis miracula numeratum. Meminit cinerum in hac ſignificatione Ouidius 4. Triſtium Elegia 3. dicens.

Spiritus hic per te patrias exiſſet in auras
Sparſiſſent lacrymæ corpora noſtra piæ
Supremoq;die notum ſpectantia Cælum
Texiſſent digiti lumina noſtra tui.
Et cinis in tumulo poſitus iacuiſſet auito.
Tactaq;naſcenti corpus haberet humus.

Sic Seneca de Conſolatione ad Marciã cap. 11. *Deceſſit filius tuus, ideſt decucurrit ad hunc finẽ, ad quem, quæ feliciora putas partu tuo, properant. Huc omnis iſta quæ in foro litigat,in theatris deſidet, in templis precatur turba, diſpari gradu,vadit. Et quæ veneraris, & quæ deſpicis, vnus exequabit cinis.* In eo vero quod ait. *Nunc non cinis,& nunc non è manibus*,anaphora eſt.

CIPPVS eſt inſtrumentum ligneum, quo ſeruorum, & delinquentium conſtringuntur pedes,quo, etiam nunc, carcerum cuſtodes vtuntur. Cippus etiam erat columna alicubi erecta, cum inſcriptione, ad rei alicuius memoriam conſeruandam, cuiuſmodi erigi con-

ſueuit in defunctorum monumentis. Inde monumenta & terra ſuper cadauera ingeſta, etiã abſque inſcriptione, cippus dicebatur. Hinc Horat. lib 1. ſerm. ſat. 8.

Huc prius anguſtis eiecta cadauera cellis
Conſeruus vili portanda locabat in arca.
Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.
Pantalobo ſcurræ, Nomentanoq; nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrũ.
Hic dabat, hæredes monumentũ ne ſequeretur.

Perſuaſerant ſibi Ethnici, ad defuncti pertinere leuamen, nedum ſi cadauera, cum floribus cumularentur, ſed etiam ſi cippus, vel terra aggeſta, leuiter illa, vel eorum tangeret cineres: & tunc dicebant oſſa molliter quieſcere. Hinc Virgilius Ecloga 10. verſu 33.

O mihi tum quam molliter oſſa quieſcent
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores

Sic Iuuenalis ſatyra 7. verſu 207.

Dii maiorum vmbris, tenuem, & ſine pondere terram.
Spiranteſq; crocos, & in vrna perpetuum ver
Qui præceptorem ſancti voluère parentis
Eſſe loco.

Sic Propertius lib. 1. Elegia 17. inquit.

Illic ſi qua meum ſepelirent fata dolorem
Vltimus, & poſito ſtaret amore lapis,
Illa meos caros donaſſet funere crines
Molliter & tenera poneret oſſa roſa.
Illa meum extremo clamaſſet puluere nomen,
Vt mihi non vllo pondere terra foret.

Sic, & Ouidius Tibulli mortem deflens ait, Amorum lib. 3. elegia 9.

Oſſa quieta precor, tuta requieſcite in vrnæ

Et

Et ſit humus cineri non onerosa tuo .

Idemque Ouidius lib.3. Triſtium elegia 3.

Oſſa tamen facito parua referantur in vrna ,
Sic ego, non etiam mortuus, exul ero
Non vetat hoc quiſquã: fratrẽ Thebana perẽptũ
Suppoſuit tumulo, Rege vetante, ſoror
Atq; ea cum folijs, & amomi puluere miſce,
Inq; ſuburbano condita pone ſolo
Quoſq; legat verſus oculo properante viator,
Grandibus, in tumuli marmore, cæde notis .
Hic ego, qui iaceo, tenerorum luſor amorum
Ingenio perii Naſo poeta meo.
At tibi qui trãſis, ne ſit graue, quisquis amaſti
Dicere, Naſonis molliter oſſa cubent .
Quamuis in cinerem corpus mutauerit ignis,
Sentiet officium mœſta fauilla pium.

Sic etiam loquitur Tibullus dicens lib.2. Elegia 4.

Atq; aliquis ſenior veteres veneratus amores
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo .
Et bene diſcedens, dicet, placideq; quieſcas,
Terraq; ſecuræ ſit ſuper oſſa leuis .

Et idem Tibullus eodem lib.2. Elegia 7.

Parce, per immatura tuæ precor oſſa ſororis!
Sic bene ſub tenera parua quieſcat humo .

Et Martialis Erotij puellæ, ita Epitaphium claudit lib.5. Epigrammate 34.

Mollia, nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra grauis fueris, non fuit illa tibi .

E contra vero ad defũctorum miſeriam pertinere arbitrabantur , tum ſi eorum cadauera in ſordidum proiecta fuiſſent locum , tum ſi à feris deuorata, aut inſepulta putruiſſent, tum ſi graui terræ pondere premerentur . Hinc

Tibullus libro 1. elegia 1.

Iam tua, qui Venerem docuiſti vendere primus,
Quiſquis es, infelix, vrgeat oſſa lapis.

Et Propertius lib 4. elegia 5.

Terra tu m ſpinis obducat lena ſepulchrum;
Et tua, quod non vis, ſentiat vmbra ſitim
Non ſedeant cineri Manes, & Cerberus ultor,
Turpia ieiuno terreat oſſa ſono
Sit tumulus lenæ curto uetus amphora collo,
Vrgeat hunc ſuper uis, caprifice, tua.

Martialis etiam ſub ſpecie laudis, ſic mala imprecatur in morte Philænis lib. 9. Epigr. 29.

Sit tibi terra leuis, molliq; tegaris arena
Ne tua non poſſint eruere oſſa canes.

Quem tamen timorem, irridens ſuo more Diogenes morti proximus, mandauit, ſuum cadauer inhumatum in arenario relinqui: & ſuggerentibus, ita futurum, ipſum à canibus deuoratum iri: at vos, reſpondit, iuxta me baculum, quo eos abigere poſſim, locatote: eis vero dicentibus, nequaquam id fieri poſſe, ſiquidem mortuus, canum morſus, & laniatum non ſentiret: quid ergo, inquit, ſollicitabor ſi, mortuus, non ſentiam, num ſub terra putreſcam, an quarumcumq; beſtiarum cibus ſiam?

IMPRIMIT. Imprimere eſt infiggere, & quaſi intus premere, vt quum rei cuipiam molli, figura inducitur, & premendo ad partes illius interiores penetratur, vt videmus in cera, & ſigillo. Sic Cicero pro A. Cecina. *Statueritis, niſi ex eo loco, ubi ueſtigium impreſſerit, eiici neminem poſſe.* Et hoc modo cippus, ſiue lapis ſepulchralis, vel terra aggeſta, defunctorum cadauera imprimere, nempe grauare videtur,

LAV-

LAVDANT conuiuæ. Conuiua dicitur qui ſimul ex eadem veſcitur menſa, quaſi ſimul cũ eo viuens. Sic Plautus Aſinaria Actu 4. Scena 1.

Vocet conuiuam neminem illa, tu voces.

Et Moſtellaria Actu 2. Scena 1.

Quid ego agam? pater iam hic me offendet, miſerum, aduenient, ebrium.

Ædes plenas conuiuarum, & mulierum. Cõuiuæ ergo ſimul accubantes, qui prius aſſenſi fuerant rebus recitatis ab illo Magnate, qui conuiuio præerat, & eos inuitauerat, ſiue is Nero fuerit, ſiue alius quicumque, nunc per ſummam adulationem, tam narratas fabulas, quam poetas, qui eas ediderãt, quam recitantis modulationem laudant, eique plaudunt.

NVNC non è manibus illis, nunc non è tumulo fortunataque fauilla, naſcentur violæ? Repetitur irridendo, ſententia iam explicata, ad maiorem recitantis deſpectum. Idem enim valet. *Aſſenſere viri*, ac *Laudant conuiuæ*, vt idẽ ſignificatur per tò. *Nunc non cinis ille poetæ felix*, ac per tò. *Nunc non naſcentur violæ è manibus, tumulo, & fauilla. Manibus.* Manes qui dicerentur, non eſt vna omnium ſententia. Quidam dixerunt Manes eſſe è Dijs inferorum, Vnde Silius Italicus deſcribens Alpes Pœninas, ait lib 3. de bello Punico verſu 183.

Quantum tartareus Regni pallentis hiatus,
Ad manes imos, atq; atræ ſtagna paludis
A ſupera tellure patet, tam longa per auras
Erigitur tellus, & cælum intercipit umbra

Sic Virgilius 11. AEneid. verſu 689.

Manibus hæc referes telo cecidiſſe Camillæ.

Vel, ut alii legunt.

Manibus hæc referes, manibus cecidiſſe Camillæ.
Hoſq; inter Numina leua recenſentes, ſacrificijs propitiabant, ne nocerent; exiſtimatque Seruius, dictos Manes per antiphraſim, quia non eſſent manes, nempe boni, manes enim bonum dicebatur. Alij vero crediderunt, manes eoſdem eſſe cum Genijs, dictoſq; Manes, quia vniuerſa ab ipſis manarent: addebantq; cuilibet duos aſſiſtere Manes, quorum qui erat notæ melioris, Lar, vel Genius dicebatur, & hi putabantur fauere: infeſti vero dicebantur Laruę, vel Lemures. Et de huiuſmodi Laruis forte intelligendus Plautus Amphitruone Actu 4. Scena 4 dicens. *Quem ſi comperero, Thebebois ſacruficabo Manibus.* Alij, & magis communiter dicunt: Manes eſſe animas à corporibus ſeparatas, quæ nihilominus, ab illorum vicinia non patiebantur auelli, ideoq; circa tumulos, & ſepulchra habitare credebantur, ibique viuentibus apparere, ideoq; ſepulchra Dijs Manibus erant conſacrata, vt in illorum cernimus inſcriptionibus. Et hinc eſt illud Propertij ſupra relati ex lib. 4. Elegia 1. *Non ſedeant Cineri Manes.* Et illud Ouidij libro 3. Triſtium Elegia 3.

Nam ſi morte carens uacuam uolat altus in auram.
Spiritus, & Samii ſunt rata dicta ſenis.
Inter Sarmaticas Romana uagabitur umbras.
Perq; feres Manes hoſpita ſemper erit.

Et de Tyburna Saguntina, ſic loquitur Silius lib. 2. de bello Punico verſu 671.

Arma uiri multo nuper defenſa cruore

Im-

Imponit tumulo illacrymans, Maneſq; precata
Acciperent ſeſe flagrantem Lampada ſubdit.
Tunc rapiens leshum: ſibi ego hec ait optime coniux
Ad Manes en ipſa fero: ſic enſe recepto
Arma ſuper ruit, & flammas inuadit hiatu.

Et idem Silius narrans mortem Sarmentis, ait libro 4. verſu 200.

Occumbit Sarmens, flauam quā ponere uictor
Cæſariem, crinemq; tibi Gradiue uouebat
Auro certantem, & rutulum ſub uertice nodū,
Sed Parcæ intonſa non exaudita uouentem,
Ad Manes traxere coma. Manes igitur animę erant à corporibus ſeparatæ, in tumulorum vicinia habitantes: at hic per ſenecdochen ponuntur pro cadauere, vel cineribus.

E tumulo. Tumulus eſt colliculus, ſiue locus terræ nonnihil eminens, & ſupra reliquam planiciem eleuatus, ſic Cæſar deſcribens locū colloquij ipſiusmet, cum Ariouiſto, ait libro 5 de bello Gallico. *Planicies erat magna, & in ea tumulus terræ ſatis grandis. Hic locus, æquo fere ſpatio ab caſtris utriſq; aberat: eò ut erat dictum, ad colloquium uenerunt. Legionem Cęſar, quam equis deuexerat, paſſibus ducentis ab eo tumulo conſtituit.* Sic Ouid. lib. 5. Metamorph.

Eſt prope Pittheā tumulus Troezcna, ſine ullis
Arduus arboribus: quondam planiſſima cāpi,
Area, nūc tumulus: Nam (res horrēda relatu)
Vis fera uentorum, cæcis incluſa cauernis,
Expirare aliqua cupiens, luctataq; fruſtra
Liberiore frui coelo, quum carcere rima
Nulla foret toto, nec peruia flatibus eſſet,
Extentam tumefecit humum: ceu ſpiritus oris.

Tendere ueſicam ſolet, aut direpta bicorni
Terga capro:tumor ille loci permanſit,& alti
Collis habet ſpeciem,longoq;induruit æuo.

Et quia vbi quis fuerit ſepultus, terra ſolet eminere,tumuli nomine ſepulchrum frequenter ſignificatur.Hinc Homerus, apud Ciceronem lib.3.quæſtionum Tuſculanarum.

Namque nimis multos,atq;omni loco cadentes
Cernimus,ut nemo poſſit mærore uacare.
Quo magis eſt æquũ tumulis mandare perẽptos
Firmo animo,& luctũ lacrymis finire diurnis

Et Andromache apud Virgil.3. AEneid. verſu 321.

O felix una ante alias Priameia uirgo
Hoſtilem ad tumulũ Troiæ ſub mœnibus altis.
Iuſſa mori.

FORTVNATAQ:fauilla. Fauilla,quaſi fouilla,quia ignem foueat, vel etiam focilla, proprie eſt ſcintilla diſcuſſa ab igne ſub cineribus tecto,vel quę flammę impetu emittitur, & ab igne ſeparatur.Eſt autem diuerſa à ſcintilla,nam hanc eiaculantur, vel ſilices calybe percuſſi, vel metalla inflammata ſi malleentur. Sed indifferenter accipitur pro quocumque cinere. Hinc cum dixiſſet Plinius lib.8. cap.35. *Contectus ignis, a ſe fauillam diſcutit:* libro deinde 36.cap.25;ait. *Spiſſe calcatis carbonibus inducitur ſabulo,calce,ac fauilla mixtis.* Et hoc modo, etſi contra nominis ethymologiam,nunc fauilla ſumitur pro cineribus,in quas redactum fuerat cadauer illius poetæ, quamuis frigidis, & actu ignem non fouentibus. Quos dicit fortunatos,per ſenecdochen. Sæpe autem,vt ex eorum viuentium veſtigijs,

quos

quos felices eſſe credebant, flores naſci dicebant, vt infra ſatyra 2. verſu 38. *Quidquid calcaueris hic roſa fiat:* vel terram pro illis, odoriferos gignere flores, vt ait Virg. Ecloga 4. verſu 23. *Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores:* ita ex eorumdem ſepulchris dicebant, vel enatos flores, vel odores manaſſe: & ad id nunc Perſius reſpexit. Licet autem fabuloſum ſit, talia circa infidelium ſepulchra accidiſſe, (niſi forte, Deo permittente, Dæmon id effecerit ad imitanda ſanctorum chariſmata, & eleuandam eorum fidem, quo incredulos arctius ſibi implicaret, vt eorum obſtinatio merebatur) veriſſime tamen, iuxta probatas, & fide dignas hiſtorias, quas temerarium eſſet inficiari, multis Sanctorum à Deo id conceſſum credimus. Igitur quod ait, cinerem illius poetæ, ob aſſẽſum, & laudes conuiuantium, germinaturum roſas, vel violas, ſi accipiatur vt dictum, vel cogitatum ab aliquo conuiuantium, cum aſſeueratione eſt dictum, ſed per adulation[illegible]: ſi vero intelligatur, vt dictum ab ipſo Perſio, ironice eſt accipiendum, & irriſoriè, & hęc videtur mens poetæ, nam ſequitur.

RIDES ait, & nimis vncis naribus indulges. Irridebat poeta illorum fatuitatem, qui eos felices exiſtimabant, qui à madidis, vel inquinatis conuiuis laudabantur. Id aduertens recitator, qui ſibi placebat, vel aliquis ex cœnipetis, & adulatoribus, interrogat, num ſit aliquis renuens laudem meruiſſe. Ridere autem abſolute, vel Datiuo iunctum, eſt animi lætitiam ore, vultuque manifeſtare, & ſic loquũtur Demenetus, & Argyrippus apud Plautum Aſinaria Actu 5. ſcena 1. De-

Demenetus. *Nolo ego metui, amari mauolo Mi gnate abs te.* Argyrippus. *Pol ego vtrumque facio, vt æquum eſt filium.* Demenetus. *Credam iſtuc, ſi eſſe te hilarum videro.* Argyrippus. *An tu eſſe me triſtem putas?* Demenetus, *Putem ego, quem videam æquè eſſe moeſtum, vt quaſi ſi dies dicta ſit?* Argyrippus, *Ne dixis iſthoc.* Demenetus. *Ne ſic fueris, illico ego non dixero.* Argyrippus. *Hem, aſpecta, rideo.* Demenetus. *Vtinam male qui mihi uolunt, ſic rideant.* At quum accuſandi iungitur caſui, importat ſubſannare, aut irridere. Sic Plautus Sticho Actu 2. ſc. 1. *Hem, Ecaſtor, riſi te hodie multum.* Et Syrus de Demea, ait apud Terentium. Adelphis Actu 4. ſcena 2. *Rideo hunc, primum ait ſe ſcire, is ſolus neſcit, omnia.* Sic de Fauno Ouidius lib. 2. Faſtorum.

Ille gemit, lecto grauiter deiectus ab alto
Membraq; de dura vix ſua tollit humo.
Ridet, & Alcides, & qui uidere iacentem
Ridet amatorem Lyda puella ſuum.

Nec aliter accepit Horatius dicens lib. 1. Epiſtola 19.

Hinc ille lacrymæ ſpiſſis indignæ theatris
Scripta pudet recitare, & nugis addere põdus
Si dixi, rides, ait, & Iouis auribus iſta
Seruas. Et ita pro irridere, & ſubſannare nunc ſumitur.

ET nimis uncis naribus indulges. Vncus eſt incuruus, vel aduncus, ſic Virgilius 1. Georgicæ verſu 18.

Adſis ò Tegæe fauens, oleæq; Minerua
Inuentrix, uncíq; puer monſtrator aratri.

Et Ouidius dum ita Attico ſcribit libro 2. de ponto elegia 7. *Qui*

QVI ſemel eſt leſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.

Nares autem in irriſione, & ſubſannatione, corrugantur, incuruantur, & fiunt aduncæ, & hoc nunc factum ſignificatur, nimirum irriſiſſe recitantem: Tantumdem enim eſt Indulges naribus aduncis, quantum, ſannæ, cachinnis, & irriſioni, nimiam concedis libertatem, nam riſu ſoluto, nares corrugantur, & fiunt aduncæ. Hinc Horatius lib. 1. ſerm. ſat. 3.

Iracundior eſt paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum, rideri poſſit, eo quod.
Nec quod auus tibi maternus fuit atq; paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint.
Ruſticius tonſo toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret.

Et eodem lib. 5. ſat 6.

Vt pleriq; ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.

Martialis etiam ſuum ſic alloquitur librum lib. 1. Epigrammate 3.

Argiletanas mauis habitare tabernas,
Cum tibi parue liber, ſcrinia noſtra uacet.
Neſcis, heu, neſcis Dominæ faſtidia Romę
Crede mihi, nimium Martia turba ſapit.
Maiores nuſquam ronchi, iuueneſq; ſeneſq;.
Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Et in Cæcilium ait idem Martialis lib. 1. Epigrammate 41. vel 97.

NON cuicumq; datum eſt habere naſum. Naſus autem propriè, dicitur illa capitis pars, quæ à ſupercilio rum confinio nata, æqualiq; quaſi iugo porrecta, genas, & aciem vtramq; ſimul & diſcernit, & munit, In quo duo ſunt ſpi-

ſpiramina, ceu duo hiatus, inter quos carti-lagineus quidam, veluti paries, currit: quæ ſpiramina ſeu cauitates, propriè nares appellantur, ita dictæ à naritate, & ſenſu cognoſcédi, quia odoratu, ſiue olfactu, nos admonent preſto, & preſens eſſe obiectum, quod nondum oculis ſentiebamus. Niſi mauis nares dictas, quod per eas odor nare, ideſt natare videatur. Sed à naritate ducta metaphora, homo naſutus ponitur pro prudenti, & perſpicacis ingenij, qui rem longe poſitam, ſagaciter præuidere poſſit. Et emunctæ naris ille dicitur, cuius fuerit purgatum iudicium, qualem appellat Lucilium Horatius lib. 1. ſerm. ſat. 4. Sicut è contra, naris obeſæ, qui minime ingenio valeat, vnde idem Horatius epodo ode 12.

Quid tibi uis, mulier, nigris digniſſima barris?
Munera quur mihi, quidue tabellas
Mittis, nec firmo iuueni, nec naris obeſæ?
Namq; ſagacius unus odoror.
Polypus, an grauis hirſutis cubet hircus in alis
Quam canis acer ubi lateat ſus.

Indulgere autem, eſt non vrgere, & accipitur pro plus æquo permittere, facile concedere, obſequi, conſentire, & condonare. Hinc Cicero lib. de amicitia ait. *Obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicũ ferri ſinit.* Itaq; vt interpretabamur, tantundẽ eſt indulgere vncis naribus, quantum nimiam concedere libertatem irridendi, per naſi curuitatem.

AN erit qui uelle recuſet, os populi meruiſſe, & cedro digna locutus, linquere, nec ſcombros metuentia carmina, nec thus. Verba ſunt, vel reci-

cita-

citatoris. Quiſquis ille fuerit,eius in his verbis admiratio introducitur, quare Perſius huiuſmodi laudes flocciſaciat,& irrideat.Ideo interrogat,num ſit quiſquam,proprias exhorrens laudes. In quibus verbis eſt figura Litotes,vel Leptites, nempe extenuatio dicta,de qua diximus in Inſtitutionibus Oratorijs lib. 3.Tract.3.cap.5. quæ accidit,quum negatione contrarij,plus ſignificamus quam dicimus, & ita hic non recuſare meruiſſe, eſt vehementi flagrare deſiderio merendi, quod eſt plus quã deſiderare. Trahi autem vnumquemq; mortalium amore laudis,& gloriæ, innatum eſt,vnde Silius, Annibalem ſic loquentem inducit lib.3.verſu 142.

Sedeam ne,vt noueris vna,
Me tantum Carthago,& qui ſim neſciat omnis
Gẽs hominũ,læthiq;metu decora alta reliquã?
Quantum etenim diſtant à morte ſilentia vitæ?
Nec tamen inſanos laudũ exhorreſce furores,
Et nobis eſt lucis honos,gaudetq;ſenecta,
Gloria,quum longo titulis celebratur in æuo,

Et idem Silius lib. 15. de bello Punico verſu 84.ait.

Nonne vides hominũ,vt celſos ad ſidera vultus
Suſtulerit Deus,ac ſublimia finxerit ora?
Quũ pecudes,volucrumq;genus,formaſq;ferarũ
Segnẽ atq;obſcœnam paſſim ſtrauiſſet in aluũ?
Ad laudes genitum capiat ſi munera diuum,
Felix ad laudes hominum genus.

OS populi meruiſſe. Os,propriè eſt concauũ illud,intra quod lingua; & dentes continẽtur, ſic Plinius lib.11.cap.87. *Continui dentes, aut vtraq;parte oris ſunt, vt equo, aut ſuperiore præ-*

moris

ſacres non ſunt; vt bubus, ouibus. Nonnunquam tamen os ponitur pro aſpectu, vultu, & facie, & ſic Virgilius de Ænea ait 1. AEneid. verſu 394. *Os humerosq; Deo ſimilis.* Et Ouid. 1. meta.

Pronaq; quum ſpectent animalia cetera terrā,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; tueri.
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus

Sæpe etiam per metonymiam cauſæ inſtrumentalis pro effectu, os, linguam, vel labium nominando, ſermonem intelligimus, quia ore, lingua, & labijs loquimur. Hinc legimus Geneſis cap. 11. *Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem.* Et infra. *Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus, cœperuntq; hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſq; vocem proximi ſui. Atq; ita diuiſit eos Dominus ex illo loco, in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare Ciuitatem, & idcirco vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ.* Plinius etiam Secundus lib. de viris illuſtribus cap. 76. ait. *Mitiridates Rex Ponti, oriundus à ſeptem Perſis, magna vi animi, & corporis, vt ſex inges equos regeret, duarum, & viginti gentium ore loqueretur.* Et Ouid. lib. 3. Triſtium Eleg. 13.

Libaq; dem pro te, genitale notantia tempus.
Concipiamq; bonas, ore fauente, preces.

Et idem Ouidius libro ſequenti ſcilicet 4. Triſtium elegia 4.

Iuppiter ingenijs præbet ſua numina vatum,
Seq; celebrari quolibet ore ſinit.

Et eiuſdem operis nempe Triſtium libro 5. elegia 1.

De-

Delicias ſi quis, laſciuaq; carmina quæris
Præmoneo, numquam ſcripta quod iſta legat
Aptior his Gallus, blandiq; Propertius oris,
Aptior ingenium come, Tibullus erit.

Igitur meru ſſe os populi, ſignificat talia feciſſe, quæ populi excitent linguam ad laudandum: vel quæ populus miretur, nam mirantes, vultum conuertunt ad rem quam mirantur.

MERVISSE. Mereo, & mereor aliquando eſt facere ſtipendium, vel quæſtum ſordidiſſimum, etiam corpore, vnde ſunt mercatores, & meretrices: iuxta quam ethymologiam dixit Lucanus lib. 6. Pharſaliæ verſu 140.

Quem non mille ſimul turmis, nec Cæſare toto
Auferret fortuna locum, victoribus unus
Eripuit, uetuitq; capi, ſeq; arma tenente,
Ac nondum ſtrato, Magnum uiciſſe negauit.
Scæua uiro nomen, caſtrorum in plebe merebat

Sic etiam Statius Papinius libro 4. Thebaidos verſu 235.

Eſerti ingētes humeros, chlamys horrida pēdet,
Et cono Ledæus apex; non hi tibi ſolum.
Amphiarae merent, auget reſupina maniplo
Elis, depreſſæ populus ſubit incola Piſæ

Frequentius tamen ponitur indifferenter pro quidpiam dicere, vel facere, vnde quis præmiũ accipere, vel pœnam pati dignus ſit. Et ita ait. Myſis apud Terent. Adeph. Actu 1. Scena 5.

Vnum hoc ſcio, meritam eſſe, ut memor eſſes ſui.

Et Plautus Trinummo Actu 5. Scena 2.

Si quid amicum erga beneſeci, aut conſului fideliter. (*arbitror*
Non uideor meruiſſe laudem, culpa caruiſſe

Sic Grumio, & Tranio, apud eumdem Plautũ

Mo-

Moſtellaria Actu 1. Scena 1.

Grumio. O carnificium cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per uias
Stimulis, ſi huc reueniat, quam primum ſenex

Tranio. *Qui ſcis an tibi iſtuc prius eueniat, quam mihi?*

Grumio. *Quia numquam merui, tu meruiſti, & nunc meres.*

ET cedro digna locutus. De cedro multa loquuntur authores, & in primis Plinius lib. 13. cap. 5. ait. [Iuniperi ſimilem habent Phœnices, & cedrum minorem: duo eius genera, Lycia, & Phœnicia; differunt folio, nam quæ durum, acutum, ſpinoſum habet, oxycedros vocatur, ramoſa, & nodis infeſta. Altera odorē præſtat. Fructum ferunt Myrti magnitudine, dulcem ſapore. Et maioris Cedri duo genera: quæ floret, fructum non fert, fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum occupat nouus. Semen eius cupreſſo ſimile. Quidā cedrelaten vocant: ex hac, reſina laudatiſſima; materiæ vero ipſi æternitas: itaq; ſimulachra Deorum ex ea factitauerunt. Cedrinus eſt Romæ in delubro, Apollo Soſianus, Seleucia aduectus. *Et idem Plinius lib. 24. cap. 5 ait.* Cedrus magna quam cedrelaten vocant, dat picē quæ cedria vocatur, dentium doloribus vtiliſſimam: frangit enim eos, & extrahit, dolores ſedat. Cedri ſuccus ex ea quomodo fieret, diximus, magni ad lumina vſus, ni capitis dolorem inferret. Defuncta corpora incorrupta æuis ſeruat, viuentia corrumpit: mira differentia, quum vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. Veſtes quoq; corrumpit, & anima-

lia

lia necat. Ob hoc non cenſeam in anginis hoc remedio vtendum, neq;in cruditatibus, quod ſuaſere aliqui,guſtu:dentes quoq; colluere ex aceto in dolore timuerim, vel grauitati, aut vermibus aurium inſtillare: Portentum eſt quod tradunt,abortiuum fieri in Venere,ante perfuſa virilitate. Phthiriaſes perungere eo non dubitauerim, itemq;porrigines. Suadent, & contra venenum leporis marini, bibere ix paſſo:facilius in elephantia ſi illinatur,& vlcera ſordida,& excreſcentia in ijs.authores quidam,& oculorum albugines caliginesq;inunxere eo:& contra pulmonis vlcera,c athum eius ſorbere iuſſerunt; item aduerſus tineas. Fit ex eo oleum,quod piſſelæon vocant,vehementioris ad eadem omnia vſus. Cedri ſcobe ſerpentes fugari,certum eſt: item baccis tritis cum oleo, ſi qui perungantur. Cedrides,hoc eſt fructus cedri, tuſſim ſanant,vrinam cient, aluum ſiſtunt, vtiles ruptis, conuulſis,ſpaſticis,ſtranguriæ,vuluis,ad noti. *Et idem lib 16. cap.39.ait.*Cedrus in Creta,Africa Syria laudatiſſima. Cedri oleo peruncta materies, nec tineam,nec cariem ſentit. *Et eodem lib.cap* 40. In Ægypto, ac Siria,Reges, inopia abietis, cedro ad claſſes feruntur vſi: maxima ea in Cypro traditur ad vndecimremem Demetrij ſuc ciſa,centum triginta pedum, craſſitudinis vero ad trium hominum complexum. Eius ligni meminit etiam Virgilius lib. 2. Georgicorum verſu 440,dicens.

Ipſe Caucaſeo ſteriles in uertice ſlue,
Quas animoſi Euri aſſidue frangunt q;feruntq;
Dant alios alia ſætus,dant utile lignum

Na.

Nauigiis pinos, domibus cedroſq; c preſſoſque.
Et de oleo cedrino, quo, in vſum lucernarum ob odoris fragrantiam, delicatiores vtebantur, loquitur idem Virgilius lib. 7. Æneidos, verſu 10. dicens.

Proxima Circeæ raduntur littora terræ
Diues inacceſſos ubi ſolis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu, tectiſq; ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum
Arguto tenues percurrens pectine telas

Verum ob capitis grauedinem, ortam à vapore talis olei, deſtiterunt, eo vti in lucernis. Erat ergo cedri lignum imputribile, tineam, & cariem non ſentiens, ea etiam quæ cedri oleo, (illo ſcilicet, quod in aquę modum ex eo ligno fluebat) peruncta fuiſſent, immortalitatem conſequebantur, in cuius rei teſtimoniū refert Plinius lib. 13. cap. 13. Gn Terentium repaſtinantem agrum, ſitum in Ianiculo, offendiſſe in eo arcam, & in illa cadauer Numæ Pompilij ſecundi Romanorum Regis, & illius libros, licet chartaceos, tamen incorruptos, quamuis, ex quo conditi fuerant, elapſi fuiſſent anni quincenti triginta quinque, ſiquidem inuentio, hec accidit P. Cornelio Cethego, M; Bebio Pamphilo Coſſ. Cuius incorruptionis cauſam dixerunt fuiſſe, quia perfuſi fuerant oleo cedrino. Inde Horatius ad Piſones ait.

Speramus carmina fingi.
Poſſe linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo.

Et Martialis lib. 3. Epigrammate 2.

Cedro, nunc licet ambules perunctus.

Et idem Martialis lib. 5. Epigram. 6.

Numquam grandia, nec moleſta poſcit.

Nigris

Quæ cedro decorata, purpuraque;
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Sic Ouidius lib. 1. Triſtium elegia 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Et Auſonius epigrammate 34. ſic ſuum alloquitur librum.

Iraſcor Proculo, cuius facundia tanta eſt.
Quantus honor: ſcripſit plurimaque cohibet.
Hinc ſtudeo vlciſci & propter eſt hæc vltio Vati
Qui ſua non edit carmina, noſtra legat.
Huius in arbitrio eſt, ſeu te iuueneſcere cedro.
Seu iubeat duris vermibus eſſe cibum.

Loqui ergo digna cedro, eſt loqui digna immortalitate, ſiue quia conceptus mentis mandarentur tabulis cedrinis, & incorruptibilibus. Certum namq; eſt antiquos multa in tabulis ſcripſiſſe, nedum ligneis ſed et lapideis, & æreis, vnde axamenta nominantur, & leges duodecim tabularum, & tabulæ legis Moſaicæ: ex quo vſq; nunc Notarij, qui poſteritati ſcribūt, referre in tabulas, & tabelliones dicuntur: inter ipſas autem tabulas, cedrinæ pretioſiores, commodiores, & non minoris incorruptibilitatis, quam marmoreæ credebantur. Siue quia chartæ linitæ erant oleo cedrino: & quia communior erat vſus in chartis ſcribendi, de his puto locutum, & ex contextu ſic apparet.

LINQUERE dictum eſt per aphereſin, auferentem litteram, aut ſyllabam à principio dictionis. Sic Plautus Amphitruone. Actu 4. ſcena 5.

Dic, vbi me liquiſti.

Et idem Aſinaria Actu 2. Scena 2.

Herum

Iterum in obſidione linquet, inimicum animos auxerit.

Et Tibullus Panegyrico ad Meſſalam.

Iuppiter ipſe leni vectus per inania curru
Adfuit, & cœlo vicinum liquit Olympum.

Et linquere, ſiue relinquere, eſt deſerere, vel dimittere. Et hic eſt relinquere poſt ſuum obitum carmina, ſemper duratura, & immortalia.

NEC ſcombros metuentia carmina, nec thus. Scombrus piſcis eſt, ſub aquis ſulphureũ habens colorem, qui Romę, multiſq; alijs, etiam extra Italiam in locis, Maccarellus appellatur, eiuſq; in Hiſpania, circa nouam Carthaginem, maxima eſt captura, & ex illius ſanguine fiebat garum, vt dicemus ad illa verba ſatyræ 6. verſu 15. *Eſt qui tingat olus ſiccum muria vafer in calice empta.* Quod autem dicitur relinquere carmina non metuentia ſcombros, nec thus, dictum eſt per metalepſim, ſiue gradationem, de qua figura diximus in InſtitutionibusOratorijs lib. 3. Tract. 2. cap. 5. Nam carmina dixit pro chartis, & pagellis papyraceis, quibus carmina inſcripta erant: quæ eſt metonymia adiuncti pro ſubiecto: deinde paginas poſuit pro earum domino, vel authore carminum, quæ eſt etiam metonymia pro ſubiecto ad ſe recipiente. Non enim carmina, nec chartæ, quæ ſunt res inanimatæ, poterant metuere, bene vero dominus, vel author carminum, illis timere poterat, ne ad pigmentarios, vel ſalſamentarios deportarentur, ad quos amandari ſolent ſcripta legi indigna; vt ex eis fiant cuculli, vel inuolucra piſcium ſiue aromatum,

quæ

quæ erat maxima ſcriptorum ignominia quamuis non defuerint qui ex indignatione, ſponte eam ſubierint, nam legimus in *A*thenæi Dipnoſophiſtis lib.9.cap.4.*Chamælcon Heracleotes libro ſexto de Comœdia ita ſcribit. Quũ Athenis Dithyrambos Anaxandrides forte doceret, ſuper equo ingreſſus eſt, ac quiddam ex ijs, quæ ſunt in cantico nunciauit: erat aſpectu pulcher, & magnus, comamq; nutriebat, purpuream veſtem, aureaq; veſtimenti ora geſtabat. Qui quum inſuauibus eſſet moribus, quiddam ſimile circa comœdias etiam illius accidebat: quotieſcumq; enim non viciſſet, capiens, vt in thus considerentur, præbebat, neq; velut alij multi emendabat. Sic itaq; multos actus, qui perbelle ſe habebant, perdidit, ſpectatoribus indignatus ob ſenectutẽ.* In eo etiam, quod ſcombros nominat, & thus, ſenecdoche interuenit ſpeciei pro genere, nam ponit ſcõbros pro quocumq; ſalſamẽto, & thus pro quouis aromate. *A*d quam ſententiam reſpiciens Horatius, ait in calce lib.2. epiſt.1.

Et vna
Cum ſcriptore meo capſa porrectus aperta,
Deferar in vicum vendentem thus, & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis

Sic Martialis libro 6. Epigrammate 60.

Ingenioſa tamen Pompili ſcripta feruntur,
Sed famę non eſt hoc, mihi crede, ſatis,
Quam multi tineas paſcunt, blattaſq; diſerti,
Et redimunt ſoli carmina docta coci.

Et clarius lib.3. Epigrammate 2.

Cuius vis fieri libelle munus?
Feſtina tibi vindicem parare,
Ne nigram cito raptus in culinam,

Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris piperiſq; ſis cucullus.

QVISQVIS es ò modo quem ex aduerſo dicere ſtci, Non ego quum ſcribo, ſi forte quid aptius exit (Quando hec rara auis eſt) ſi quid tamen aptius exit Laudari metuam: neq; enim mihi cornea fibra eſt. Sed recti finem, extremumq; eſſe recuſo. Euge tuum, & Belle, nam Belle hoc excute totum, Quid non intus habet. Morata ſunt iſta verba, quibus poeta ſuam, ante oculos ponit modeſtiam, præſeferens dubitationem, num aliquando quidquam ſcribat laude dignum. Et ingenue fatetur, ſe etiam laudis amore teneri, ſed tunc demum, quum illa ex merito contingit. Et his verbis reſpondet interrogationi. *An erit qui velle recuſet os populi meruiſſe.* Huic ergo, quem inducit dicentem ex aduerſo, reſpondet. Quum ſcribo, ſi forte quid graphicè, luculenterq; elaboratum exciderit, non paruipendo laudes, nam id ſtupidi eſſet hominis & inſeoſati. Nec tamen meorum ſtudiorum finem vltimum, in huiuſmodi laudibus conſtituo, immo exiſtimo virtutem ſeipſa debere eſſe contentam, nec extra ſuos actus aliud exigere præmium, ſed ab illaudatis laudari, omnino aſpernatur. Quia vero, inquit, ſcio, raro mihi excidere quidpiam laude dignum, ideo tuam aſſiduam laudationem, tuũq; iteratum Euge, & Belle, non curo: hæ namq; acclamatoriæ voces, excuſſæ, abditas pandunt ſordes, auaritię, vel ignorantiæ, aut adulationis. Eamdem ſententiam expreſſit Silius Italicus lib 13. verſu 663. dicens.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces

Dulce

Dulce tamen venit ad Manes, cum gloria vitæ
Duret apud ſuperos, nec edunt obliuia laudē

Et Claudianus in principio Panegyrici de Conſulatu Mallij Theodori.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaq; late
Fortuna ſecum nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuq; petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

RARA auis. Locutio eſt prouerbialis, denotans nunc difficultatem inueniendi poetam, vel oratorem, quem nec Cicero putauit ſe inueniſſe. Ea vſus Iuuenalis ſatyra 6. verſu 165.

Rara auis in terris nigroq; ſimillima cicno
Quis feret vxorem cui conſtent omnia?

Hac prouerbiali locutione ad phœnicem forte reſpexit, quem dicunt vnicum in vniuerſo. Vnde Ouidius lib. 2. Amorum elegia 6.

Et viuax Phoenix vnica ſemper auis.

Sic Claudianus Epigrāmate de Phœnice ipſū late deſcribit dicens,

Oceani ſummo circumfluus æquore lucus
Trans Indos, Eurūq; viret, qui primū anhelis
Sollicitatur equis, uicinaq; uerbera ſentit
Humida roranti reſonant quum limina curru
Vnde rubet uentura dies, longeq; coruſcis,
Nox afflata rotis refugo palleſcit amictu.
Hæc fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit, ſoluſq; plaga defenſus iniqua
Poſſidet intactas ægris animalibus oras.
Sæua nec humani patitur contagia mundi,
Par uolucer ſuperis: ſtellas qui uiuidus æquat
Durando, membriſq; teret redeuntibus æuum.

Non epulis ſaturare famem, non fontibus ullis
Aſſuetus prohibere ſitim, ſed purior illum
Solis feruor alit, uentoſaq; pabula libat
Tethyos innocui carpens alimenta uaporis.
Arcanum radiant oculi iubar, igneus ora,
Cingit honos, rutilo cognatum uertice ſidus
Attollit criſtatus apex, tenebraſq; ſerena
Luce ſecat, Tyrio pinguntur crura ueneno,
Anteuolãt Zephyros pennæ, quas ceruleus ãbit,
Flore color, ſparſaq; ſuper diteſcit in auro.
Hic neq; concepto fœtu, nec ſemine ſurgit,
Sed pater eſt, proleſq; ſui, nulloq; creante
Emeritos artus fœcunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera uitam.
Namq; ubi mille uias longinqua retorſerit æſtas,
Tot fuerint hyemes, toties uer curſibus actum,
Quas tulit autũnus, dederit cultoribus ũbras,
Tunc multis grauior tãdẽ ſubiungitur annis,
Luſtrorum numero uictus, ceu laſſa procella
Ardua Caucaſeo nutat de uertice pinus,
Seram ponderibus pronis tractura ruinam,
Pars cadit aſſiduo flatus pars igne pereſa
Rumpitur, abripuit partem uitioſa uetuſtas,
Iam breue decreſcit lumen, languetq; ſenili
Segnis ſtilla gelu, qualis quum forte tenetur
Nubibus, & dubio uaneſcit Cynthia cornu.
Iam ſolitæ medios alæ tranſcurrere nimbos
Vix ima tolluntur humo, tunc conſcius aui
Defuncti, reduciſq; parans exordia formæ,
Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretioſa fronde Sabæum
Componit, buſtumq; ſibi, partumq; futurum,
Hic ſedet, & Solem blando clangore ſalutat

Debi-

Debilior, miſcetq; preces, & ſupplice cantu
Præſtatura nouas vires incendia poſcit.
Quem ſimul adductis vidit quum Phœbus habenis,
Stat ſubito, dictiſq; pium ſolatur alumnum,
O ſenium poſiture rogo, falſiſq; ſepulchris
Natales habiture vices, qui ſæpe renaſci
Exitio, proprioq; ſoles pubeſcere letho,
Accipe principium rurſus, corpuſq; coactum
Deſere, mutata melior procede figura.
Hęc fatus, propere flauis è crinibus vnum
Concuſſa ceruice iacit, miſſoq; volentem
Vitali fulgore ferit, nam ſponte crematur,
Vt redeat, gaudetq; mori feſtinus in ortum;
Feruet odoratus telis cęleſtibus ager,
Conſumitq; ſenem; nitidos ſtupefacta iuuencos
Luna premit, pigroſq; polus non concitat axes,
Parturiente rogo curis natura laborat,
Æternam ne perdat auem, flammaſq; fideles
Amouet, vt rerum decus immortale remittant,
Continuo diſperſa vigor per membra volutus
Æſtuat, & venis rediuiuus ſanguis inundat,
Victuri cineres nullo cogente moueri
Incipiunt, plumaq; rudem veſtire fauillam.
Qui fuerat genitor, natus nunc proſilit idem,
Succeditq; nouus, geminæ confinia vitę.
Exiguo medias diſcrimine ſeparat ignis.
Protinus ad Nilum Manes ſacrare paternos
Auctoremq; globum Phariæ telluris ad oras
Ferre iuuat. Velox alienum tendit in orbem
Portans gramineo clauſum uelamine funus,
Innumeræ comitantur aues, ſtipatq; uolantem
Alituum ſuſpenſa cohors, exercitus ingens
Obnubit uario late conuexa meatu.

Nec quiſquam tantis è millibus obuius audet
Ire duci: ſed regis iter flagrantis adorat,
Non ferus accipiter, non armiger ipſe Tonantis
Bella mouent, commune facit reuerentia fœdus
Talis barbarica fluuio de Tigride turmas
Ductor Parthus agit, gemmis, & diuite cultu
Luxurians fertis, apices regalibus ornat
Auro frænat equum, perfuſam murice ueſtem
Aſſyria ſignatur acu, tumiduſq; regendo
Celſa per Tyrias acies ditione ſuperbit.
Clara per Ægyptum placidis notiſſima ſacris
Vrbs Titana colit, centumq; immane columnis
Inuehitur Templum Thebano monte reuulſis,
Illic ut perhibent, patriam de more reponit
Congeriem, uultumq; Dei ueneratus herilem,
Iam flammæ commẽdat onus, iam deſtinat aris
Semina reliquiaſque ſui: myrrhata relucent
Limina: diuino ſpirant altaria fumo,
Et Peluſiacas productus aduſq; paludes,
Peruenit Indus odor, penetrat, cẽpletq; ſalubri
Tempeſtate uiros, & nectare dulcior aura
Oſtia nigrantis Nili ſeptena uaporat.
O felix, hereſq; tui, quo ſoluimur omnes,
Hoc tibi ſuppeditat uires Prębetur origo
Per cinerem, Moritur, te nõ pereunte ſenectus,
Vidiſti quodcumq; fuit; te, ſecula, teſte
Cuncta reuoluuntur, noſti quo tempore Pontus
Fuderit elatas ſcopulis ſtagnantibus undas,
Quis Phaethonteis erroribus arſerit annus,
Et clades te nulla rapit, ſoluſq; ſuperſtes
Edomita tellure manes. Non ſtamina Parcæ
In te dura legunt, non ius habuere nocendi.

Lactantius etiam Firmianus ſic Phœnicem deſcribit,

Eſt

Eſt locus in primo fœlix Oriente remotus
Qua patet ęterni ianua celſa poli.
Nec tamen æſtiuos, hyemiſque propinquus ad ortus.
Sed qua ſol uerno fundit ab axe die.
Illic planicies tractus diffundit apertos
Nec tumulus creſcit, nec caua uallis hiat,
Sed noſtra montes, quorum iuga celſa putãtur
Per bis ſex ulnas eminet ille locus.
Hic ſolis nemus eſt, & conſitus arbore multa
Lucus, perpetuæ frondis honore uiret.
Quum Phaethontęis flagraſſet ab ignibus axis,
Ille locus flammis inuiolatus erat,
Et quum diluuium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalioneas exſuperauit aquas.
Non huc exangues morbi, non ægra ſenectus,
Nec mors crudelis, nec metus aſper adit
Nec ſcelus infandũ, nec opum ueſana cupido,
Aut Mars, aut ardens cędis amore furor.
Luctus acerbus abeſt, & egeſtas obſita pannis,
Et curę inſomnes, & uiolenta fames.
Non ibi tempeſtas, nec uis furit horrida uenti,
Nec gelido terram rore pruina tegit.
Nulla ſuper campos tendit ſua uellera nubes,
Nec cadit ex alto turbidus humor aquę
Sed fons in medio eſt, quem uiuũ nomine di:ũt
Perſpicuus, lenis, dulcibus uber aquis
Qui ſemel erumpens per ſingula tempora mẽſũ
Duodecies undis irrigat omne nemus,
Hic genus arboreum procero cũ ſtipite ſurgens,
Non lapſura ſolo mitia poma gerit,
Hoc nemus, hos lucos auis incolit unica Phœnix
Vnica, ſed uiuit morte refecta ſua
Paret, & obſequitur Phœbo memorãda ſatelles,

Hoc natura parens munus habere dedit.
Lutea cum primum ſurgens aurora rubeſcit,
Quum primum roſea ſidera luce fugat
Ter quater illa pias immergit corpus in vndas,
Ter quater è viuo gurgite libat aquam.
Tollitur, ac ſummo conſedit in arboris altæ
Vertice, quæ totum deſpicit vna nemus.
Et conuerſa nouos Phœbi naſcentis ad ortus,
Expectat radios, & iubar exoriens
Atq; vbi ſol pepulit fulgentis limina portæ,
Et primi emicuit luminis aura leuis.
Incipit illa ſacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce ciere nouam.
Quam nec Iulææ voces, nec tibia poſſit
Muſica cyrrheis aſſimilare modis,
Sed neq; olor moriens imitari poſſe putatur
Nec Cyllenææ fila canora lyræ.
Poſtquam Phœbus equos in aperta refudit olympi,
Atq; orbem totum protulit vſq; means,
Illa ter, alarum repetito verbere, plaudit,
Non errabilibus, nocte dieq; ſonis
Atq; eadem celeres etiam diſcriminat horas;
Igniferumq; caput ter venerata ſilet.
Antiſtes nemorum, & luci veneräda Sacerdos,
Et ſola arcanis conſcia Phœbe tuis,
Quæ poſtquam vitæ iam mille peregerit annos,
Ac ſe reddiderint tempora longa grauem
Vt reparet laſſum ſpatijs urgentibus æuum
Aſſueti nemoris dulce cubile fugit.
Quumq; renaſcendi ſtudio loca ſancta reliquit,
Tunc petit hunc orbẽ, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæua uolatus.
Phœnicis nomen cui dedit ipſa uetus.

Secre-

Secretoſq;petit deſerta per auia lucos,
Hic ubi per ſaltus ſilua remota latet:
Tum legit aerio ſublimem uertice palmam,
Quæ Graium Phœnix ex aue nomen habet,
Quã nec dente nocens animal perrũpere poſſit,
Lubricus, aut ſerpens, aut auis ulla rapax
Tũ uẽtos claudit pendentibus Aeolus antris,
Ne uiolent flabris aera purpureum.
Neu concreta Noto nubes per inania Cœli,
Summoueat radios ſolis, & obſit aui
Conſtruit inde ſibi ſeu nidum, ſiue ſepulchrũ,
Nam perit ut uiuat, ſe tamen ipſa creat.
Colligit hinc ſuccos, & odores diuite ſilua,
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs.
Quos aut Pygmææ gentes, aut India carpit,
Aut mollι generat terra Sabæa ſinu.
Cinnama dehinc, aurãq;procul ſpirãtis amomi,
Congerit, & miſto balſama, cum folio
Non caſiæ mitis, nec olentis uimen acanthi,
Nec thuris lachrymæ, guttaq;pinguis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas,
Et ſociat myrrhæ paſcua grata nimis.
Protinus in ſtrato corpus mutabile nido,
Vitaliq;toro, membra quieta locat.
Ore dehinc ſuccos membris circumq;ſupraq;
Iniicit, exſequiis immoritura ſuis.
Tunc inter uarios animam commendat odores,
Depoſiti tanti, nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum,
Eſtuat, & flammas parturit ipſe calor
Aerioq;procul de lumine concipit ignem,
Flagrat, & ambuſtum ſoluitur in cinerem.
Hos uelut in maſſam cineres in morte coactos,
Conflat, & effectum ſeminis inſtar habet.

Hinc animal primum ſine mẽbris fertur oriri,
Sed fertur uermis lacteus eſſe color.
Creuit in immenſum ſubito, cum tempore certo
Seq; oui teretis colligit in ſpeciem.
Inde reformatur, qualis fuit ante figura,
Et Phœnix ruptis pullulat exuuijs,
Ac uelut agreſtes, quum filo ad ſaxa tenentur
Mutari pennæ papilione ſolent.
Non illi cibus eſt noſtro conceſſus in orbe,
Nec cuiquam implumẽ paſcere cura ſubeſt.
Ambroſios libat cæleſti nectare rores,
Stellifero teneri qui cecidere polo.
Hos legit, his medijs alitur in odoribus ales,
Donec maturam proferat effigiem.
Aſt ubi primæua cœpit florere iuuenta,
Euolat ad primas iam reditura domos.
Ante tamẽ, proprio quidquid de corpore reſtat
Oſſaq; uel cineres, exuuiaſq; ſuas.
Vnguine balſameo, myrrhaq; & thure ſoluto,
Condit, & in formam conglobat ore pio,
Quam pedibus geſtans, contẽdit ſolis ad ortus,
Inq; ara reſidens, ponit in æde ſacra
Mirandam ſeſe preſtat, prebetq; uidenti
Tantus ibi decor eſt, tantus abundat honor.
Principio color eſt qualis ſub ſidere cæli,
Mitia quem croceo punica grana legunt
Qualis ineſt folijs, quæ fert agreſte papauer,
Quum pendens ueſtis ſole rubente polus
Hoc humeri, pectuſq; decens uelamine fulgent,
Hoc caput, hoc ceruix, ſummaq; terga nitent.
Caudaq; porrigitur fuluo diſtincta metallo
In cuius maculis purpura miſta rubet
Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, Iris
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet.

Albi-

Albicat inſignis miſto uiridante ſmaragdo,
Et puro cornu gemmea cuſpis hiat
Ingentes oculos credas geminoſq; hyacinthos
Quorum de medio lucida flamma micat
AEquatur toto capiti radiata corona
Phoebei referens verticis alta decus ,
Crura tegũt ſquamæ, flauo diſtinctę metallo .
Aſt vngues roſeus pingit honore color
Effigies inter Pauonis miſta figuram
Cernitur, & miſtam phaſidis inter auem
Magniciem, terris Arabum quæ gignitur ales
Vix ęquare poteſt, ſeu fera, ſeu ſit auis
Non tamen eſt tarda vt uolucres, quæ corpore magno
Inceſſus pigros per graue pondus habent,
Sed leuis, & velox, regali plena decore,
Talis in aſpectu ſe exhibet vſq hominum
Conuenit AEgyptus tanti ad miracula viſus ,
Et raram volucrem turba ſalutat ouans .
Protinus inſculpũt ſacrato in marmore formã,
Et ſignant titulo, remq; dıemq: nouo .
Contrahit in cætum ſeſe genus omne uolantum,
Nec prędæ memor eſt ulla, nec ulla metus
Alituum ſtipata choro uolat illa per altum ,
Turbaq; proſequitur munere læta pio,
Sed poſtquã puri peruenit ad ætheris auras,
Mox redit iſta, ſuis conditur ille locis.
Hæc fortunatæ ſortis fatiq; uolucris ,
Cui de ſe naſci præſtitit ipſe Deus.
Fœmina uel mas hæc, uel neutrum ſit mage, felix ,
Felix, quę Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus eſt, ſola eſt in morte uoluptas
Vt poſſit naſci, hec appetit ante mori

Ipſa ſibi proles ſuus eſt pater, & ſuus hæres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi
Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt
Æternam uitam mortis adepta bono.

Sic etiam Tertullianus libro de Iudicio Domini capite quinto ait.

Et renouata ſuo uiuit fuligine Phœnix,
Et ſua mox uolucris, mirũ, poſt buſta reſurgit

Idemque Tertullianus libro de reſurrectione carnis cap. 12. inquit. [Si parum vniuerſitas reſurrectionem figurat, ſi nihil tale conditio ſignat, quia ſingula eius, non tam mori, quam deſinere dicantur, nec redanimari, ſed reformari exiſtimentur, accipe pleniſſimum, atq; firmiſſimum huius ſpei ſpecimen, Siquidem animalis eſt res, & vitæ obnoxia, & morti, illum dico alitem Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemetipſum lubenter funerans, renouat, natali fine decedens, atq; ſuccedens iterum Phœnix. Vbi iam nemo, iterum ipſe: quia non iam alius, idem. Quid expreſſius atq; ſignatius in hanc cauſam, aut cui alij rei tale documentum? Deus etiam ſcripturis ſuis. Et florebit enim, inquit, velut Phœnix, ideſt de morte, de funere, vti credas, de ignibus quoq; ſubſtãtiam corporis erigi poſſe. Multis paſſeribus antiſtare nos Dominus pronunciauit, ſi non & phœnicibus, nihil magnum. Sed homines ſemel interibunt, auibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris. Sic etiã Cyrillus Hieroſolymitanus Catheheſi 18. de reſurrectione docet. Hæc & ſcribit Clemens, & aiunt multi; quum ſit vna tan-

tantum auis,& ſola,in terram AEgypti (nam, & Arabia AEgypto vicina eſt)in ſpatio quingentorum annorum venire ſolet, atq;demonſtrare reſurrectionem,non in locis deſertis, ne myſterium id ignoretur, ſed in aperta Ciuitate,vt contrectetur,quod non creditur. Sepulchrũ enim ſibi facit è thure,& myrrha, cæteriſque aromatibus, & completis annis, eo deuenit Moritur aperte,& putreſcit, deinde ex putrefacta carne mortui,vermis quidam generatur, et hic deinceps in auem formatur. Sic Ambr. enarrando pſalmũ 114. ad illa verba *Clamaui in toto corde meo exaudi me Domine,ait.* Phœnix coitus corporeos ignorat,libidinis neſcit illecebras,ſed de ſuo ipſa ſurgit rogo,ſibi auis ſuperſtes ipſa, ac ſui hæres, corporis, & cineris ſui fœtus. Et idem Ambroſ.lib..5 Hexameronis cap.23.inquit. Phœnix auis in locis Arabiæ perhibetur degere, atq;ea vſq;ad annos quingentos longæuitate procedere,quæ quum ſibi finem vitæ adeſſe aduerterit,facit ſibi thecam de thure,& myrrha, & cæteris odoribus, in quam,impleto vitæ ſuæ tempore,intrat, & moritur, De cuius humore carnis, vermis exurgit,paulatimq; adoleſcit, ac proceſſu ſtatuti temporis,induit alarum remigia, atq;inſuperioris auis ſpeciem formamq; reparatur. Plinius quoq;lib.10 cap.2.ait. Ethiopes,atq; Indi diſcolores maxime, & inenarrabiles ferũt aues, & ante omnes nobilem Arabia Phœnicem,haud ſcio an fabuloſè, vnum in toto orbe, nec viſum magnopere, Aquila narratur magnitudine, auri fulgore circa colla,cætera purpureus, cæruleam roſeis caudam pennis

di-

diſtinguentibus, criſtis faciem caputq; pileo apice cohoneſtante. Primus, atq, diligentiſſimus togatorum de eo prodidit Manilius, Senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo nemine exiſtente qui viderit, veſcentem Sacrum in Arabia ſoli eſſe: viuere annis 660. ſeneſcentem caſiam thuriſq; ſurculis cõſtruere nidum, replere odoribus, & ſuperemori. Ex oſſibus deinde è medullis eius naſci primum ceu vermiculum, inde fieri pullum. Principioquè iuſta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in ſolis vrbem, & in ara ibi deponere. Cum huius alitis vita magni conuerſionem anni fieri prodit idem Manilius, iterumq; ſignificationes tempeſtatũ, & ſiderum eaſdem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum Arietis Sol intrauerit. Et fuiſſe eius conuerſionis annum prodente ſe P. Licinio M. Cornel. Coſſ. CCXV. Cornelius Valerianus phœnicem deuolauiſſe in AEgyptum tradit, Q. Plautio Sex Papinio Coſſ. Allatus eſt, & in vrbem, Claudij Principis cenſura, anno vrbis 800. & in comitio propoſitus, quod actis teſtatum eſt, ſed quem falſum eſſe nemo dubitaret. Et idem Plinius lib. 11. cap. 37. Caput habent cuncta, quæ ſanguinem: in capite paucis animalium, nec niſi volucribus, apices, diuerſi quidem generis; phœnici plumarum ſerie, medio eo exeunte alio. Et lib. 13. cap. 4. vbi de palma loquitur, quæ Græcè φοῖνιξ appellatur, vnde æquiuocatio, ita vt illud Pſal. 91. δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει quod vulgata vertit, *Iuſtus ut palma florebit*, alij interpretentur, *ut phœnix*, ait. *In meridiano*

no orbe pręcipuam obtinent nobilitatem ſyagri, proximamq; margarides: cæ breues, candidæ, rotundæ, acinis quam balanis ſimiliores, quare, & nomen à margaritis accepere. Vna earum arbor in Chora eſſe traditur, una, & ſyagrorum: mirūq; de ea accepimus cum phœnice aue, quę putatur ex huius palmę argumento nomen accepiſſe, emori, ac renaſci ex ſeipſa: eratq; quum hæc proderem, fertilis, Sic Clemens lib. 5. Conſt. Apoſt. cap. 8. [Aiunt auem quamdam eſſe ſoligenam, vberē præbentem reſurrectionis demonſtrationem, quam dicunt comparem, non habere, ſolamq; in mundo reperiri: phœnicem appellant, narrantq; eam poſt quincenteſimum annum in AEgyptum aduolantem, ſecumq; copiam cinnamomi, Caſſię Xylobalſami adducentem, in loco qui dicitur Solis ara, conſiſtere, ibiq; cōuerſam ad aſpectum ſolis, ei, vt aiunt, ſupplicem; ſponte conflagrare, redigiq; in puluerem. Ex cineribus autem vermem exiſtere, eumq; concalefactum in nouum Phœnicem formari alitemq; factum, in Arabiam, quæ eſt vltra AEgyptiacum ſaltum aduolare.] Exiſtimant tamen philoſophorum non pauci. fabuloſam eſſe hanc de phoenice narrationem, quia quū, iuxta omnium confeſſionem, ſit animal perfectum, ex putri, nempe ex cineribus, & abſq; ſemine naſci nō potuit. Vtcumq; ſit, ſaltem pauci eiuſdem ſpeciei inueniuntur, & ita merito pro ſymbolo rei ſingularis accipitur.

CORNEA. Cornuum deriuatur à cornu Cornua autem à natura tributa ſunt quibuſdam animalium, vt bubus, arietibus, rhinocerotis, vice armorum: vt vngues Leonibus, Vrſis,

ſis,& dentes apris,ac Canibus. Quorum omnium,dentium,vnguium, & cornuum materia dura eſt,& oſſea: & quamuis creſcere videantur more viuentium, iuxta melius nihilominus philoſophantes,nec vegetatiua ànima sūt prædita,ſed eorum augumentum,eſt,more mineralium,vel ignis,quæ creſcunt,ſed non more viuentium, per intus ſuſceptionem alimenti; Sed ſolùm per materiæ iuxta poſitionem. Verum vtcumq;ſit de anima vegetatiua, certe ſenſitiua ſunt deſtituta: Vnde quod hic ait. *Mihi non eſt fibra cornea*,tantumdem eſt,quantum ſi dixiſſet,non ſum inſenſibilis, vt laudibus non delecter.

EVGE interiectio eſt gratulantis,laudantis, adulantis,monentis,& aſſentientis: Sic Plautus Epidico Actu 1.Scena 1.

Eugepe.

Corpulentior mihi videre,atq;habitior.

Et Moſtellaria Actu 1.ſc.3.

Lepide dictum de atramento atq; ebore, euge, plaudo Scaphæ.

Et idem Milite glorioſo Actu 2.ſc.2.

Euge,ἐυσχημόνως, hercle aſtitit, & dulce,& comœdicè.

Et eadem Scena 2.

Euge,euge,lepide,laudo commentum tuum.

Et idem Plautus Captiuis Actu 4.ſcena 2.

Euge,edictiones ædilitias hic quidem habet.

Et ita Euge hic interiectio eſt gratulantis.

BELLE aduerbium eſt ab adiectiuo bellus: hoc autem idem eſt,ac bonus,vnde Varro. *Ita tum ets bellum geras,vt bella omnia domum auferas*;bella omnia,ideſt bona omnia. Sic Dola-

bella

bella Ciceroni familiarium lib. 9. Epiſt. 9. *Si vales, gaudeo, & ipſe valeo, & Tullia noſtra recte ualet, Terentia minus belle habuit, ſed certam ſcio iam connaluiſſe*. Et idem Cicero famil. lib. 15. epiſt. 14. *Quomodocumq; nunc res ſe habent, modo vt hæc loca nobis tenere liceat, belliſſime, uel mecum, vel in noſtris prædijs eſſe poteritis*. Bellum ergo ponitur, pro bono alliciente, ad ſui amorem, & deſiderium: bonum enim eſt, quod omnia appetunt. Et quia pulchrum etiã affectum conciliat, & concupiſcentiam, inde belli nomine intelligitur, etiam pulchrum, elegans, conueniens, & quodcumq; bonum. Et hoc modo adulabantur dicendo: Belle.

BELLE hoc excute totum. Excutere componitur, ex verbo quatio, & prepoſitione, ex. & ſignificat, quatiendo deijcere, proſternere, & diuentilare. Sed frequenter ſumitur pro explorare, maxime apud Iuriſconſultos, aſſerentes fideiuſſorem non eſſe moleſtandum, quouſque debitor ſit excuſſus. Vnde Vlpianus in L. Si mandauero ff. Mandati, inquit. *Si tibi mandauero, ut vires excuteres hæreditatis*. Sic Seneca Epiſtola 87. *Habet domum formoſam, ſed alienis nummis paratam: familiam, nemo cito ſpecioſiorem producet, ſed nominibus non reſpondet: ſi creditoribus ſoluerit, nihil illi ſupererit. Idem in reliquis quoq; facere debebatis, excutere quãtum proprij quiſq; habeat*. Verum hic excutere eſt, quatiendo deijcere, vt etiam apud Plautum Aulularia. Actu 4. Scena 4. *Agedum excutendis pallium*. Et Suetonius in Claudio cap. 34. *Neq; ægrum quemquam uiſitauit, niſi explorato prius cubiculo, culcitriſq; & ſtragulis prætentatis, & excuſ-*

excuſſis.Et eſt tractum à veſtibus, quæ quum excutiuntur,prodünt,quidquid in eij latebat, ad minimum vſque puluerem: & ita vult nunc dicere:Introſpice hoc belle,quid contineat iriſionis,& ineptiarum.

NON hic eſt Ilias Acci ebria ueratro, non ſi qua elegidia crudi dictarunt proceres,non quidquid denique lectis ſcribitur in citreis. Accios duos fuiſſe nouimus, vnum quidem celeberrimum Tragœdiarum ſcriptorem, de quo infra redibit ſermo ad illa verba verſus 76.*Eſt nunc Bryſæi, quem uenoſus liber Acci.* Alium vero Acciam,ſiue Actium Labeonem, de quo diximus[ad]illa verba verſus 4.*Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonē prætulerint.* Quamuis autem quidam,quos ſuppreſſo nomine citat Bartholomeus Fontius, interpretentur hunc locū de Accio ſcriptore Tragœdiarum, hallucinati tamen ſunt,& erroris cauſa fuit, quia Accius Labeo obſcurus omnino fuit, ille vero alius, poeta nominatiſſimus. Sed Perſius,contemnédo,illius meminit. Tragœdus autem,Troica numquam attigit,vt dici potuerit de eo:non eſt hic eſt Ilias Acci,bene vero Labeo,qui Homeri Iliadem,non de phraſi in phraſim, ſed de verbo tranſtulit in verbum, tanta ineptitudine,vt quamuis,ad eum finem, helleborum non ſemel ſumpſerit,nec ipſemet intelligeret, quæ ſcripſerat:ideoq; nullum habebat lectorem, niſi Neronem.

EBRIA ueratro, Ilias Accij Labeonis, denominata eſt ebria veratro, per metonymiam adiuncti,nempe operis pro ſubiecto, & authore.Non enim Ilias ſeu poema de rebus Ilienſibus,

bus,poterat videri ebria:bene vero ipſe inſul-ſiſſimus poeta Accius, qui multoties,ad ingenium acuendum veratrum ſumpſerat, Carneadem fortaſſe imitatus, de quo Gellius lib. 17.cap.15.*ait.* [Carneades Academicus,ſcripturus aduerſum Stoici Zenonis libros, ſuperiora corporis helleboro candido purgauit, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus, ad domicilia vſq;animi redundaret,& conſtantiã vigoremq;mentis labefaceret. Tanta cura,tãtoq;apparatu, vir ingenio præſtanti, ad refellenda,quæ ſcripſerat Zeno aggreſſus. Id quũ in hiſtoria Græca legiſſem, quod de helleboro candido ſcriptum erat,quid eſſet,quæſiui. Tũ comperi duas ſpecies hellebori eſſe, diſcerniculo coloris inſignes,candidi,& nigri. Eos autem colores non in ſemine hellebori,neq;in virgultis,ſed radice dignoſci.Candido,ſtomachum,& ventrem ſuperiorem, vomitionibus purgari: nigro aluum,quæ inferior vocatur, dilui.Vtriuſq;eſſe hanc vim, vt humores noxios,in quibus cauſæ morborum ſunt, extrahant. Eſſe autem periculum, ne inter cauſas morborum, omni corporum via patefacta, ea quoq;ipſa,in quibus cauſa viuendi eſt, exinaniantur,amiſſoq;omni naturalis alimoniæ fũdamento,homo exhauſtus,intereat. Sed helleborum ſumi poſſe tutiſſime in inſula Antycira, Plinius Secundus in libris naturalis hiſtoriæ ſcripſit: propterea Liuium Druſum, qui tribunus plebis fuit,quũ morbũ, qui comitialis dicitur,pateretur, Antycirã nauigaſſe, & in ea inſula helleberum bibiſſe ait,atq;ita morbo liberatum. Præterea ſcriptum legimus,Gallos

in

in venatibus tingere hellebero ſagittas, quod iis ictæ exanimatæ feræ, teneriores ad epulas fiant. Sed propter hellebori contagium, vulnera ex ſagittis facta circumcidere latius dicuntur *Plinius etiam lib. 25. cap. 5. inquit.* Melampodis fama, diuinationis artibus nota eſt; ab hoc appellatur vnum hellebori genus, Melãpodion. *Aliqui* paſtorem eodem nomine inueniſſe tradunt, capras purgari, paſto illo, animaduertentem, datoque lacte earum, ſanaſſe Prœtidas furentes, Quamobrem de omnibus eius generibus dici ſimul conuenit. Primò duo ſunt, candidum, ac nigrum: hoc radicibus tantum intelligi tradunt pleriq; *Alij* folia nigri, platani ſimilia, ſed minora, nigrioraq; & pluribus diuiſuris ſciſſa: *Albi* betæ incipientis: hæc quoq; nigriora, & canalium dorſo rubeſcentia. Vtraq; caule palmi ferulaceo, bulborum tunicis cõuoluto, radice fibrata ceparum modo. Nigro equi, boues, ſues, necantur, itaq; cauent id, quum candido veſcantur. Tempeſtiuũ eſſe tradunt meſſibus. Nigrum ex his Melampodion vocant. Nec album facile colligitur caput aggrauans maxime, niſi præſumatur allium, & ſubinde vinum ſorbeatur, celeriterq; fodiatur. Nigrum alij Entomon vocant, alij Polyrrhizon, purgat per inferna: candidum autẽ vomitione, cauſaſq; morborum extrahit, quondam terribile, poſtea tam promiſcuum, vt pleriq; ſtudiorum gratia, ad peruidenda acrius, quæ commentabantur, ſæpius ſumpſitauerint. Carneadem reſponſurum Zenonis libris, Druſum quoq; apud nos tribunorum popularium clariſſimum, cui ante omnes plebs

ſtans

ſtans plauſit, optimates vero bellum Marſicũ imputauere, conſtat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in *Anticyra* inſula: ibi enim tutiſſime ſumitur, quoniam, vt diximus, ſeſamoides admiſcent. Italia veratrum vocat. Farina eorum per ſe, & mixta radicula qua lanas diximus lauari, ſternutamenta facit, amboq; ſomnum Leguntur autem tenuiſſimæ radices, breueſq; ac velut decurtatæ etiam hæ, nam ſumma quę eſt craſſiſſima, cæpis ſimilis, canibus tantum datur purgationis cauſa. Antiqui radicem cortice, quam carnoſiſſimo seligebant, quo tenuior eximeretur medulla; hanc humidis ſpongijs opertam, turgeſcentemq; acu in longitudinem findebant: deinde fila in vmbra ſiccabant, ijs vtentes. Nunc ramulos ipſos ab radice, quam grauiſſimi corticis ita dant. Optimum quod acre guſtu, feruenſq; in frangendo puluerem emittit. Durare vim eius triginta annis ferunt. Nigrum medetur paraliticis, inſanientibus, hydropicis dum citra febrim, podagris veteribus, articularijs morbis. Trahit aluum, & bilem, pituitaſque. Ex aqua datur ad leniter molliendam aluum, plurimũ drachma, modice quatuor obolis Miſcuere aliqui, & ſcamoneam, ſed tutius ſalem. In dulcibus datum copioſius periculum infert; oculorum caliginem fotu diſcutit: ob id quidam, & inunxere trito, ſtrumas, ſuppurata, duritias concoquit, & purgat, item fiſtulas tertia die exemptum. Verrucas tollit, cum ſquamis ęris & Sandaracha. Hydropicorum ventri imponitur, cum farina hordeacea, & vino. Pecorum, & iumentorum pituitas ſanat, ſurculo per aurem traic-

traiecto,& poſtero die eadem hora exempto. Scabiem quadrupedum,cum thure, aut cera ac pice, vel cum piſſelæo Album optimum, quod celerrime mouet ſternutaméta, ſed multum terribilius nigro, precipue, ſi quis apparatum poturorum, apud antiquos legat, contra horrores,ſtrangulatus, intempeſtiuas ſomni vires,ſingultus infinitos,aut ſternutamenta, ſtomachi diſſolutiones,tardiores vomitus, aut longiores,exiguos,aut nimios. Quippe alia dare ſoliti,quæ cócitarent vomitiones,ipſumque elleborum extraherent medicamentis,aut clyſteribus, ſæpè etiam ſanguine venis emiſſo. Iam vero,& quum proſpere cedat,terribili viſu varijs coloribus vomitionum,& poſt vomitiones obſeruatione alui, balinearum diſpenſatione,totius corporis cura,antecedente omnia,hæc magno terrore famæ. Namque tradunt abſumi carnem,ſi coquatur vna. Sed antiquorum vitium erat, quod propter hos metus parcius dabant, quum celerius erumpat, quo largius ſumitur, Themiſon binas,non amplius drachmas datauit:ſequétes,&quaternas dedere claro Herophili preconio, qui elleborum fortiſſimi Ducis ſimilitudini æquabat: concitatis enim intus omnibus, ipſum in primis exire Præterea mirum inuentum eſt,quod inciſum forbiculis,vt diximus cribrant,cortex remanet,hoc inaniunt,medulla cadit, hæc in nimia purgatione data, vomitiones ſiſtit Cauendum eſt felici quoq; cura, ne nubilo die detur,quippe impatibiles cruciatus exiſtunt: Nam eſtate potius,quam hyeme dandum,non eſt in dubio Corpus ſeptem diebus, ante præparan-

parandum cibis acribus, abſtinētia vini, quarto, & tertio die vomitionibus, pridie, cœnæ abſtinentia. Album, & in dulci datur, aptiſſime vero in lacte, aut pulte Nuper inuenere diſſectis raphanis inſerere elleborum, rurſuſque comprimere raphanos, vt tranſeat vis, atq;eo lenimento dare Reddi poſt quatuor fere horas incipit:totum opus ſeptenis peragitur horis Medetur, ita morbis comitialibus. vt diximus, vertigini, melancholicis, inſanientibus, Lymphaticis, elephantiæ albæ, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hydropicis, incipientibuſq;tympanicis, ſtomachicis, ſpaſticis, clinicis, iſchiadicis, quartanis quæ aliter non deſinant, tuſſi veteri, inflammationibus, torminibus redeuntibus. Vetant dari ſenibus, & pueris, item mollis, ac fœminei corporis animiue, exilibus, aut teneris, & fœminis minus, quam viris: item timidis, aut ſi exulcerata ſint præcordia, vel tumeāt, minimeue ſanguinem excreātibus, cauſarijs, vel latere, vel faucibus. Medetur extra corporis eruptionibus pituitæ, cum axungia ſalſa illitum: item ſuppurationi veteri Mures polenta admixtum necat. Galli ſagittas in venatu elleboro tingunt, circumciſoque vulnere teneriorem ſentiri carnem affirmant Muſcæ quoq; necantur albo trito, & cum lacte ſparſo. Eodem & phthiriaſis emēdatur.] Appellatur autem veratrum, ſiue quod mentem ad ſanitatem vertat, ſiue quod atram euertat bilem; Græcè dicitur elleborū, ſiue cum aſpiratione helleborum: dictum eſt etiam Melampodium à quodam Melampode, ſiue medico Amithaonis, & Dorippes filio, qui

eo ad diuinandum ſeſe præparabat, & de quo fabulantur eum auium, brutorumq; voces intellexiſſe. Vel caprarum Paſtore, qui quum aduertiſſet Capras tali herba ſemetipſas purgare, eadem ipſe vſus eſt, ad curandas Proetidas, quatuor, nimirum Abantis neptes, Antias, & Proeti Argiuorum Regis filias, quæ quum forent ſpecioſiſſimæ, Iunoni auſæ fuerunt ſe præponere, quapropter indignata Iuno, talé illis immiſit furoré, vt vaccas ſeſe eſſe arbitrarentur, & iuuencarum more, ad prata confugerent, quod innuit Virgilius dicens Ecloga 6. verſu 48.

Proetides implerunt falſis mugitibus agros. Melampodus autem eas curauit, illarum cerebro per nigrum helleborum purgato, & ſic ſanę menti reſtituit, & in præmium, earum vna, Iphianaſſam nomine, vxorem accepit. Sed tam de infirmis, quam de præmio aliter Herodotus in Calliope, dicit enim. *Melampus quum ab Argijs mercede conduceretur è Pylo ad compeſcendum morbũ furoris mulierum Argiuarum, depoſcebat, pro mercede dimidium regni. Recuſantibus id Argiis atq; digreſſis, quum plures è mulieribus inſanirent, ita obtemperantes, quod Melampus popoſcerat daturi, reuerterunt. Ibi ille cernens hos eſſe immutatos, plura optauit, negans ſe indulturum, quæ vellent, niſi & fratri ſuo Bianti tertiam partem regni donaſſent. Argii in arctum redacti, hoc quoq; annuerunt.* Et quia eo curabantur inſaniẽtes, & furioſi, ideo quos mentis errore eſſe ſignificare volebant, eos elleboro indigere dicebant, & hinc Plautus Menechmis Actu 5. Sc. 5. inquit.

Non

Non poteſt hæc res hellebori iugere obtinerier.
Et infra eadem ſcena.
Helleborum potabis ſaxo aliquot viginti dies.
Et quia ingenium credebatur acuere, ideo Accius eo, ſed fruſtra vſus fuerat, Iliadem Homeri vertens, vt dictum eſt, & de hec intelligit.

ELEGIDION eſt diminutiuum Græcum à voce Elegia. Elegia vero eſt à verbo Græco ἐλέω, miſereor, quia hoc carminis genere potiſſimum ærumnæ, querimoniæ, & res luctuoſæ, atque miſerabiles ſolent decantari, & ita Boetius de conſolatione philoſophiæ, libro 1. carmine 1. ait.

Carmina qui quondam ſtudio florente peregi
Flebiles heu mæſtus cogor inire modos
Ecce mihi laceræ dictant ſcribenda Camœnæ,
Et veris elegi fletibus ora rigant.

Sic dum deflet mortem Tibulli, ait Ouidius libro 3. Amorum elegia 9.

Memnona ſi mater, mater plorauit Achillem,
Et tangunt magnas triſtia fata Deas
Flebilis indignos elegeia ſolue capillos
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen ineſt.

Sic Horatius miſerabiles cognominat Elegos, dicens lib. 1. Carminum ode 33.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ, neu miſerabiles
Decantes Elegos.

Et idem Horatius ad Piſones inquit.

Res geſtæ, Regumq; Ducumq; & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, mõſtrauit Homerus.
Verſibus impariter iũctis querimonia primũ,
Poſt etiam incluſa eſt votis ſententia compos.

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor
Grāmatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.
Appellat autem Elegidia ſatyricè, & inuidioſè: proceres enim ob minimam elegiam, & quæ forte elegiæ magnitudinem non haberet (nam ſi poeta ex verſibus impariter iunctis, nempe hexametris, & pentametris, intra denarium numerum ſe contineat, non elegia eſt, ſed epigramma) laudes captabant, tanquam poetæ omnibus numeris abſoluti, & ad gloriam conſequendam, cœnas apparabant, veſteſq; & munera daban. Suam vero ſatyram, aſſerit nō eſſe huiuſmodi poematibus ſimilem.

CRVDI. Crudum dicitur, quod non eſt coctū, vnde carnes, piſces, & huiuſmodi non aſſa, frixa, vel elixa, crūda dicuntur. Cruda etiam, vel immitia dicuntur poma, quæ ad maturitatem non peruenerunt: ſic Cicero in Catone, *Ineunte vere, in iis quæ relicta ſunt, exiſtit tamquam ad articulos ſarmentorum, ea quæ gemma dicitur, à qua oriens vua ſeſe oſtendit, quæ & ſucco terræ, & calore Solis augeſcens, primo eſt peracerba guſtu, deinde maturata, dulceſcit.* Et infra. *Quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auelluntur, ſi matura, & cocta, decidunt: ſic, vitam, adoleſcētibus vis aufert, ſenibus maturitas.* Iuxta quam acceptionem illa opera metaphorice dicentur cruda, quæ perfectionem ſuæ naturæ proportionatam non ſunt aſſecuta. Et quia, elegiæ, ſiue poemata à proceribus dictata, vt profecta à ſecuris, vel negligentibus, rerū, ſententiarumq; pondere & grauitate deſtituta, ſuam non habebant perfectionem, cruda, vel immatura dici potuerunt. Niſi dicere

re malimus, cibos qui ſtomachi & ventriculi calore non ſunt cocti, & in chirum mutati, crudos dici. Hinc Iuuenalis ſatyr. 1. ve ſu140.

Quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?
Turgidus, et crudum pauonē in balnea portas:
Pœna tamen preſens, quū tu deponis amictus
Hinc ſubitæ mortes, atq; inteſtata ſenectus.

Et Cicero loquens de morte Balbutij a t pro Cecina: *Dico, illum, quum ad illud prandium crudior veniſſet, &, vt ætas illa fert, ſibi tum non peperciſſet, aliquot dies ægrotaſſe, & ita eſſe mortuum*, iuxta quam etiam ſentētiam inquit Martialis, libro 3. epigrammate 13.

Dū non vis piſces, dum non vis ca pere pullos,
Et plus quam patri Neuia parcis apro.
Accuſas, rumpiſq; coquū, tamquā omnia cruda
Attulerit, numquam ſic ego crudus ero.

Et ita proceres crudi illi dict. erunt, qui non concoctis cibis heſternis, alios abſumunt, & dictata à crudis proceribus, erunt compoſitiones, quæ ſcribi mandantur à temulentis principibus, inter ipſos cal ces, quæ ab adulatoribus, & compotoribus, per dona corruptis, ad aſtra vſque efferebantur.

DICTARVNT. Frequentatiuum eſt à verbo dico: à primitiui tamen ſignificatione nonnihil recedit. Nam dictare eſt, ita aliquid tractim pronunciare, vt illud alius calamo poſſit exc pere. Hinc Seneca Epiſtola 40. ait: *Rectè facies ſi non videris iſtos, qui quantum dicant, non, quemadmodum, quærunt: & ipſe malueris al. quando, ſi neceſſe eſt, vel iuxta P. Vinacium dicere, qui quum quæreretur quomodo*

diceret Aſellius, ait: Tractim. Nam Geminius Varius ait: Quomodo iſtum diſertum dicatis, neſcio, qui tria verba non poteſt iungere. Quidni maliſne ſic dicere quomodo Vinicius? Aliquis tamen inſulſus interuenerit, quam qui illi ſingula verba vellenti, tamquam dictaret, non diceret, ait, Dic, vel numquam dicas. Dictare ergo nunc eſt, ita verba enunciare, vt alius ea, calamo ſcribere poſſit.

PROCERES propriè ſunt mutuli, ideſt lapides, vel capita trabium, è parietibus extantium, forma quidem quadrangulari, niſi quod ex parte inferiori ſunt nonnihil imminuti. Et quia populi principes, ſiue magnates in Ciuitatibus, id ſunt in Rebuſpub. quod mutuli in parietibus, & ædificijs, inde principes, proceres dicuntur. Sic Virg. 1. Æneid. verſu 740.

Primaque libato ſummotenus attigit ore
Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro
Poſt alij proceres.

Sic eiuſdem operis libro 3. verſu 57. dicitur.

Poſtquam pauor oſſa reliquit
Delectos populi ad proceres, primumq; parentē
Monſtra Deū refero, et quæ ſit ſententia poſco.

Sic Liuius lib. 1. ab Vrbe Condita cap. 45. *Quum conſenſum, Deoſque conſociatos laudaret mire Seruius inter proceres Latinorum, cū quibus publicè, priuatimq; hoſpitia, amicitiaſq; de induſtria iunxerat, ſæpè iterando eadem, pertulit tādem, ut Romæ phanū Dianæ, populi Latini cum populo Romano facerent.* Et ita nunc intelligitur.

LE-

LECTVS ita dictus vel à legendo, ſiue colligẽdo, nam priſci collectis herbis, frondibus, aut ſtramentis, cubilia ſibi, grabata & puluinaria faciebant: vel ab alliciendo, quia diurno labore feſſos, & fatigatos, ad qu eſcendum allicit. Et erat triplex, decumbitorius ſcilicet, diſcubitorius, & lucubratorius. In primum deponebantur laſſa membra, aut infirma, vel quum ſonni quies erat capienda, & de eo intelligit Plautus prologo Caſinæ.

Eſt ei quidam ſeruus, qui in morbo cubat,
Immo hercle vero in lecto, ne quid mentiar.

Et idem Aſinaria Actu 1. ſcena 3.

Non tu ſcis? hic noſter queſtus aucupij ſimillimum 'ſt.
Auceps quãdo concinnauit areã, offundit cibũ,
Aues aſſueſcunt, neceſſe eſt facere ſumptum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt, ſemel ſi ſunt captæ, rem ſoluunt aucupi.
Itidem hic apud nos: ędes nobis area eſt, auceps ſum ego
Eſca eſt meretrix, lectus illix eſt, amatores aues.

Et Bacchidibus Actu 1. ſcena 1.

Quid eſt, quod metuis, ne tibi lectus malitiam apud me ſuadeat
Magis illectum tuum, quam lectum metuo.

Et Pſeudulo Actu 1. ſcena 2.

Tu autem Xyſtilis
Fac vt animum aduortas, quoius amatores domi oliuinam habent
Maxumam, ſi mihi non iam huc culleus olini non deportabitur,

Te ego ipſam culleo cras faciam deportare in pergulam.
Ibi tibi adeo lectus dabitur, vbi tu haud capias ſonnum,
Sed vbi languorem ad vſque.

Et ſimul de lecto tam diſcubitorio, quam decumbitorio loquuntur Amphitruo, & Alcmena apud eumdem, Amphitruone Act. 2. ſc. 2 Alcmena. *Lauiſti*, Amphitruo. *Quid poſtquam laui.* Alcmena. *Accubuiſti.* Soſia. *Euge optime. Nunc exquire.* Amphitruo. *Ne interpella: perge porro dicere.* Alcmena *Cœna appoſita 'ſt, cœnaniſti mecum, ego accubui ſimul.* Amphitruo. *In eodem lecto?* Alcmena. *In eodem.* Soſia *Hei non placet conuiuium.* Amphitruo *Sine modo argumenta dicat: quid poſtquam cœnauimus.* Alcmena *Te dormitare aiebas; menſa ablata 'ſt, cubitum hinc abimus* Amphitruo *Vbi tu cubuiſti.* Alcmena. *In eodem tecum lecto vna in cubiculo.* Lectus denique lucubratorius, tabula erat illita cera, quam, vna cum ſtylo, quieſcentes ſecum habere ſolebant, vt ſi euigilantibus, in mentem quid veniſſet, notare poſſent, nec ingenij vis deperiret. Et de his lectis lucubratorijs quidam hunc locum interpretatur: quamuis non negem poſſe etiam intelligi de diſcubitorijs, quando proceres ſemiebrij, inter calices, & epulas, compotando, commentabantur, vt colligimus ex Horatio lib. 2. Epiſtola 1. dicente:

Mutauit mentem populus leuis, & calet vno
Scribendi ſtudio, pueri patreſque ſeueri
Frōde comas vincti, cœnāt, & carmina dictāt.

Sed iacentes in lectis diſcubitorijs, parietibus in-

inſcribere poterant, vnde idem Horatius 2. ſerm. ſat. 3.

Dic aliquid dignũ promiſſis incide, nihil eſt!
Culpantur fruſtra calami, immeritusq; laborat
Iratis natus paries Dijs, atque poetis.

Cubiculi namque parietes incerabantur, vt ſi quid memoria dignum excogitaſſent, ipſis, ſtylo inſculpere poſſent.

CITREIS nempe è ligno citro. Eſt autem citrum duplex, vnum quidem quod & malum, ſiue pomum citreum appellatur: & eſt arbor toto anno nedum virens, ſed & pomifera, nam dum pomorum quædam matureſcunt, alia colliguntur, & alia ſubnaſcuntur. Folia habet lauro ſimilia, ſpinis tamen quodammodo aſſociata. Ipſius fructus eſt ad inſtar cucurbitarum, aurei tamen ſiue ſulphurei coloris, quum iam maturuit, eiuſque dotes præcipuæ ſunt, oris emendare graueolentiam, veſteſq; à tineis illæſas conſeruare. De hoc inquit Athenæus lib. 3. cap. 5. [Magna incidit dubitatio inter Dipnoſophiſtas de malo citrio, numquid aliqua eius mentio apud antiquos facta eſſe reperiretur. Myrtilus igitur quaſi ad Agreſtes Capreas, nos quæritantes mittens, Hegeſandrum inquit Delphum, mentionem huius dictionis in ſuis Commentarijs feciſſe, nunc tamen ſe verborum non recordari. Ad quem reſpondens Plutarchus, ego declarabo, inquit, nihil prorſus ab Hegeſandro de hac re dictum fuiſſe, nam hac præcipuè cauſa commotus, omnia eius volumina diligenter perlegi. Alius prætereà ſociorum hoc ita ſe habere ſtatim affirmauit, commentariolis

 qui-

quibuſdā concitatu, viri non obſcuri: quare aliud teſtimonium tibi, amice Myrtile, quærendum putes. Æmilianus: doctiſſimum ait Iubam Mauritaniæ Regem, meminiſſe de citrio in ſuis de Libya commentationibus, quod pomum apud eos, malum Heſpericum dicit nominari, à quibus fama eſt Herculem, aurea mala (ſic ex colore nominata) in Græciam, poſtea detuliſſe. Scriptum apud Aſclepiadem libro 60. rerum Ægyptiarum reperitur, terram in Iouis, & Iunonis nuptias, malum illud emiſiſſe. Hos reſpiciens igitur Democritus; Si hæc inquit ſcripſit Iuba, valeat cum ſuis libris Libycis, & Anonis erroribus, Ego profecto nomen hoc citrij apud antiquos poſitum non fuiſſe affirmo: id tamen quod Theophraſtus Ereſius in hiſtorijs plantarum ſcripſit, coegit me, vt de malo citrio dictum intelligerē: inquit enim philoſophus libro 4. Regio Media, & Perſia alia habent complura, & malum quod Perſicum, vel Medium appellatur. Habet arbor huiuſmodi folium ſimile, & par fere portulacę, nucis, & folio lauri: ſpinas quales pyrus, aut oxycantha, eaſque leues, admodum duras, & acutas. Malum non comeditur, quod & ipſum, cum folijs ipſius arboris, eſt odoriferum. Si malum hoc inter veſtes ſeruetur, eas cuſtodit illæſas. Confert idem quum pharmacum quiſpiam lethiferum ſumpſerit, nam ſi in vino detur, ventrem interpellat, pharmacumque expellit, & bonum in os odorem confert. Si quis in iure, vel alio quouis, mali interiora lixauerit, atque in os expreſſerit, & ſorbillet, ſuauis efficietur

ei

ei odor. Huius arboris ſemen ex malo exemptum, ſtudioſè cultũ, in areolas Vere ſeritur, poſtea quarto, vel quinto quoque die irrigatur, quod quum fuerit adultum, Vere rurſum in locum mollem, & riguum, non tamen nimis tenuem, transplantatur. Omnibus temporibus poma producit, & alia pariter auferuntur, alia florent, alia cadunt. Quicunque flores, quaſi colum quandam habent in medio, fertiles eſſe putantur: at qui minime habent, inutiles ſunt prorſus ad generandum * His ego, amici, tot rationibus commotus, quas de colore, odore ſaporeq; & folijs adduxit Theophraſtus, eam arborem facile eſſe crediderim, quæ citrium producit. Neque quiſpiam ſanè veſtrum debet admirari, quod malum non comedi dixit, quãdoquidem nullus, vſq; ad auos noſtros, citrium guſtauit, ſed, velut pretioſum quidpiam, inter veſtes, in ciſtis deponi conſueuerant ** Accedit noſtræ huic ſententiæ Phœniæ Ereſij opinio, qui cedrium nequaquam à cedro nominari aſſerit: cedrum enim, inquit, libr. 5. Plantarum, ſpinas habere circa folia, quod etiam accidere circa citrium manifeſtum eſt omnibus. Accepi à ciue meo, cui Ægypti principatus creditus fuit, citrium & ſicco, & humido nutrimento contrarium eſſe pharmacum, atque etiam per Deos venenis aduerſari. Hic quoſdam ſceleſtos viros, ferarum cibum eſſe damnauerat, quia per facinora multa ita meruerant, atque hos omnibus feris proijcere decreuerat. Prædonibus igitur in paratum theatrum ingreſſuris, caupona quædam mulier, oleum quod præ manibus habebat, in

via tradidit, quæ prius citrium comederat. Hi poſtea horrendis, crudeliſſimiſque animalibus proiecti, & ab aſpidibus percuſſi, nihil deniq; paſſi ſunt, Dubius fuit dudum ſane Princeps, atque militem eorum cuſtodem, ſi quid vel ediſſent, vel bibiſſent interrogauit: vt vero, citrium illis traditum eodem die fuiſſe cognouit, huic citrium poſtero die dari, illi autem nequaquam iuſſit: is demum qui citrium prius comederat, nihil rurſus paſſus eſt: at ille, morſus, ſtatim interijt. Hoc quum multis in rebus expertum eſſet, inuentum eſt denique citrium omnibus venenis aduerſarium eſſe pharmacum. Si quis totum citrium, velut ſe habet ex ipſa natura, in melle Attico cum ſemine coquat, in melle ſoluetur: quod ſi quis ex eo mane, ad duos, vel tres digitos ſumpſerit, nil prorſus à venenis patietur. Si quiſpiam vero minus fortaſſe noſtris ſermonibus credendum arbitratur, diſcat hoc à Theopompo Chio, viro veri maxime ſtudioſo, qui etiam multa nummum millia in diligentem hiſtoriæ inquiſitionem impendit, hic igitur libro 38. hiſtoriarum, vbi de Clearcho Heracleota Pontico Tyranno agit, qui multos violenter interemit, multiſque cicutam bibendam præbuit, poſtea quam omnes, inquit, pharmaci huius potum cognouerunt, nullus prius domo exibat, quam rutam comediſſet, quam ſi prius quis comedat, nihil omnino pati ab aconito dicũt.] De citrio Virg. 2. Georg. verſ. 126.

Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius vllum
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,

Mi-

Miſcueruntque herbas,& non innoxia verba,
Auxiliū venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro,
Et, ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labantia ventis
Flos apprime tenax; animas, & olentia Medi
Ora fouent illo,& ſenibus medicātur anhelis.
Aliud citrum in Lybia, Mauritania,& Monte Atlante naſcens,arbor eſt magna, ſilueſtri cupreſſo ſimilis tam caudice, quam folijs, gratum etiam effundens odorem. Et de hoc ligno fiebant menſæ cedrinæ,ſiue citreæ appellatæ: quarū præcipua dos erat ex venis lignum intercurrentibus:quę ſi rectè procederent,menſæ Tigrinę dicebantur,ſin interrumperentur, appellabantur Pantherinæ. Venæ illæ nonnunquam pauonis caudam,aut cœlum repræſentabant ſtellatum, vel mare vndoſum, ſiue pratum floribus ornatum: ex quo tanti menſæ iſtæ fiebant, vt ſingulæ fundi taxatione permutarentur. Hinc Plinius lib.13. cap.15. [Atlas mons peculiari proditur ſilua, de qua diximus. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri,& menſarum inſania,quas fœminæ viris contra margaritas regerunt. Extat hodie M.Ciceronis in illa paupertate,&,quod magis mirum eſt, illo æuo empta H.S. decem Memoratur,& Galli Aſinij H.S.vndecim. Venūdatæ ſunt,& duæ,Iuba Rege vendēte,quarum alteri pretium fuit H.S. quindecim, alteri paulo minus. Interijt nuper incendio,à Cethegis deſcendens,H.S.quatuordecim permutata,latifundij taxatione, ſi quis prædia tanti mercari malit. Magnitudo ampliſſima ad-

huc fuit vnius,commiſſę,& orbibus dimidiatis duobus, à Rege Mauritaniæ Ptolomeo, quatuor pedum,& ſemipedis per medium ambitum,craſſitudine quadrantali : maiuſq; miraculum in ea artis,latente iunctura, quam potuiſſet eſſe natura ſolidę. Item à Nomio Tiberij CęſarisLiberto cognomen trahentis,tribus ſicilicis infra quatuor pedes, totidemque infra ſemipedem craſſitudinis. Qua in re non omittendum videtur, Tiberio Principi menſam quatuor pedes ſextante, & ſicilico excedentem, tota vero craſſitudine ſexcunciali operimento laminæ veſtitam fuiſſe,quum tam opima Nomio Liberto eius eſſet, cuius materia erat tuber, hoc eſt radicis vitium, maximeque in eo laudatum, quod ſub terra totum fuerit, & rarius, quam ſuperne, quæque gignuntur etiam in ramis. Proprieq; quod tanti emitur, arboris vitium eſt, quarum amplitudo, ac radices æſtimari poſſunt ex orbibus. Sunt autem cupreſſo fœminæ, etiamnum ſilueſtri,ſimiles,folio,odore, caudice. Anchorarius mons vocatur citerioris Mauritaniæ, qui lautiſſimam dedit cedrum, iam exhauſtus. Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in vertice varijs. Illud oblongo euenit diſcurſu, ideoque Tigrinæ appellantur: hoc,intorto, & ideo tales, Pantherinæ vocantur. Sunt & vndatim criſpæ, maiore gratia ſi pauonum caudæ oculos imitentur, magna vero poſt has gratia extra prædictas criſpis denſa, veluti grani congerie,quas ob id à ſimilitudine apiatas vocant, ſumma vero omnium in colore: hic maxime multi placet,ſuis refulgens venis.

Poſt

Poſt hæc amplitudo eſt iam totius caudicis: Iuuant plura quoque in vna menſa vitia. Lignum ita vocatur materia ſurda, & indigeſta ſimplicitas, aut platani foliorum modo digeſta: item ilignæ venæ ſimilitudo, vel coloris: & quibus maxime obnoxia fecere æſtus ventiq; rimæ, aut capillamenta rimas imitata. Poſtea murena nigro tranſcurrens limite, varijſque corticum punctis apprehenſus papauerum modo, & in totum atro propior color, maculęue diſcolores. Virides terra condunt barbari, & illinunt cera. Artifices vero frumenti aceruis imponunt ſeptenis diebus, totidem intermiſſis: mirumque ponderi quantum ita detrahant, Naufragia docuere nuper, hanc quoque materiam ſiccatam, mari duritie incorruptam ſpiſſari, non vllo modo vehemĕtius. Nutriuntur optime, ſplendeſcuntque manu ſicca fricatæ à balineis maximè, nec à vinis læduntur, vt his genitæ. Inter pauca nitidioris vitæ inſtrumenta, hæc arbor eſt.] Erant ergo citreæ menſæ pretioſiſſimæ, ſed vilibus quoque delicatæ apponi poterant dapes. Hinc Martial. lib.14. epigr.88.

Non ſum criſpa quidem, nec ſiluæ filia Maurę,
Sed norunt lautas, & mea ligna dapes.

Iſtæ tamen citreæ etiam contra aurum erant pretioſiores Hinc Martial lib.14. epig.87.

Accipe felices Atlantica munera, ſiluas,
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Eaſque in pretioſa ſuppellectili ponit idem Martialis lib.12. epigr.66.

Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti,
Et Mauriſiaci pondera rara citri.

Acce-

Accedebat materiæ tanti valoris, etiam artis induſtria, maxime quum menſæ conſtabant orbibus dimidiatis, quando rimæ omnes, & commiſſuræ, vel nullatenus apparebant, vel ebore explebantur. Immo vero curabant menſas iſtas, eboris fulciri pedibus, quod & Martialis refert dicens lib. 2. epigrammate 43.

Tu Lybicos Indis ſuſpendis dentibus orbes.

Et Lucanus lib. 10. Pharſaliæ verſu 144.

Dentibus hic niueis, ſectos Atlantide ſilua
Impoſuere orbes, quales ad Cæſaris ora,
Nec capto venere Iuba.

Et Iuuen. ſatyra 11. verſu 121.

Nil rhombus, nil dama ſapit, putere uidentur
Vnguenta atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Quibus verbis ſignificatur, recitantemnunc deſcriptum, fuiſſe de primoribus: & ſufficiens adeſt fundamentum opinandi, deſcriptum fuiſse Neronem.

CALIDVM ſcis ponere ſumen. Laudum ex recitatione captatores, ſuis auditoribus lautas apparabant cœnas, eiſq; veſtes, & munera dabant: idque Encolpo obijcit Aſciltos apud Petronium in Satyrico dicens: *Multo me turpior es tu, Hercule, qui, vt foris cœnares, poetam laudaſti.* Et Agamemnon apud eumdem Petronium, ait: *Adulatores quum cœnas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratiſſimum auditoribus fore, nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint.* Diuites ergo non modicis cœnarum impenſis, corrogatis amicis, adu-

adulatoribus, & paraſitis, ſua eis recitabant poemata, vt ab illis laudarentur. Immo ex Philoſtrato refertur, fuiſſe fœneratorem, e s qui à ſe mutuari volebant,ea cōditione credere, quatenus ad ſe recitantem accedere tenerentur: pœna adiecta ſi deeſſent, vt duplam ſoluerent vſuram. Sic Mart. lib. 6. epig 48

Quod tam grande ſophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diſerta tua eſt.

Sic Mœcenati ſcribens, ait Horatius libro 1. epiſtola 19.

Scire velis, mea qur ingratus opuſcula lector
Laudet, ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor,
Impenſis cœnarum, & triste munere veſtis.

SVMEN eſt venter ſuis, cum ipſis vberibus exéptus infra vmbilicum: & ex ſue primipara, exciſus poſtridie ab edito fœtu, ſalituſque, inter menſarum delicias Romæ habebatur. Dicebatur antiquitus abdomen, quod, ſi Plinio credimus, ſuminis nomen à Publio Mimo accepit, ſic enim ait lib. 8. cap. 51. *Neque alio ex animali numeroſior materia ganeę: quinquaginta prope ſapores, quum cæteris ſinguli. Hinc cenſoriarum legum paginæ, interdictaque cœnis abdomina, glandia, teſticuli, vuluæ, ſyncipita verrina: vt tamen Publij Mimorum poetæ coena poſtquam ſeruitutem exuerat, nulla memoretur ſine abdomine, etiam vocabulo ſuminis ab eo impoſito.* Sed quum Publius Mimus Syrus floruerit Iulij Cæſaris Dictatoris temporibus, inter cuius etiam familiares receptus fuit, non potuit

tuit ipſe abdomini,ſuminis nomen impoſuiſſe, quãdo eo vſus fuit Plautus, qui floruit paulo poſt ſecundum Punicum bellũ,& multis annis ante Cæſaris natiuitatem. Patet id ex Plauti Captiuis Actu 4.ſcena 3.

Di immortales, iam vt ego collos prætruncabo tergoribus,
Quanta pernis peſtis veniet! quanta labes larido!
Quanta ſumini abſumedo! quanta collo calamitas!
Quanta lanijs laſſitudo! quanta porcinarijs!
Nam ſi alia memorem,quæ ad ventris victum conducunt, mora eſt.

Et ex eiuſdem Curculione Actu 2. ſcena 3.

Pernam, Abdomen,ſumen, ſuis glandium,

Necnõ dicitur in eiuſdem Plauti Pſeudolo Actu 1. ſcena 2.

Pernam, collum, glandium, ſumen, facito in aqua iaceant.

Sed & poſt Publij ætatem, ſuminis pro abdomine meminit Martialis lib.13. epigr.41.

Eſſe potes nudum ſumen, ſic vbere largo
Effluit, & viuo lacte papilla tumet.

Dictum eſt autem ſumen,vel quod ſit ſuis abdomen, vel à ſugendo: niſi mauis dictum ſumen,quaſi rumen,r in s mutata:rumen autem eſt mamma, vnde erat ficus, vel laurus ruminalis, ibi nata, vbi lupa Romulo, ac Remo vbera, & mammas præbuerat. Excandeſcit ergo poeta in recitantem,pretioſarum cœnarum impendijs conducentem eos, qui ſe laudarent.

SCIS Comitem horridulum trita donare lacerna.

cernæ. Horridulum eſt diminutiuum ab horrido, hoc autem concretum eſt ab abſtracto horror, ſicut calidũ à calore:& eſt tremor accidens corpori animalis,quum morbo,timore, vel frigore occupatur. Hinc Celſus lib.3.c.3. ait: *Quartanæ ſimpliciores ſunt, incipiunt fere ab horrore,deinde calor erumpit.* Et deinde. *Quotidianę vero variæ ſunt, & multiplices: aliæ enim protinus à calore incipiunt, alię à frigore, alię ab horrore. Frigus voco vbi extremæ partes membrorum inalgeſcunt: horrorem, vbi totum corpus intremit.* Per timorem ſub tali ſtatu Ænęam deſcribit Virgil. 4 Æneid.verſu 279.

At vero Ænęas aſpectu obmutuit amens,
Arrectæq;horrore comæ,& uox faucibus hęſit.

Et idem 3. Æneidos verſu 26.

Horrendum,& dictu video mirabile monſtrũ,
Nam quæ prima ſolo,ruptis radicibus arbos
Vellitur,huic atro linquũtur ſanguine guttę,
Et terrã tabo maculant, mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.

Et eodem ſenſu,lucum deſcribens religioſum, ait Lucanus lib.3.Pharſaliæ verſu 397.

Illis & volucres metuunt inſiſtere ramis,
Et luſtris recubare feræ; nec ventus in illas
Incubuit ſiluas, excuſſaque nubibus atris
Fulgura: non vllis frondem prębentibus auris
Arboribus ſuus horror ineſt.

De orto ex frigore. Virg.4.Æneid.verſu 249.

Piniferum caput,& vento pulſatur,& imbri
Nix humeros infuſa tegit,iam flumina mento
Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.

Et

Et Iuuenal. ſat.1. verſu 91.

Prælia quanta illic, diſpenſatore uidebis
Armigero? ſimplex ne furor ſeſtertia centum
Perdere? & horrēti tunicā non reddere ſeruo.

Quamuis autem, qui ſic frigore inhorrent, ſint inculti, & inornati, tactuque aſperi, vt horridum metaphorice nōnumquam ponatur pro hiſpido, & inornato, nihilominus hic horridum, ſiue horridulum poſitum eſt pro algente ob frigus, ad quod arcendum, veſtem, etſi tritam, vt munus gratiſſimum accepit.

TRITA lacerna. Tritum, ſupinum à verbo, te o, ſignificat rem frequentatam, & quaſi vſu conſumptam, vt via trita; dicitur ſæpius pedibus calcata, & tritum prouerbium, frequenter ſermonibus vſurpatum. Sic Plautus Menechmis Actu 3. ſcena 3.

Erotium. *Quam tu nunc mihi nauem narras?*
Menechmis. *Ligneam*
Sæpe tritam, ſæpe fixam, ſæpe excuſsā malleo.

Sic Martialis lib. 1. Epigram. 92.

Cerea ſi pendet lumbis, & trita lacerna
Dimidiaſque nates Gallica palla tegit.

Et Ouidius lib. 1. de Arte.

Trita frequenſque uia eſt, per amici fallere nomen:
Trita frequenſq; licet ſit uia, crimen habet.

In aliquibus tamen codicibus pro trita hic, tuta legimus, vt lib. 4. Triſtium elegia 6. ait.

Vt patria careo, bis frugibus area trita eſt,
Diſſiluit nudo preſſa bis uua pede.

Et hoc modo nunc lacerna trita, veſtem ſignificat vſu ſemiconſumptam.

LACERNA, genus erat veſtis exterioris, &

Fim-

Fimbriatæ, contra pluuiarum iniurias, & arcendis frigoribus proportionatę, qua maximè in caſtris vtebantur, ideoque, vt vrbani, togata, ita caſtrenſes, lacernata turba dicebantur. Eſſe autem lacernam veſtem caſtrenſem, ſiue militarem, colligimus ex illo Lucretiæ, eam apparantis Collatino, quo tempore Ardeæ in caſtris erat. Ouid. 2. Faſtor.

Mittenda eſt Domino, nunc nunc properate puellæ,
Quam primum noſtra facta lacerna manu.

Et Propertius lib. 3 elegia 10.

Tu tamen iniecta tectus, veſane, lacernæ
Potabis galea feſſus Araxis aquam.

Et idem Propertius lib. 4. elegia 3.

Omnibus heu portis pendent mea noxia uota,
Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.

Tribus enim iam annis Lycota militauerat, & quartus abſque laſſatione imminebat. Vtebantur nihilominus lacernis plebei etiam in vrbe ſupra alias veſtes, vt munirentur aduerſus frigus, & pluuias, præcipue in ſpectaculis theatralibus, & erat albi coloris, vt colligitur ex illo Martialis lib. 14. diſticho 135.

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Quum tegit algentes alba lacerna togas.

Et ex illo eiuſdem Martialis lib. 4. epigr. 2.

Spectabat modo ſolus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Quum plebs, & minor ordo, maximuſque
Sancto cum duce candidus ſederet:
Toto nix cecidit repente cœlo.
Albis ſpectat Horatius lacernis.

Quandoque tamen in ſpectaculis, coloratis vte-

vtebantur lacernis. Hinc Martialis libro 5. Epigramm. 8.

Edictum Domini Deique noſtri,
Quo ſubſellia certiora fiunt
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phaſis in theatro;
Phaſis purpureis ruber lacernis,
Et iactat tumido ſuperbus ore:
Tandem commodius licet ſedere,
Nunc eſt reddita dignitas equeſtris,
Turba non premimur, nec inquinamur;
Hæc & talia dum refert ſupinus,
Illas purpureas, & arrogantes
Iuſſit ſurgere Lectius lacernas.

Vtebantur autem lacernis etiam per vrbem, vt innuit idē Martialis dicens lib. 6. Epig. 82.

Quidam me modo Ruffe diligenter
Inſpectum, uelut emptor, aut laniſta,
Quum uultu digitoque ſubnotaſſet:
Tune es, tune ait, ille Martialis,
Cuius nequitias iocoſque nouit
Aurem qui modo non habet Batauam?
Subriſi modice, leuique nutu
Me, quem dixerat, eſſe non negaui.
Quur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Reſpondi: Quia ſum malus poeta.
Hoc ne ſæpius accidat poetæ,
Mittas, Ruffe, mihi bonas lacernas.

Magiſtratu tamen fungentibus, aut functis, & eorumdū candidatis, turpe erat vti lacernis, niſi in theatro, vel pluuię tempore. Ex quo Antonium reprehendit Cicero, dicens Philippica 2. *Quod quærebas quomodo rediſſem? primum, luce, non tenebris: deinde cum calceis,*

& to-

& togæ, nullis nec Gallicis, nec lacerna. At etiam aſpicis me, & quidem, vt uideris, iratus. Ne tu mecum iam in gratiam redeas, ſi ſcias quam me pudeat nequitiæ tuæ., cuius teipſum non pudet. Ex omnium omnibus flagitiis, nullum turpius ui. di, nullū audiui, quam quod qui Magiſter Equitum fuiſſe tibi viderere, in proximum annum Conſulatum peteres, vel potius rogares, is per Municipia Coloniaſq; Galliæ, à qua quum Conſulatus noſter petebatur, non rogabatur, petere Conſulatum ſolebamus, cum Gallicis, & lacerna cucurriſti. Huius ergo generis veſtem, ſed fere laceram, & vſu ſemiconſumptam, ſuis recitator donabat conuiuis, quum eos algere videbat, & propterea ab eis laudabatur. Et per ſenecdochen vnius ſpeciei pro alia, vt ſumen poſuit pro quocumque cibo delectabili, ita & lacernam pro quacumque veſte.

ET VERVM inquis amo, verum mihi dicito de me. Qui pote? Vis dicam? Nugaris, quum tibi Calue pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet. Hæc dicuntur ex perſona recitantis, quaſi verum vellet audire, & moneri ſi quid peccaſſet: cui poeta reſpondet, illum nugari, cœnipetas enim conduxerat, eorumque obſtruxerat ora muneribus, & iudicia præoccupauerat. Sic Martialis lib. 8. epigram. 75.

Dic verum mihi Marce, dic amabo,
Nil eſt, quod magis audiam libenter:
Sic & quum recitas tuos libellos,
Et cauſam quoties agis, clientis,
Oras Gallice, me, rogaſque ſemper,
Durum eſt me tibi, quod petis negare;
Vero verius ergo quid ſis audi:

Ve-

Verum, Gallice, non libenter audis.

Profitentes ergo ſe veritatem audire velle, nonniſi laudes aucupabantur proprias, alioquin non præoccupaſſent auditorum mentes muneribus, quæ vtique iudicium peruertunt, vnde de Samuelis filijs dicitur 1. Regū 8. quod *Declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntq; munera, & peruerterunt iudicium.* Et Prouerbiorum 17. etiam dicitur: *Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij.* Videtur ergo recitator iſte Gracchis ſimilis, aut Epicuro, illi enim quum, factis immodicis largitionibus, Reip. exhaurirent ærarium, verbis, ærarij defenſores videri volebant. Epicurus vero, quum verbis virtutem commendaret, factis eam deſtruebat. Eadem ſententia eſt in Plauto, Moſtellaria Actu 1. ſcena 3.

Ego verum amo, verum uolo mihi dici, mendacem odi.

Præclare, & ad rem Cicero in Lelio inquit: *Quamquam aſſentatio pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei, qui eam recepit, atque ea delectatur: ita fit ut is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maxime, qui ſibi ipſi aſſentetur, & ſe maxime ipſe delectet. Omnino eſt amans ſui uirtus, optime enim ſe ipſa nouit, quamq; amabilis ſit, intelligit, Ego autem non de uirtute nunc loquor, ſed de uirtutis opinione, uirtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quam uideri uolunt; hos delectat aſſentatio: his fictus, ad eorum uoluntatem ſermo, quum adhibetur, orationem illā uanam, teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant. Nulla eſt igitur hæc amicitia, quum alter eorum audire non uult, alter ad mētiendum paratus eſt.*

Et

Et talis erat hic recitator, verum audire fugiens, vnde ſubditur.

QVI pote. Verba poetæ reſpondentis recitatori, profitenti ſe verum audire velle. Qui, pro quomodo. Nā ait: Qua ratione, & audacia, veritatem auderē dicere, quum me tibi cœna, & muliebus obnoxium reddideris, itaut ea tantum dicam, quæ tibi nouerim placita, ne deinceps talibus exuar beneficijs. Accipi autem qui, pro quomodo, conſtat ex illo Plauti, Menechmis Actu 5. ſcena 2.

Ecce autem litigium q̄ ʒties edixi tādem tibi,
Vt cauere, neuter ad me iretis cū querimonia?
Mulier. *Qui ego iſtuc, mi pater, cauere poſſum?*

Et idem Curculione Actu 5. ſcena 3.

Ita iudices, ne quiſquā à me argētum auferat.
Miles. *Quodne promiſiſti?*
Leno. *Qui promiſi?*

Sic Cicero in Lelio. *Qui fieri poterat, ut eius dolore non angerer, qui mecum ſemper familiariſſime uixiſſet* Et ita etiam nunc accipiendū.

POTE, putant aliqui dici ſemper per apocopen, pro poteſt. Sed Priſcianus cap. 15 docet eſſe nomen declinatū hic, & hæc potis, & hoc pote, vnde ſunt, comparatiuum potior, & ſuperlatiuum potiſſimus, & aduerbia potius, & potiſſime. Hinc Plautus Amphitruone Act. 2. ſcena 2.

Qui iſtud potis fieri quæſo.

Et idem Plautus, Caſina Actu 2. ſc. 3. inquit:

Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitore antevenire,
Nec potis quicquam commemorari, quod plus ſalis, pluſq. leporis hodie,
Habeat. Ve-

Verum, vt diximus, frequenter idem valet, ac poteſt, ſeu potens eſt: & ita nunc accipitur.

VIS dicam? nugaris. Quamuis difficultatem, & fere impoſſibilitatem verum dicendi profeſſus fuiſſet, ſubdit, nihilominus: ſi veritatem à me ingenue vis audire, & quid ego de te, & tuis poematibus ſentiam, dicam profectò, te eſſe nugacem, & opera tua eſſe nullius momenti, & meras nugas.

QVVM tibi Calue pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet. His verbis nugarum notatur inconuenientia in recitatore. Dedecebat enim eum, qui corpore, & ventre tam erat obæſo, vt aqualiculus promineret per pedem, & ſemis, mores habere tam leues, vt nugis oblectaretur. Niſi malis exponere, eum intellexiſſe de illis, *quorum Deus uenter eſt*, & quorum guttur eſt meditatorium latrinarum, nempe de helluonibus, & paraſitis, abdomini mancipatis, qui certè, ſi Plinio credimus, ſapere non poſſunt, verba Plinij ſunt lib. 11. cap. 37. *Subeſt uenter ſtomachum habentibus, cæteris ſimplex ruminantibus geminus, ſanguine carentibus nullus: Inteſtinus enim quibuſdam ab ore incipiens, quadam uia eodem reflectitur, ut ſepiæ, polypo. In homine adnexus infimo ſtomacho, ſimilis canino His ſolis animalium inferiore parte anguſtior, itaq; & ſola uomunt, quia repleto, propter anguſtias ſupprimitur cibus, quod accidere non poteſt ijs, quorum ſpatioſa laxitas, eum ad inferiora tranſmittit. Ab hoc uentriculo lactes in homine, & oue, per quas labitur cibus, in cæteris ile, à quibus capaciora inteſtina ad aluum, hominique flexuoſiſſimis orbibus: idcirco*

magis

magis auidi ciborum, quibus ab aluo longius ſpatium : ijdem minus ſolertes, quibus obeſiſſimus venter. Vnde & Diogenes Laertius lib.6. de Diogene Cynico loquens, ait : *Ad Anaximenem Rhetorem hominem pinguem accedens, nobis quoque, inquit, tenuioribus, ventrem impartito, nam & ipſe leuaberis, & nobis vtilitatem afferes.* Seneca etiam ait epiſtola 15. *Stulta eſt, mi Lucili, & minime conueniens litterato viro occupatio exercendi lacertos, & dilatandi ceruicem, & latera firmandi. Quum tibi feliciter ſagina ceſſerit, & tori creuerint, nec vires vmquam opimi bouis, nec pondus æquabis. Adijce nunc, quod maiore corporis ſarcina, animus eliditur, & minus agilis eſt. Itaque quantum potes circumſcribe corpus tuum, & animo locum laxa. Multa ſequuntur incommoda huic deditos curæ. Primum exercitationes, quarum labor ſpiritum exhaurit, & inhabilem intentioni, ac ſtudijs acrioribus reddit: deinde copia ciborum ſubtilitas animi impeditur.* Itaque quum iſte recitator doliarem haberet ventrem, nihil luculentum, & Camœnali ſuauiloquentia dignum adferre poterat, ſed meras nugas.

CALVE nomen, poteſt ſubſtantiuè accipi, & adiectiue. Adiectiuè eum denotat, à cuius capite capilli defluxerunt, quo vitio laboraſſe C. Cæſarem, milites eum ducentes in triumphum, illi exprobrabãt, ita canẽtes apud Suetonium in Iulio cap.51. *Vrbani, ſeruate vxores, mœchum caluum adducimus.* Et quia idem vitium imitantur, qui capita ad cutem deradũt, Soſia apud Plautum Amphitruone Actu 1. ſcena 1. ait :

Ibo ad portum, atque hæc vt ſunt facta, hero dicam meo ,
Niſi, & is quoque me igncrabit,quod ille faciat Iuppiter ,
Vt ego hodie raſo capite,caluos, capiã pilcum.

Subſtant ue vero duos nouimus Caluos , qui ante Perſij floruerunt ætatem , quorum vnus fuit Licinius Caluus , orator tam celebris, vt de eloquentiæ principatu non ſemel cum Cicerone contenderit : poeta etiam inſignis , vt indicant verſus, quos in Magnum Pompeium compoſuit, nempe

Magnus quẽ metuunt omnes digito caput vno
Scalpit, quid putas hunc ſibi velle? virum.

Alius, Catulli fuit familiaris, qui elegiaco carmine Quintiliæ mortem defleuit . De quo Ouid. 2. Triſt.

Par fuit exigui ſimiliſque licentia Calui
Detexit varÿs, qui ſua facta modis .

Et Propertius in æmulum ad Cynthiam ait libro 2. elegia 19.

Iſta meis fiet notiſsima forma libellis
Calue, tua venia, pace, Catulle,tua.

Et idem Propertius ad Lynceum poetam, eodem libro 2. elegia 25. inquit :

Hæc etiam docti confeſſa eſt pagina Calui ,
Quum caneret miſeræ funera Quintiliæ .

Si nunc ſumatur adiectiuè , aliquem appellat ſaltem caluefcentem . Si vero ſubſtantiue, dicere intendit. O ſtulte recitator,qui declamationis affectata grauitate , vel poematum elegantia,Caluis,Oratori,& poetæ,teipſum præponis, ſcias velim,Te nugas tantum dicere. Vel Caluum nominat per ironiam.

AQVA-

AQVALICVLVS diminutiuum eſt ab aqualico: hoc autem ſignificat tam illud ſordidum, & immundum vas ex quo ſues ſorbent: quam inteſtinum, ex quo fieri ſolent farcimina: quam etiam aluum, ſiue ventrem, in quem totius corporis defluunt ſordes, & ita accepit Tertullianus aduerſus Pſychicos cap. 16. dicens: *In noſtris xenophagijs blaſphemias ingerens caſto Iſidis, & Cybeles eas adæquas: admitto teſtimonialem comparationem. Hinc diuina conſtabit, quam diabolus, diuinorum æmulator, imitatur. Ex veritate mendacium ſtruitur, ex religione ſuperſtitio compingitur; hinc tu eo irreligioſior, quanto Ethnicus paratior. Ille denique Deo idolo gulam ſuam mactat, tu Deo non vis, Deus enim tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos cocus, & ſanctus ſpiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia vetus eſt.* Sic etiam Seneca Epiſtola 90. ait: *Receptas fruges in os, concurrens inter ſe duritia dentium frangit, & quidquid excidit, ad eoſdem dentes lingua refertur, tunc vero ſaliuę miſcetur, vt facilius per fauces lubricas tranſeat: Quum peruenit in ventrem, aqualiculi feruore concoquitur, tunc demum corpori accedit.* Niſi hic aqualiculi nomine ſtomachū malis intelligere; At in verbis Perſij aqualiculus eſt aluus, in quem totius corporis ſordes confluunt.

PROPENSO. A verbo propendeo, eſt procliuis, ſiue pronus, & vehementer inclinatus. Sed nonnumquam ſumitur pro magno, vt in argumento Truculenti Plautini.

Miles aduenit

Natique cauſa dat propenſa munera.

Et ita hic aqualiculus propenſus, erit valde magnus: quem locum ita exponit hic Cornutus. [Hoc dicit, Quomodo potes verum amare, quum ſis nugigerulus? vel Quum, ô Calue Senator, abundantia ciborum pinguis ſis, & ventrem habeas vltra ſex pedes extenſum, quomodo, tanta tenſus craſſitudine, poſſis aliquid ſubtile, vel tenue ſapere? operam ſcribendo perdis, quum ventri tuo indulgeas, vt in pinguedine creſcat. Tractus sẽſus ex Græco verſu, quo ſignificatur ex ventre craſſo, tenuem verſũm non naſci.]

SESQVIPEDE. Seſquipes eſt mẽſura vnius & dimidij pedis. Perperã ergo Cornutus iam relatus, ſeſquipede interpretatur, vltra ſex pedes. Ex quo, & alijs argumentis infra adducendis, conuincor credere, Cornutum commentaria in Perſiũ ſcribentem, non eſſe illum qui eumdem in Stoicam introduxit philoſophiam, ſed alium poſterioris æui, & inferioris notę, grammaticum. Seſqui ergo indeclinabile eſt, vnum ſignificans, & dimidium eius rei, cui adiungitur. Hinc Plinius iunior libro 4. epiſtola 9. ait: *Egeram horis tribus, & dimidia, ſupererat ſeſqui hora: nam quum è lege, accuſator ſex horas, nouem reus accepiſſet, ita diuiſerat tempora, reus, inter me, & eum qui dicturus poſt erat, vt ego quinque horis, ille reliquis vteretur.* Sic Varro lib. 1. de re ruſtica cap. 27. *Solis curſus annalis primum fere circiter ternis menſibus ad fructus, eſt diuiſus in quatuor partes totas, & idem ſubtilius, ſeſquimenſibus in octo.* Seſquimenſis ergo eſt tempus vnius men-

ſis, & ſemiſſis, quum annus ſolaris, duodecim conſtet menſibus, & ita ſeſqui ſignificat vnum integrum, & iterum dimidium eius, cui adiungitur. Sic Martialis libro 8. Epigramm. 59.

Summa Palatini poteras æquare Coloſſi,
Si fieres breuior, Claudia, ſeſquipede.

Sic Charmidi non cognito, de ipſomet Charmide, ait Sycophanta apud Plautum, Trinummo Actu 4. ſcena 2.

Seſquipede quidem eſt, quam tu longior.

EXTAT, quandoque idem valet ac eſt, ſiue ſupereſt & durat: ſic loquitur Cicero pro Archia dicens: *Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturę ipſius habitu prope diuino, per ſeipſos & graues, & moderatos extitiſſe fateor.* Et ſic extare dicuntur, quæ nondum exciderunt. Sic de ſuis libris inquit Ouidius lib. 1. Triſtium elegia 6.

Quæ quoniam non ſunt penitus ſublata, ſed extant;
Pluribus exemplis ſcripta fuiſſe reor.

Proprie tamen extare, eſt eminere, & apparere. Sic Ouid. 4. Triſtium elegia 3.

Magna minorq; feræ, quarũ regis altera Graias,
Altera Sidonias, vtraque ſicca, rates,
Omnia quum ſummo poſitæ videatis in axe,
Et maris occiduas non ſubeatis aquas.
Æthercamq; ſuis cingens amplexibus arcem,
Veſter ab intacta circulus extet humo.
Aſpicite &c.

Et in eodem ſenſu loquitur Virgilius, dicens lib. 3. Georgicæ verſu 368.

Intereunt pecudes, ſtant circumfuſa pruinis
Corpora magna boum, conſertoque agmine cerui
Torpent mole noua, & ſummis vix cornibus extant.

Et ita obęſus venter huius recitatoris, extabat, eminebat, & erat porrectus pede, & ſemiſſe.

O IANE à tergo quem nulla ciconia pinſit, nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas, nec linguę quantum ſitiat canis Appula tantum Vos, ò patricius ſanguis quos viuere fas eſt, Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannę. Reprehenderat recitatorem, qui tamen ad ſuos prouocauerat ſibi plaudentes per verbum Euge, vel Belle. At poeta iam etiam dixerat, verum videre non poſſe, vel loqui eos, qui cœnis, & muneribus erant præoccupati, ni talibus carere vellent. Nunc innuit hos eoſdem adulatores, in faciem omnia, vt adamuſſim elaborata commendare, ſed à tergo eadem irridere. Et quum nullus, niſi ſolus Ianus, oculos in occipitio habeat, ideo omnes irriſioni patere, ſoluſque Ianus felix, quem nemo ſubſannat. Meminit autem trium ſannarum ſpecierum, quæ ſunt, roſtri ciconiæ, auriculæ aſini, & linguæ canis. Inuocat ergo, vel, per indignationem, exclamat: O Iane, quem nulla ciconia pinſit à tergo, quippe qui illud etiam haberes oculatum. Credidere plerique Ianum eumdem eſſe ac Solem, duaſque habere facies, quia ſua præſentia, diem, abſentia, noctem conſtituat. Quidam eum dixere quadrifrontem, ſiue ob quatuor orbis cardines, quos per-

cur-

currit, ſiue ob quatuor anni tempora, quæ accedendo, & recedendo inducit. Alij dixere Ianum eſſe Cœlum, ſic appellatum quaſi Eanus, quia eſt in continuo motu. Eiuſque vxorem nominant Tirteam, Armenicè vero Ariciam, & Latinè Terram: quia iuxta philoſophorum placita, ſublunaria cuncta, Cœlum agnoſcunt vt principium actiuum, agens, & mouens, Terram vero vt paſſiuum, ſiue materiam. Alij denique ferunt, Ianum fuiſſe antiquiſſimum Italiæ Regem, qui tunc regnauerit, quum mūdus erat adhuc aureus, aurea ſcilicet illius ætate, quia iuſtitia in eo vigebat, nec homines erant vitijs mancipati. De illo aſſerunt, fuiſſe ſapientem, ac religioſum, & homines circa religionem inſtruxiſſe, eiſque tradidiſſe ritus ſacrificandi, & colendi Deum. Docuiſſe etiam agriculturam, & rationem plantandi vineam, vinumque ex ea habendi. Qui quum ſumma præditus crederetur prudentia, & tam præterita ſcire, quam futura, duas habere facies fingebatur, vt denotarent eum oculis, qui in occipitio erant, præterita, eis vero qui in ſincipitio, futura prænoſcere. Ianus iſte Saturnum, Regno à Ioue pulſum, ad ſe venientem, nedum hoſpitio, ſed in Regni etiam recepit ſocietatem, & ſimul vnanimi adminiſtrarunt conſenſu Exiſtimant quidam, Ianum iſtum eundem fuiſſe cū Noemo, idque tum alijs, tum ſequentibus ſuadent argumentis. Primum ex nomine Iain, quod Noemo conueniebat, eo quod fuerit primus vini inuentor, Hebraice autem vinum Iain appellatur, à Iain vero leui mutatione, Ianus

fieri potuit. Secũdum eo, quod Ianin Hebraice eſt gubernare; at Iano in ſignum imperij baculum tribuebant, & virgam: idque Noemo maxime conuenit, qui ſolus, poſt diluuium, mundum vniuerſum in ſua familia, vnica ſuperſtite, rexit, & gubernauit. Tertium ex duabus faciebus, denotantibus præteritorum memoriam, & præuidentiam futurorum: huiuſmodi autem ſymbolum nemini conueniẽtius, quam Noemo poterit adaptari, qui & quæ fuerant ante diluuium, per ſexcentos viderat annos, & quæ poſt diluuium, per trecentos quinquaginta. Quartum quia Ianus, Ogyges ab aliquibus dictus fuit, qui mundum à diluuio ſeruauit; id tamen dixerunt æquiuocantes, neſcienteſque diſcernere diluuium particulare, quod fuit tempore Ogygis, ab vniuerſali, quod Noemi tempore extitit: & hinc etiam habetur Ianum eſſe Noemum. Quintum ex toreumatibus, in quibus ex vna parte inſculpta erat facies bifrons, quam diximus Noemo conuenire: ex alia vero nauis, quam dixerunt illam ſignificare, qua Saturnus è Creta ad Ianum nauigauit: ſed melius arcam denotabit, qua, Noemi opere, humanum genus ex vniuerſali diluuio ſeruatum eſt, maxime quum teſte Polidoro Virgilio, Noemus primus nauigationis, & conſtructionis nauium author fuerit, vt merito in toreumatibus Iani, ſi ipſe eſt Noemus, nauis debuerit inſculpi, in eius rei memoriam. Sextum quia teſte Macrobio lib. 2. Saturnaliorum cap. 9. Ianus dictus eſt *Conſiuius à conſerẽdo, ideſt propagine generis humani, quæ Iano authore*

con.

conſeritur : id autem certiſſime Noemo conuenit, qui, poſt Adamum, indubitatum eſt humani principium generis, à quo gentes omnes quæ nunc ſunt, & quæ vnquam fuerunt poſt diluuium, generationis traxerunt originem. Tandem quia quum Plutarchus de Iano aſſeruerit, eum fuiſſe politicum, & agricolationis potius, quam bellandi ſtudioſum: Noemum bella exercuiſſe nuſquam legimus, bene tamen in capite 9. Geneſis, eum fuiſſe virum agricolam, qui terram exerceret, & vineam plantauit. Hæc pro aſſerendo: ſed pro negando, rationes non deſunt, quę quum non ſint ad rem, ab eis referendis abſtinemus. Sufficit dicere, Perſium nunc aſſerere voluiſſe, Ianum nō patuiſſe ſannæ, & irriſioni, quia quum hæc non fieret niſi in non videntem, & à tergo, Ianus ſubſannari non poterat, ſiquidem à tergo etiam videbat.

CICONIA auis eſt ſerpentibus victitans, eiſdemque pullos nutriens. Hinc Iuuen. ſat. 14.

Serpente, ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.

De hac aue Plinius lib. 10. cap. 23. inquit: *Cornelius Nepos, qui Diui Auguſti principatu obijt, quum ſcriberet turdos, paulo ante captos ſaginari, addidit, ciconias magis placere, quam grues, quum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigiſſe. Ciconiæ, quonam è loco veniant, aut quo ſe referant, incompertum adhuc eſt: è longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo, illas hyemis, has æſtatis aduenas. Abituræ congregantur in loco certo, comitatæque ſic, vt nulla ſui generis relinquatur, niſi*

captiua, & ſerua, cen lege prædicta die recedunt. Nemo vidit agmen diſcedentium, quum diſceſſurum appareat: nec venire, ſed veniſſe, cernimus, vtrumque nocturnis fit temporibus. Et quamuis vltra citraue peruolent, nunquam tamen aduenisſe uſquam, niſi noctu exiſtimantur. Pythonos comen uocant in Aſia, patentibus campis, ubi congregatæ inter ſe commurmurant, eam quæ nouiſſima aduenit, lacerant, atque ita abeunt. Notatum, poſt idus Auguſti, non temere uiſas ibi; ſunt qui ciconijs non ineſſe linguas confirment. Honos ijs ſerpentium exitio tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe, eademque legibus pœna, quæ in homicidam. -- Ciconiæ nidos eoſdem repetunt, genitricum ſenectam inuicem educant Auguſti tempore ciconiarum pullis veſci cœperunt, prætuleruntque gruibus, vt Plinius citatus, ex Nipote refert, & imperante Nerone adhuc in menſarum delicijs erant, vnde Petronius ait in Satyrico:

Ciconia eſt grata, peregrina, hoſpita
Pietaticultrix, gracilipes crotoliſtria
Auis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Quis autem primus eas menſis intulerit, adhuc quæritur, Prætorium fuiſſe indubitatum eſt, aſſerunt de Sempronio quidam, alij de Aſellio, nonnulli de Ruffo, vnde eſt ſcazon auctoris incerti.

Ciconiarum Ruffus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem,
Ciconiarum populus vltus eſt mortem.

Sed breui talis cibi gratia deflagrauit: erat enim

enim caro prauı ſucci, concoctu difficilis, & non parum noxij atque peſtilentis. De ciconia nihilominus phyſiologi mirabile quiddam referunt, ipſam nimirum parentes ſuos iam ætate confectos, & effœtos viribus, ideoque alis deſtitutos, humeris geſtare, qua de cauſa in verbis relatis, Petronius pietaticultricem dicit, & Epiphanius in ſua phyſiologia cap. 24. inquit: *Hæc auis patrem, & matrem, admiranda pietate in ſenectute alit.* Et Ambroſius lib. 5 Hexameronis cap. 16 [Quam vero rationabilium excedat pietatem, ac prudentiam, auis huius contemplatio, conſiderandum, quã nec poſt exemplum quidem, irrationabilium quiſquam naturæ imitari potuerit. Nam depoſiti patris artus, per longæuum ſenectutis, plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos, circumſtans, ſub alas pennis proprijs fouet. Et quid dicam collatitio cibo paſcit, quando etiam ipſa reparat naturæ diſpendia, vt hinc atque inde ſubleuantes ſenem, fulcro alarum ſuarum ad volandum exercent, & in priſtinos vſus deſueta iam reuocent pij membra parentis. Quis noſtrum leuare ægrum non faſtidiat patrem? Quis feſſum ſenem ſuis humeris imponat, quod in ipſa hiſtoria vix credibile habetur? Quis, vt pius ſit, non hoc ſeruulis mandat obſequium? At vero auibus non eſt graue, quod pietatis eſt plenum: non eſt oneroſum, quod ſoluitur naturæ debito. Non recuſant aues paſcere patrem, quod etiam, præſcripta neceſſitate, ſub terrore pœnarum plerique hominum recuſarunt. Aues non ſcripta, ſed nata lex ſtringit. Aues ad hoc

munus nullo præcepto conueniunt, ſed gratię naturalis officio. Aues non erubeſcunt reuerendi ſenis membra portare, eſt enim vectura pietatis. Quod eouſque frequenti teſtificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inuenerit, Nam Romanorum vſu, pia auis vocatur, & quod vix vni Imperatori, Conſulto Senatus delatum dicitur, hoc iſtæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues iſtæ decreto patrum, id propriæ inſigne clementię, pios enim filios patrum prius oportuit iudicio prædicari. Habent etiam vniuerſorum ſuffragia, nam retributio beneficiorum, ἀντιπελαργῶσις nominatur, πελαργὸς enim ciconia dicitur. Virtus itaque ab his nōmen accepit, quum relatio gratiarum, ciconiæ vocabulo nūcupetur.] At Præneſtini per Apheréſim, pro Ciconia, coneam dicebant, vt aſſeritur à Plauto Truculento Actu 3. ſcena 2. vbi ſic colloquuntur Aſtrophium, & Strabilax.

Strabilax. *Tene hoc tibi*

Rabonem habeto, mecum vt hac nocte ſies.

Aſtrophium. *Perij. Rabonem! Quam eſſe dicam hanc beluam?*

Quin tu arrabonem dicis?

Strabilax. *At facio lucri,*

Vt Præneſtinis conea eſt ciconia.

Hoc tamen loco ciconiæ nomine intelligitur quædam irriſionis ſpecies, quæ fiebat, pollice, & indice extenſis, iunctiſque, reliquis vero digitis intra volam complicatis, vt ciconiæ caput, & roſtrum repræſentarent; & deinde exporrectione brachij, denotantis longiſſimum ciconiæ collum, huius crebra agitatione, ſi-

mulabant quaſi roſtro percuterent eum, quem poſt tergum irridebant. Et hæc eſt prima earum ſannarum ſpecies, quarum, ex hoc Perſij loco acceptarum, meminit Hieronymus ad Ruſticum Monachum dicens: [Ne credas laudatoribus tuis, immo irriſoribus aurem ne libenter accomodes, qui quum te adulationibus fouerint, & quodammodo impotem mentis effecerint, ſi ſubito reſpexeris, aut ciconiarum deprehendes poſt te colla curuari, aut manu auriculas agitari aſini, aut æxtuantis canis protendi linguam.]

PINSIT. Pinſere verbum tertiæ, & pinſare primæ coniugationis, proprie eſt in pila, aut mortario contundere, frangere, terere, aut comminuere. Antiqui enim ante molarum vſum, frumenta igni torrebant, deinde in pilas miſſa, terebãt, ſiue comminuebant piſtillis: indeq; pinſores, & piſtores dicebantur, vt etiam piſtrinum erat locus, vbi talia fiebãt. Et nunc vocabula remanſerunt, etiam re mutata, nam piſtrinũ eſt inſtrumentum, quo, mola truſatili frumenta conteruntur: pinſores vero, & piſtores, quicumque in farina operantur. Ab hac autem primæua pinſendi ſignificatione, pinſẽdi vocabulum trãslatum eſt ad ſignificandũ crebro percutere inſtrumento contundente, vt lapide, ligno, malleo &c. & quia auium roſtrum videtur ſimile tali inſtrumento, hinc actio hic deſcripta, dicta eſt pinſatio ciconię.

NEC manus auricula imitata eſt mobilis albas. Et ſubintelligitur inuocatio iam poſita, *O Iane*, ad quem à tergo irridendum, nec manus mobilis imitata eſt albas auriculas, Expri-

primitur his verbis ſecundus irriſionis modus, cuius expers, & ſecurus erat Ianus à tergo oculatus : non enim ſic irridebantur, niſi qui non aduertebant. Fiebat autem, applicando temporibus, vtriuſque manus extenſæ pollices, & eaſdem manus ſæpe mouendo, ad aurium aſini imitationem: vt enim hominum aures, ſenſibus, etiam internis, ac voluntati, ſunt quoad motum omnino inobedientes, ita aſinorum ſunt omnium mobiliores. Et ſunt hæ, à parte ſaltem interiori, albæ, vnde hæ aures, ſicut & populorum folia, denominantur albæ, per ſenecdochen partis pro toto. Putant aliqui hanc irriſionem originem habuiſſe ab aſininis auribus Midæ, de quo dicemus ad illa verba verſus 121. ſequentis.

Auriculas aſini Mida Rex habet.

Cui ſannæ affinis eſt illa, quæ fit per crebram capitis motionem ; nam quia aures ad nutum mouere non poterant, tota mouebant capita. Quo irriſionis genere, Deicidæ Chriſtum ſubſannabant, vt legimus Matthæi 27. & Marci 15. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua.*

NEC linguæ quantum ſitiat canis Appula tantum. Hæc eſt tertia irriſionis ſpecies, & interuenit hic Brachilogia, ſeu verbi præteritio, & Apoſiopeſis, ſubintelligitur enim, eſertæ, vt dicere velit. O Iane, ad quem à tergo irridendum, nullæ ſunt linguæ tantum eſertę, quantum eſeritur lingua canis Appulæ ſitibundæ. Fit enim hæc irriſio per eſertionem, ſiue exulationem linguæ, more canum ſiti, calore, aut fatigatione æſtuantium.

Cuiuſ-

Cuiuſmodi irriſione vtebatur Gallus ille, aduerſus quem in Anienis ponte pugnauit T. Manlius, quam rem ſic narrat Liuius lib. 7. ab Vrbe Condita cap. 10. *Armatum, adornatumq; aduerſus Gallum ſtolide lætum, & (quoniam id quoque memoria dignum antiquis viſum eſt) linguam etiam ad irriſum eſerentem, produnt.* Et de eodem Gallo inquit Quadrigarius in annalibus, vt refert Io: Baptiſta Plautius hic; *Gallus irridere cœpit, atque linguam eſertare.* Sic ergo nunc dicit, nullum potuiſſe irridere Ianum, proferendo linguam, quantum eam profert canis Appula, quum ſitit. Meminit autem Canis Appulæ, quia quum ea regio eſtate ſit feruentiſſima, & aquarum venis indiga, adeo vt ab Horatio fuerit dicta ſiticuloſa, Epodo ode 3.

Nec tantus vnquam ſiderum inſedit vapor.
Siticuloſæ Apuliæ

Canes ibi linguas frequẽter eſertare cogũtur.

VOS ò patritius ſanguis. Nititur his verbis nobiliores digniorésque reuocare ab auiditate gloriæ, prouenturæ ex recitatione: & quaſi dicit, eſſe quidem excuſatione dignos illos, qui ob inopiam, & ventris inanitatem, compelluntur recitare, quum neſciant aliter ſibi victum comparare, etiam ſi propterea nonnumquam irrideãtur, & explodãtur, vt non ſemel accidit Eumolpo apud Petroniũ in Satyrico; at quod quis diues, & ſanguinis claritate conſpicuus, laudes ex recitatione quærens, in ſubſannationis incidat periculum, intolerabile videtur. Sanguis autem patritius dictus eſt more antiquorum, quando vocandi cum nominandi

caſu eandem habebant terminationem, ſic Horatius in Arte: *Vos ò*
Pompilius ſanguis carmen reprehendite.
Et Virgilius 12. Æneidos verſu 192.
Sacra, deoſq; dabo, ſocer arma Latinus habeto
Imperium ſollemne ſocer, mihi moenia Teucri
Conſtituent.
Et idem 1. Æneidos verſu 738.
Adſis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno,
Et uos ò cœtum Tyrij celebrate fauentes

Patricij autem à nonnullis creduntur eſſe ijdem Senatores, vel Senatorum progenies: & hi mouentur ex verbis Liuij, dicentis de Romulo lib. 1. ab Vrbe Condita cap. 8. *Quum iam uirium haud pæniteret, cōſilium deinde uiribus parat, centum creat Senatores, ſiue quia is numerus ſatis erat, ſiue quia ſoli centum erant, qui creari poſſent patres: patres certe ab honore, patricijque progenies eorum appellat.* At Publius Decius Mus apud eumdem Liuium libro 10. cap. 8. ait: *En unquam fando audiſtis patricios primo eſſe factos, non de cælo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, ideſt nihil ultra, quam ingenuos.* Ex quo habemus, non ſtatim ac quis Senator eſſet, eſſe etiam patricium, nam vlterius requirebatur, vt patrem ciere poſſet. Et id confirmant verba Suetonij in Octauio cap. 2. dicentis: *Ea gens à Tarquinio Priſco Rege inter Romanas gentes allecta in Senatum, mox à Seruio Tullio in patritias transducta, procedente tempore ad plebem ſeſe contulit, ac rurſus magno interuallo, per D. Iulium in patriciatum redijt.* Sic etiam Tacitus lib. 11. Annalium cap. 7. ait: *Iiſdem diebus in numerum patricio-*

rum

rum adſciuit (Claudius) *Cæſar uetuſtiſsimum quemq; è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum , quos Romulus maiorum & L. Brutus minorum gentium appellauerant, exhauſtis etiam quas Dictator Cæſar lege Caſsia,& princeps Auguſtus lege Sænia ſublegere.* Libro etiam 1. Inſtitutorum Ciuilium Titulo , quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluitur §. Filiusfamilias, dicitur: *Filiusfamilias ſi militauerit, uel ſi Senator , uel Conſul factus fuerit, remanet in poteſtate patris: militia enim, uel Conſularis dignitas, de patris poteſtate filium non liberat. Sed ex conſtitutione noſtra, ſumma Patriciatus dignitas , illico, Imperialibus codicillis præſtitis, filium à patria poteſtate liberat.* Sed quum Senatoria dignitas valde ſit conſpicua, etiam ſi patricia non foret ea maior, adhuc nefas eſſet eam obijcere ſannæ, immo alios defendere deberet ab irriſione.

SANGVIS autem propriè eſt vnus è quatuor humoribus corporis animalis: & quando intra illud continetur , propriè ſanguis dicitur: ſi vero effluxerit, cruor potius appellatur. Sed ſumitur etiam pro progenie, & ita Virgilius 1. AEneidos verſu 553.

Sunt & Siculis regionibus urbes ,
Armaq; Troianoq; à ſanguine clarus Aceſtes.

Et 2. AEneidos verſu 74.

Hortamur fari, quo ſanguine cretus.

Sic idem 4. AEneidos verſu 191.

Veniſſe AEneam Troiano à ſanguine cretum.

Et idem eodem libro 4. verſu 230.

Genus alto à ſanguine Teucro Proderet.

Sic Vlyſſes 13. metamorphoſeos ,

Nam

Nā genus, et proauos, & quę non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra uoco: ſed enim quia retulit Aiax
Eſſe Iouis pronepos, noſtri quoque ſanguinis author
Iuppiter eſt, totidemq; gradus diſtamus ab illo.
Nam mihi Laertes pater eſt, Arceſius illi,
Iuppiter huic, neque in his quiſquam damnatus, & exul.
Eſt quoq; per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas, Deus eſt in utroque parente,
Sed neque materno, quod ſum generoſior ortu,
Nec mihi, quod pater eſt fraterni ſanguinis inſons
Propoſita arma peto.

In quibus Ouidij verbis, ſanguis bis nominatur, & quidem ſecundo loco proprie pro humore: primo vero pro progenie: at nunc ſanguis patricius non eſt poſitus, niſi pro origine generationis nobilium, ſiue patriciorum.

QVOS uiuere fas eſt. Exiſtimant quidam, credentes poetam nunc loqui illis magnatibus, qui liberales corruperant diſciplinas, eas ſupine, & negligenter tractantes, & nihilominus à madidis, vel corruptis auditoribus gloriam, & laudem captabant, id dictum ironice: & certe ſi quod credunt, verum foret, non niſi ironice, talibus, vita optari poſſet. Cęterum quia indefinitè patricios appellauit, non obſtat intelligi loquutus illis, qui patriciatus muneribus digni, vita, & immortalitate potiri debent, vtpote quum eorum ſanctis moribus, iuſtitia, fortitudine, prudentia, & ſapientiſſimis conſilijs, ſtet Reſp.

OCCIPITI cæco. Occiput eſt pars poſterior

capitis, ab ob, nempe contra, & caput, quaſi capiti, ideſt fronti aduerſa. Sic accepit Auſonius Epigrammate 13.

Crine tegis faciem: cognoſci nolo. Sed heus tu
Occipiti calua es: ne tenear fugiens.

Et ſic etiam Plautus Aulularia Actu 1. ſc. 1.

Quæ in occipitio quoque habet oculos, peſſima.

Iure autem hic occipitium denominatur cæcum, vtpote cui à natura negati ſunt oculi, & conceſſi tantum ſincipiti, ſeu fronti. Eſto iſta negatio ſit, non vero priuatio.

POSTICÆ occurrite ſannæ. Poſticum propriè eſt oſtium ſitum à poſteriori ædium parte, ita dictum à poſt ſtando. Sic Plautus Sticho Actu 3. ſcena 1.

Eſt etiam hic oſtium
Aliud autem poſticum, noſtrum harum ædium
(Poſtica parte magis vtuntur ædium)
Ea ibo obſonatum.

Sic Horatius lib. 1. Epiſtola 5.

Atria ſeruantem, poſtico falle clientem.

Poſticam augures appellabant ſeptemptrionalem Cœli plagam, ſicut meridionalem, anticam, quia, quum inaugurabantur, meridiem ſpectare iubebantur, indeque factum, vt quæ pone forent, vel fierent, poſtica dicerentur. Et ita ſanna poſtica, eſt, facta poſt occipitium.

OCCVRRITE. Occurrere eſt obuiare, & ex aduerſo procedere. Sic Iuuenalis ſatyra 1. verſu 69.

Occurrit matrona potens.

Sed aliquando eſt obſtare, ſiue impedire. Et ſic infra ſat. 3. verſu 64.

Venienti occurrite morbo.

Sic Lucretius lib 6. verſu 3. ait Epicurum monſtraſſe viam.

Et quibus è portis occurri cuique deceret.

Et ita nunc rogantur heroes, nobiles, & magnates, vt occurrant, obſtent, & impediant irriſiones,& ſubſannationes occultas, à tergo factas.

SANNÆ poſticæ. Sanna eſt irriſionis ſpecies, quæ fit ex occipitio,ſeu à tergo eius,qui irridetur, diſtorto ore, contractis labijs, cum anteriorum dentium oſtentatione. Sic Iuuenalis ſatyra 6. verſu 306.

I nunc, & dubita qua ſorbet aera ſanna?
Tullia.

Inde ſanniones dicti, qui vt alios irrideant, totius corporis membra detorquentes,ſeipſos nedum ridiculos, ſed & deridendos præbent. Sic Cicero lib.2. de Oratore ait: *Quid enim poteſt eſſe tam ridiculum, quam ſannio eſt, qui ore,vultu, imitandis motibus,voce, denique corpore,ridetur ipſe?* Et ad familiares lib. 9. epiſtola 16. *De villa Cæciliana, & curaſti diligenter, & ſcripſiſti facetiſſime, itaque puto me prætermiſſurum, ſalis enim ſatis eſt, ſannionum parum.*

PARAPHRASIS TEXTVS SECVNDI SATYRÆ PRIMÆ.

SCribimus in noſtris clauſi Muſæis, tam declamationes,& orationes ſolutas,quam verſus, & poemata, idque ſtylo tam alto, ſiue magniloquo, vt quamuis recitans ſit amplo largoq; præditus pulmone, crebris nihilominus

nus indigeat anhelitis, & reſpirationibus,vt recitet iſta taliter cõpoſita, quum calamiſtratus,& noua ac pretioſa indutus veſte, digitis, etiã gẽmatis,ipſe pallidus,legens è ſublimi ſede,populo adſtãti,voci medens pharmaco illã molliente ad varias flexiones,& mollitiẽ oculis præ ſe ferens,dicit. Et tunc videre poteris magnatesRomanos ſubſilire,& turbatas emittere voces, quando ſententiæ ſic recitantis mentem intrantes, mouent in ea libidinem. Te autem non pudet, quum ſis ætate prouectus, alienis placere auribus, & quidem talibus,quibus rite dicas,ſerue verbero. Sed quã ex tot in colendis ſtudijs exantlatis laboribus referam vtilitatem, ſi mihi negetur laudis meſſis? maxime quum abſconſa eruditio, ad inſtar caprifici & fermenti, cor etiam ſaxeum diſcindat, vt erumpat? At, ne ad hanc rerum deuenimus conditionem, vt ſenes pallidi putent nihil prodeſſe ſapientiam, niſi hæc alijs innotuerit! Verum glorioſum eſt monſtrari digito tamquam laudabilis, ex dictis, vel factis egregijs: & maxime ſi mea ſcripta à ludimagiſtris imitanda diſcipulis proponantur. Ecce autem Romanis conuiuio exceptis, poſt epulas Magnas quidam purpura indutus,poſtquam fortiter nares emunxit, illis quærentibus ſermonem de heroibus, narrat fabulas de Phyllide,aut Hypſiphyle, & alia huius generis lacrymabilia: & voce tenera,ſententias magis emollit. Et quum conuiuæ aſſenſi fuerint, creditum eſt cinerem poetæ,qui talia ſcripſerat,eſſe felicem,& terram illi aggeſtam eſſe lenem; & ſiquidem plaudere pergant, iudicabunt

e bunt ex illius tumulo violas, floreſque naſcituros. Hæc tamen irridenti, & ſubſannanti, dictū eſt, num ſit qui renuat populi laudes, & qui, locutus digna immortali memoria, relinquere nolit ſcripta nō amandanda ſalſamētarijs. Cui ille vtiq; quū ſcribo, ſi quid forte apte docteq, elaboratū exciderit, (quādo talis ſcriptor eſt rarus, vt phœnix) ſed ſi exciderit, non metuo laudari, nec tamen puto vltimū finem meorū ſtudiorum eſſe tuā laudationem, quā ſi introſpexeris, ignorātiæ, auaritię, adulationis, & ſimilium vitiorum cōgerie ſartam videbis. In meis ergo poematibus non inuenies Accij Labeonis Iliadem, qui eſto, tale opus componēs, ſæpius helleborū biberit, ineptitudinē tamen nō euaſit: nec inuenies exiguā ſaltē elegiā ſimilem dictatæ à madidis proceribus: nec aliquid ſcriptum in tabulis è pretioſiſſimo, & incorruptibili ligno citrio. Sed tu, auditoribus ad cœnam vocatis, apponis inter cæteras pretioſiſſimas epulas, etiam modo ferę ſuis vbera, & eoſdem veſtium lacernarumq; muneribus donas, eorum ſic occupans rationis iudicium, vt verum videre non valeant. Vnde quando profiteris te veri amantem eſſe, & verum audire velle iudicium de tuis operibus, vt liberè ingenuèque proferam quæ ſentio, mihi videris ineptire, aut nugari, quum facta ſint dictis contraria: quod tamen te omnino dedecet, nam quum Caluo te ſimilem credas, & corporis mole ſis tantus, vt tuum abdomen per pedē promineat, & ſemiſſem, leues omnino nugas horrere deberes, ni rideri, & ſubſannari velis. Non enim es ſimilis Iano, quem

quum

(quum etiã à tergo foret oculatus) nullus irridere poterat imitando roſtrum ciconiæ digitorum iunctione, & rotatione brachij : imitando auriculas aſini, temporibus manus applicando, eaſque ſæpius mouendo : nec eſertione, & prolatione longæ linguæ, imitando canes ſiticuloſæ Apuliæ : immo quia cœcus vndique es, circumquaque ſubſannari potes. Quod ad me autem attinet, vos inuoco nobiles, & verè heroes, quos decet immortali vita frui, prohibete huiuſmodi occultas, & de poſt tergus, irriſiones, &c.

TEXTVS TERTIVS SATYRÆ PRIMAE.

Quis populis ſermo eſt? Quis enim niſi carmina molli
Nunc demum numero fluere, vt per læue ſeueros
Effundat iunctura vngues, ſcit tendere verſũ
Non ſecus, ac ſi oculo rubricam dirigat vno.
Siue opus in mores, in luxum, in prãdia Regũ
Dicere res grandes, noſtro dat Muſa poetæ,
Ecce modo heroas ſenſus afferre videmus
Nugari ſolitos Græcè, nec ponere lucum
Artifices, nec rus ſaturum laudare, vbi corbes,
Et focus, & porci, & fumoſa Palilia foeno,
Vnde Remus ſulcoq; terens dentalia Quinti,
Quum trepida ante boues Dictatorem induit vxor.
Et tua aratra domũ Lictor tulit, Euge poeta.
Eſt nunc Bryſei quem venoſus liber Acci,
Sunt quos Pacuuiuſque, & uerucoſa moretur
Anthiope, ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos,
Quum uideas, quæris ne vnde hæc ſartago loquendi
Venerit in linguas! Vnde iſtud dedecus, in quo
Troſſulus exultat tibi per ſubſellia læuis?
Nil ne pudet capitis non poſſe pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, Decenter?
Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis; doctas poſuiſſe figuras

Lau-

Laudatur, Bellum hoc. Bellum hoc? An Romule ceues?
Men moueat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? Cantas quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verum nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incuruaſſe querela.
Sed numeris decor eſt, & iunctura addita crudis:
Claudere ſic verſū didicit, Berecynthius Attin,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin;
Sic coſtam longo ſubduximus Appænino.
Arma, virum, nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?
Vt ramale vetus prægrandi ſubere coctum.
Quidnam igitur tenerum, & laxa ceruice legendum eſt?
Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum uitulo caput ablatura ſuperbo,
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,
Euion ingeminat lacrymabilis aſſonat Echo.
Hæc fierent ſi teſticuli uena ulla paterni
Viueret in nobis? ſumma delumbe ſaliua
Hoc natat in labris, & in udo eſt Menas, & Athis,
Nec pluteum cedit, nec demorſos ſapit ungues.

COMMENTARIVM IN TEXTVM TERTIVM SATYRÆ PRIMÆ.

QVIS populi ſermo eſt? Quis enim, niſi carmina molli, nũc demum numero fluere. Poſt quam generaliter poeticę, atque eloquentiæ reprehendiſſet corruptores, nũc incipit ſpecialia quædam earumdem facultatum vitia inſectari, nempe mollitiem imperitiæ coniunctam, & huic oppoſitam ſcabroſitatem, maximè natam ex verbis inuſitatis, aut obſoletis. Eademque exaggerat vitia in cauſis forenſibus, damnans compoſitionem prurientem auribus, & calamiſtratam, verborũ, ſiue clauſularum lenocinijs, ſine robore probantium argumentorum, & multo magis earumdem orationum laſciuiam. Quum ait: *Quis populi ſermo eſt*, verba ſunt glorioſi poetaſtri, qui cœnis, togis, vel alijs muneribus, auditorum corruperat iudicia, interrogantis quid de ſe, aut de ſuis ſtudijs, populus loqueretur. Perperam autem ab iſtis iudicium exquirit, quũ dicat Horatius lib. 2. ſermonum ſatyra 2.

Male verum examinat, omnis
Corruptus iudex.

Cui interrogationi reſpondere introducitur quidam è Gnathonum, ſiue Paraſitorum numero

mero, ingenti cum adulatione, & dicere: quis alius poterit eſſe ſermo, niſi quod Vrbs tota ſtupore ſuſpenſa, aliud fari neſciat, niſi de tuis poematibus, affirmando, nunc demum, quum tu poëſim tractare voluiſti, eam euaſiſſe numeris omnibus abſolutam. Glorioſum vero illum, neſcientem diſcernere inter adulatorem, & amicum, accepiſſe hæc dicta, tamquam ex animo procedentia, contra id, quod Horatius Piſonibus ſcribit, dicens:

Mirabor ſi ſciret inter
Noſcere mendacem verumque beatus amicum,
Tu ſeu donaris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad uerſus tibi factos, ducere plenum
Lætitiæ, clamabit enim, Pulchrè, Beatè, Rectè,
Palleſcet ſuper his, etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem, ſaliet, tundet pede terram,
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, ſic
Deriſor vero plus laudatore mouetur.

Et alia in eamdem ſententiam ibi ſubdit. Seruant ficti laudatores eiuſdem Horatij præcepta, dicentis lib. 2. ſermonum ſatyra 5.

Illud adhæc iubeo, mulier ſi forte doloſa
Libertuſue ſenem delirum temperet, illis
Accedas ſocius, laudes, lauderis vt abſens:
Adiuuat hoc quoque, ſed vincit longe prius,
ipſum (*cors?*
Expugnare caput: ſcribet mala carmina ve-
Laudato. Scortator erit? caue te roget, vltro
Penelopen facilis potiori trade.

MOLLI numero fluere. Molle, quum viro iungitur, effœminatum ſignificat, ac cinędum: quum animo, placabilitatem: quum rebus cor-

corporalibus, earum teneritudinem, & flexibilitatem. Et videtur deriuatum à mouendo, quaſi mollis ſit facile mobilis, quia in partem quamlibet facile trahi, ac moueri poteſt. Et quum hic iungatur numero, ſeu rhythmo, illius ſignificat concentus ſuauitatem, ortam ex modulatione, & flexibilitate vocis, & iunctura partium orationis. Sic Virgilius 2. Georg. verſu 469.

at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſq; ſub arbore ſomni
Non abſunt.

Fluere autem metaphorice dicitur de oratione, translatione ducta ab aquis, & ſignificat ſermonis affluentiam, abſque difficultate, aut impedimento, ex ingenij, & linguæ promptitudine manantem, cum ſonoritate, ac modulatione, naſcente ex optima, & eleganti verborum iunctura.

VT per leue ſeueros effundat iunctura vngues ſcit tendere verſum, non ſecus, ac ſi oculo rubricam dirigat vno. Verba adulatoris exponentis amplius, quod dixerat de elegantia, & ſuauitate carminum recitatorum. Et ait, eorum compoſitionem, ſua proportione, eſſe talem, qualem videmus in marmorum commiſſuris, exploratis per vngues, ſi vllam in illis offendant ſcabriciem: vel qualem obſeruamus in operibus fabrorum lignariorum, qui per rubricam, & vnum tantum oculorum, linearum examinant rectitudinem. Leuis autem, quum primam abſque diphtongo, & breuem habet, rem ſignificat ſurſum ſuapte natura tendentem, vt ignem & aerem, quorum eſt motus à

me-

medio. Et iuxta eamdem acceptionem, quecumque res exigui ponderis, dicitur leuis, ſaltem comparatione alterius: & hoc modo milites non admodum armis grauati, leuem armaturam nominamus: & quum res non ſit huius loci, mitto exempla, & alias translationes. At læue cum diphtongo, & prima producta, idem valet, ac ſiniſtrum, ſiue inauſpicatum. Hinc Virgilius Ecloga 1. verſu 16.

Sæpe malum hoc nobis, ſi mẽs non læua fuiſſet
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Et Tibullus lib. 4. Panegyrico ad Meſſalam:

Quis parma, ſeu dextra velit, ſeu læua tueri.

Et Plautus Aſinaria Actu 2. ſcena 1.

Picus; & cornix eſt ab læua, coruus porro dextera *(ſententiam.*
Conſuadent, certum hercle eſt, veſtram conſequi

Fulmina nihilominus læua, nempe quæ ab ortu ſolis, & ſiniſtra cœli parte micabant, fauſta, & proſpera habebantur: contra quæ ab occaſu, & parte cœli dextera, infauſta: ſed nec ita nunc ſumitur. Lęuis inſuper etiam cum diphtongo, idem eſt, ac planum, ſiue politum; talem fuiſſe Turni Clypeum ſignificauit Virgilius, dicens libro 7. AEneidos verſu 789.

At læuem Clypeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat.

Sic pro glabro poſuit idem Virgilius, Ecloga 6. verſu 48.

Proetides implerunt falſis mugitibus agros
At non tam turpes pecudum tamen vlla ſecuta eſt,
Concubitus, quamuis collo timuiſſet aratrum,
Et ſæpe in læui quæſiſſet cornua fronte.

Et de hominibus glabris dixit Ouidius lib. 3. de Arte.

Fœmina quid faciet, quum vir ſit læuior ipſa?
Et de hoc modo nunc leue ſumitur pro læuigato, expolito, terſo, tactuque minimè aſpero: qualem læuitatem videmus in corporibus pellucidis, chryſtallo, marmore, & ſimilibus.

SEVEROS, ideſt aſperos, tetricos, & triſtes: tales reputantur vitiorum caſtigatores. Sic etiam denominantur graues, & honeſti viri, vt fuerunt Cures à Virgilio deſcripti in Clypeo AEneæ 8. AEneidos verſu 637.

Addiderat, ſubitoque nouum conſurgere bellũ
Romulidis, Tatioque ſeni, Curibuſque ſeueris.

Sic Terent. Heautontim. Actu 5. ſcena 3.

Sed ipſe egreditur, quam ſeuerus, rem, quum videas, cenſeas.

Sed hic vngues ſeueri denominati ſunt acres inueſtigatores, & inuentores ſcabriciei, & inæqualitatis in commiſſuris marmorum, & ſimilium: vt etiam Zoilus, Ariſtarchus, cæterique cenſores, minutos quoſque næuos deprehendentes in operibus ab eis examinatis Homeri, atque Virgilij, ſeueri dicti fuere, quia nec minimis erratis parcere voluerunt.

EFFVNDAT, ideſt ſpargat, aut emittat. Sic Celſus, loquens de oculorum morbis, ait lib. 7. cap. 7. *Moleſtius eſt vbi inciſa veſica eſt, effundit enim humorem, neque poſtea, quia tenuis admodum eſt, poteſt colligi*. Interdum vero eſt idem, ac reclinare, & ſic Celſus eodem libro, & cap. 7. ait: *Morbum hunc* (vnguis oculi) *recentem, nõ eſt difficile diſcutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis extenuantur.*

Si inueterauerit, iamq; ei craſſitudo quoque acceſſit, excidi debet: poſt abſtinentiam vero vnius diei, vel aduerſus in ſedili contra medicum is homo collocandus eſt, vel ſi auerſus, vt in gremium eius caput reſupinus effundat. Proprie dicitur de lumine, & liquoribus, quæ abſque impedimento ſparguntur. Transfertur etiam ad alia, adeout etiam legumina, nummi, & veſtes effuſæ dictæ inueniantur, quum abſque modo, & menſura prodigebantur, quaſi tunc induiſſent naturam fluidorum, in hoc quod non terminarentur termino proprio. Vngues autem effundi hic dicuntur, dum in lapidum commiſſuris, non inuenientes rugam, aut ſcabriciem, quaque verſus excurrunt.

TENDERE eſt exponere, explicare, & extendere. Sic Alcmena inquit apud Ouidium lib. 9. Metamorph.

Namque laboriferi quum iam natalis adeſſet
Herculis, et decimum premeretur ſidere ſignũ,
Tendebat grauitas vterum mihi.

Et idem Ouidius lib. 1. de Arte.

Scit bene venator ceruis, vbi retia tendat.

Et Virgilius 7. AEneid. verſu 162.

Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercetur equis, domitantq; in puluere currus
Aut acres tendunt arcus.

Transfertur & ad alia, ſed maxime ad componere, ſiue producere, quum multa tenſione, & expanſione iſta fiant, & conſtituantur: & hoc modo nunc ſumitur.

NON ſecus, at ſi oculo rubricam dirigat vno. Lineę rectitudo exactius vno, quam ambobus oculis apertis iudicatur, non quia vis optica

tota transferatur ad reliquum, quum alterum eſt clauſum, hoc enim falſum eſſe docent phyſici, & optalmici, ſed quia ſpecies ab obiecto venientes (quum ambos oculos inueniunt reſeratos) ad vtrumque terminatæ, quodammodo perturbãtur, dum à quolibet incipit lineæ viſualis regreſſus, & fiunt binæ lineæ diſtinctæ, & properea turbatio iudicij rectitudinis linearum. At quum oculorum alter eſt clauſus, ſpecies ab obiecto venientes, non diſperguntur, ideoque tunc rectè lineæ cognoſcitur rectitudo, & qui hanc volunt explorare, claudunt alterum oculorum. Quod autem dicitur hic de directione rubricæ per vnum oculum, eſt dictum per metaphoram, ductam à fabris lignarijs, qui lineam, ſeu chordam, terra rubri coloris inficientes (quam hic appellat rubricam) eam extendunt ab vno in aliud caput ligni, quod ſecare, dolare, vel complanare intendunt, eaque illud ſignantes, præfigunt ſibi rectĩtudinem, quam ſequi volunt. Verum linea, & rectitudo iſta, non dirigitur vno oculo, ſerra enim, ſiue dolabrum, non ſequitur ductum vnius oculi, ſed tantum lineæ ſignatæ rubrica. Eſt tamen alius modus rectificandi opera fabrorum lignariorum, per regulam, ſeu normam applicatam rei rectificandæ, & tunc oculorum vno clauſo, reliquo aperto, & coniuncto regulæ, & operi rectificando, examinatur an opus reſpondeat regulæ; & ita fit rectum, nam ſi quid in eo fuerit ſcabriciei, aut inæqualitatis, regula vni oculorum monſtrabit, vt valeat emendari. Et eſt hic Senecdoche vnius pro alio inſtrumento, & metaphora à

lignis

ſignis ad poemata. Sic Nazianz. carmine Virginitatis, ex translatione Iacobi Billij.

Quin etiam latomi ſolertes, quique fabrilem
In lignis artem exercent, quum linea recta
Quæritur, exactaque opera captatur amuſſis,
Ex oculis vnum claudunt, & lumine toto
In ſocium fuſo, viſus acieque coacta,
Recta ſequentes tenent duro veſtigia ferro.

Rubrica vero eſt terra rubri coloris, rubriſq; aliquãdo arenulis conſperſa, quæ Sinopis appellatur à Sinope Ponti ciuitate, vbi primum in vſum venit. Et multos habet vſus, præcipuum apud fabros lignarios, ſuas ea ducentes & rectificantes lineas. Vnde Columella lib. 2. cap. 10. inquit: *Omnes arbuſculas priuſquam transferas, rubrica notare conuenit, vt quum ſerentur, eaſdem cæli partes aſpiciant, quas etiam in ſeminarijs conſpexerunt.* Talis autem terra, colore ſimilis eſt minio, & naſcitur in pluribus locis: laudatiſſima tamen, & optima cenſetur, quæ effoditur in quibuſdã ſpeluncis inſulæ Lemni. Fabri nihilominus eã expetunt, quæ ex Ægypto venit, vel Africa, quod hæc cæteris magis ſorbeatur, Venit etiam ex Hiſpania, & Balearibus, Ponto, Cappadocia, & alijs locis.

SIVE opus in mores, in luxum, & prandia Regum, Dicere res grãdes noſtro dat muſa poetæ. Ordo eſt: Muſa, dat noſtro poetæ dicere res grandes, ſiue ſit opus in mores, ſiue ſit in luxum, ſiue ſit in prandia Regum. Interuenit ergo hic Apoſiopoſis, bis enim præteritur, tò, ſiue ſit. Opus autem in mores, eſt oratio inſtituta ad carpendos mores, qui comœdia repre-

ſentantur, nam quum comœdia dicatur eſſe *humanæ vitæ ſpeculum*, cuiuslibet generis hominum mores exprimere poteſt, eoſque vitioſos, in comœdijs priſci carpebant, ideoque dixit, In mores, ſiquidem *In lacerat, Ad laudat, De vero narrat*; ſunt autem verba poſita, adulatoris, ficte, vel ironicè aſſerentis, poetam quem laudabat, ædere opera examuſſim elaborata, numeriſq; omnibus abſoluta, in quacumque ſcribere voluiſſet materia: nam tanta illi erat cum Muſis familiaritas, vt, ſiue comœdiam ſcribere voluiſſet, ſiue ſatyram, aut etiam Tragœdiam, illico ei vires proportionatæ à Muſa ſuppeditabantur, vt illa magnificè, cum ſublimitate conceptuum, & argumentorum, tractare valeret. Quod autem dixit *In luxum*, luxus, & luxuria, non eſt tantum in rebus venereis, ſed in quauis etiam ſuperfluitate, veſtis, cibi, & cuiuslibet alius rei. Hinc Virg. 1. AEneid. verſu 641.

At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur, medijſque parat conuiuia tectis.

Sic Pluto, vt raptam conſolaretur Proſerpinam, ait apud Claudianum lib. 2. verſ. 300.

Sub tua purpurei venient veſtigia Reges
Depoſito luxu, turba cum paupere miſti.

Et dicitur à verbo luxo, quod eſt ſoluo, vel loco moueo membrum aliquod, vnde luxa, ſiue luxata membra appellantur, ſuis mota ſedibus, quomodo dixit Plinius lib. 31. cap. 6. *Luxata hominum corpora, & quadrupedum, natando, in cuiuslibet generis aqua, facillime in artus redeunt*. Inde mores ex ſuis regulis rationis, quaſi ſedibus excedentes, dicuntur luxati,

xati, & omnis delitiarum exceſſus, luxus, & luxuria dicitur. Contra quod vitium, ſcribendi promptam, & paratam ad ſatyram, dicitur habere Muſam.

PRANDIA regum paraphraſtice ſic deſcribitur Tragœdia, in qua communiter atrocia facinora, ſceleraque truculenta, odia, cædeſq; regum, repreſentantur, & multoties patres, filiorum deuorantes carnes. Et de his nunc ſpecialiter intelligit, quum nominat prandia Regum, Terei videlicet, & Atrei, de quibus dicemus ad illa verba ſatyræ 5. verſu 8. Si quibus, aut Prognes, aut ſi quibus olla Thyeſtæ, Feruebit.

ECCE modo Heroas ſenſus afferre videmus nugari ſolitos Græce, nec ponere lucos artifices, nec rus ſaturum laudare, ubi corbes, & focus & porci, & fumoſa Palilia fœno, unde Remus, ſulcoque terens dentalia Quinti, quum trepida ante boues dictatorem induit uxor, & tua aratra domum lictor tulit, euge poeta. Verba iſta Perſio tribui poſſunt. Expoſita ſiquidem ventoſa grandiloquentia, quam affectabant inepti ſublimitatis amatores, nunc aperit cauſam eius vanitatis, eam aſſerens manare ex praua inſtitutione. Nam quum ſublimitas ſit conſummata perfectio artis oratoriæ, vt diximus in Inſtit. Orat. lib. 3. Tract. 4. cap. I. perperam faciebant, qui minus exercitatis adoleſcétibus, ſtyli proponebant magnitudinem, vt tunc aſſequendam, contra illud Horatij ad Piſones pręcipientis, metiri vires, priuſquam opus aggrediaris.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æptam

Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent
Quid ualeāt humeri, Cui lecta potēter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Sic Propertius ſcribens Mecenati, ait libro 3. elegia 7.

Mecenas eques Etruſco de ſanguine regum
Intra fortunam, qui cupis eſſe tuam
Quid me ſcribendi tam uaſtū mittis in ęquorę
Non ſunt apta meæ grandia uerba rati
Turpe eſt, quod nequeas capiti committere pondus,
Et preſſum inflexo mox dare terga genu
Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta
Fama nec ex æquo ducitur ulla iugo.

Et hinc exeādeſcit poeta, quod homines adeo ſuæ buccæ menſuram neſciant, vt quum nec latine congruè loqui ſciant, Græcè vbique perſtrepant, & quum nec mediocrem dicendi calleant characterem, ſublimem affectent. Cui indignationi fermentum acceſſit ex eo, quod à ſe reprehenſi, ignorantes minima, vt, exhibere rerum naturalium deſcriptionem, conabantur ad grandiloquentiam, cui par eſſe vix omniſcius poteſt. Ait ergo: Ecce modo Heroas ſenſus, vbi primitiuum poſuit pro deriuato, ſicut etiam infra verſu 129. Italo pro Italico, *ſeſe aliquem credens Italo, quod honore ſupinus.* Sic Virgilius 2. Æneidos verſu 103.

Iamdudum ſumite pœnas
Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridæ.

Nam Ithacus poſitus eſt pro Ithacenſis, & ita hic ſenſus heroas poſiti ſunt, pro heroicis. Quamuis autem videatur debuiſſe dicere he-

roos, vt legimus apud Statium in Epicedio patris lib.5. ſiluarum verſu 98.

Et quis laſciua uires tenuare Thalia
Dulce, uel heroos greſſu truncare tenores.

Nihil tamen mutamus, quum heroas in omnibus legatur codicibus. Sunt autem ſenſus heroici, ſublimes, & heroibus digni. Heroes autem dicebantur viri illuſtres, & qui, mortales quum fuiſſent, rerum geſtarum magnitudine, ac ſplendore, proxime ad Deos acceſſerunt, talemque de ſe poſteris opinionem reliquerunt, tamquam in Deorum numerum fuiſſent relati. Tales habiti fuerunt orti parentum altero immortali, vt Bacchus, Hercules, Perſeus, & alij. Quamquam quod dictum eſt de alterius parentis immortalitate, à mulieribus fictum credatur, ad adulterorum turpitudinem tegendam. Lucianus illum dicit eſſe heroem, qui quum nec Deus ſit, nec homo, homo ſimul eſt, & Deus. Vlyſſem tamen, quamuis nullo parente proximo immortali genitum, heroem dicit Ouid. 13. Metam.

Finierat Telamone ſatus, uulgique ſecutum
Vltima murmur erat, donec Laertius Heros
Adſtitit, atq; oculos paullum tellure moratos
Suſtulit ad proceres.

Hinc quilibet excellenti virtute præditus, & illuſtris, Heros nominatur, vnde Horatius Piſonibus ſcribit:

Intererit multũ, Dauus ne loquatur an Heros.

Dicitur autem Heros, vel ab Hera, nempe Iunone, vt tradit Auguſtinus de Ciuitate Deí lib. 10. cap. 21. quia Iunonis nomine aerem intelligebant, heroes autem dicebant poſt

obitum in aere cum dęmonibus habitare :
Vel iuxta Seruium ad Eclogam 4. Virgilij:
Heroas quidam à terra dictos volunt, quod
terra ἔρα dicta ſit, vnde initio nati creduntur
homines, qui nomen à matre traxerunt. Ex
quo Martianus Capella lib. 2. ait: A medieta-
te aeris, vſque in montium terræque confinia,
hemithei, heroeſque verſantur, qui ex eo,
quod ἔραν, terram veteres dixerunt, heroes
nuncupati. At Plato in Cratylo, ſic fabulan-
tes Socratem inducit, & Hermogenem. S. ἥρως
quid ſignificat? id nequaquam inuentu diffici-
le, paulo enim heroum nomen ab origine di-
ſtat, indicans generationem illorum ἀπὸ τῶς
ἔρωτος manaſſe. H. Qua ratione id ais? S.
An ignoras ſemideos heroas eſſe? H. Quid tũ?
S. Omnes vtique heroes, vel ex amore Deo-
rum erga mulieres humanas, vel ex amore vi-
rorum erga Deas, ſunt geniti. Præterea ſi hoc
ſecundum Priſcam Atticorum linguam conſi-
deraueris, magis intelliges: reperies enim
quod pauliſper mutatum eſt nominis gratia
ex ἔρωτος, vnde ſunt heroes geniti: quodue,
aut hinc heroum nomen eſt ductum, aut ex
eo, quod ſapientes, rhetoreſque fuerunt, fa-
cundi videlicet, & ad interrogandum, diſſe-
rendumque promptiſſimi, εἴρειν namque di-
cere eſt. Quare, vt modo dicebamus, Attica
voce heroes rhetores quidam, & diſputato-
res, & amatorij videntur: vnde rhetorumque
ſophiſtarumque genus, heroica proles exi-
ſtit.] Vel ſic dicti ab ἔρω τῆς ἀρετῆς, ideſt
ab amore virtutis, mutata videlicet vocali
tenui in aſpiratam, ſiquidem heroibus excel-
len-

lentiſſimæ tribuebantur virtutes, vt earum merito Diuinitatẽ conſecuti dicerentur. Præter enim virtutes ciuiles, ſeu politicas, quæ paſſim inueniuntur in hominibus, aliæ ſunt tranſeuntium ad Diuinam ſimilitudinem, vt ait D. Thomas 1.2. q.61. a.5. o. [Quædam ſunt virtutes tranſeuntium, & in Diuinam ſimilitudinem tendẽtium, & hæ vocantur virtutes purgatoriæ, ita ſcilicet, quod prudentia omnia mundana, Diuinorum cõtemplatione, deſpiciat, omnemque animæ cogitationem in Diuina ſola dirigat. Temperantia vero relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis vſus requirit. Fortitudinis autem eſt, vt anima non terreatur propter exceſſum à corpore, & acceſſum ad ſuperna. Iuſtitia vero eſt, vt tota anima conſentiat ad huiuſmodi propoſiti viam. Quædam vero ſunt virtutes iam aſſequentium Diuinam ſimilitudinem, quæ vocantur virtutes iam purgati animi: ita ſcilicet, quod prudentia, ſola Diuina intueatur: Temperãtia terrenas cupiditates neſciat, Fortitudo paſſiones ignoret, Iuſtitia cum Diuina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus eſſe beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſſimorum. Et idem D. Thomas in diſputat. de Veritate q.26. ar.7. ad 6. ait: quod illi, qui habent virtutes purgãti animi, ſunt aliquò modo immunes à paſſionibus inclinãtibus ad contrarium eius, quod elegit virtus, & iterum à paſſionibus inducentibus voluntatem, non autem à paſſionibus voluntatem conſequentibus. Et iterum eadem q.26. a.2. ait, quod ſecundum

cundum Stoicorum ſententiam, Macrobius, & Plotinus dicũt paſſiones cũ virtutibus purgati animi nõ eſſe, non quia nõ ſint áliqui ſubiti motus paſſionum in huiuſmodi virtuoſis, ſed quia nec rationẽ trahunt, nec adeo vehemẽtes ſunt, quod pacem multũ perturbent, ſecundũ quod Philoſophus dicit in 7. Ethicorum, quod concupiſcentię in temperatis non ſunt fortes, ſicut in continentibus, quamuis in neutris ratio ad conſenſum trahatur. Vel poteſt dici, & melius, quod quum huiuſmodi paſſiones ex bono, & malo oriantur, diſtinguendæ ſunt ſecundum differentiam bonorum, & malorum. Sunt enim quædam bona, & mala naturalia, ſicut cibus, potus, ſanitas, vel ægritudo corporis, & alia huiuſmodi: quædam vero non naturalia, ſicut diuitię, honores, & alia huiuſmodi, circa quæ vita ciuilis verſatur. Diſtinguunt autem Plotinus, & Macrobius, virtutes purgati animi contra virtutes politicas. Ex quo patet, quod virtutes purgati animi ponuntur in illis, qui totaliter ſunt à ciuili conuerſatione remoti, ſoli contemplationi ſapientiæ vacantes; & ideo in eis non ſequuntur aliquæ paſſiones ex bonis, vel malis ciuilibus: non tamen ſunt immunes ab illis paſſionibus, quæ ſequuntur bona, vel mala naturalia.] Et hæ virtutes tendentium, vel aſſecutorum Diuinam ſimilitudinem, heroicæ, quaſi heroum propriæ, appellantur.

AFFERRE videmus. Quid dixeris Caſaubono, contra exemplariorum omnium fidem (ipſomet etiam teſte) legenti, *Afferre dicemus*: tantum, vt verba iſta tradat patribus, quaſi

quaſi iubeant hi, rhetoribus vt in ſublimi dicendi genere filios, & alumnos exerceant. At nos autoris verba interpretamur, non corrumpimus, aut ad noſtrum detorquemus ſenſum, ideo retinemus verbum *Videmus*, maximèque quum ſupra verſ. 19. dixerit: *Hic neq; more probo videas*. Et infra verſu 80. *Hos pueris, monitus patres infundere lippos quum videas*. Sunt enim verba poetæ ſtomachantis, non vero patris præcipientis. Vnde Cornutus in expoſitione huius loci ait: *Videmus eos, qui hoc tantum ſciunt, Græcas nugas componere, velle fortes, & nobiles ſenſus carminibus pangere, quum neque vilia, & agreſtia, carmine apti ſint explicare.*

NVGARI ſolitos Græcè. Illi qui olim vix Græcorum nugas tractare didicerant, indignum eſſe ait, ſi nunc ſublimem dicendi affectent characterem. Tribuuntur autem Græcis nugæ, vel quia, quum à maiorum ſuorum virtute bellica defeciſſent, ſe ad ſtudia litterarum contulerant, & eloquentiam, in quibus adeo profecerant, vt nationes cæteras (ne Romana quidem dempta) deſpicerent ceu barbaras. Itaque quum Romani ex operibus, Græci ex verbis gloriam captabant: & quia verba præ rebus, nugæ, & ineptiæ iudicantur, Græci, talibus ſtudentes, nugas agere dicti: ideoque Romani, vt populus Martialis, ne Græcos aliquando imitarētur, &, omiſſo facere, dicere aſſumerent, varijs temporibus, per multa Senatusconſulta, Græcos Vrbe expulerunt. Sed non eſt nunc ſermo de nugis in hoc ſenſu, ponuntur enim, vt oppo-

ſitæ

ſitæ ſenſui heroico: at hic, quantumcumque ſublimis, verbis exprimitur: verba autem ad facta comparata, ſemper nugæ ſunt. Vel Græcarum nugarũ nomine, verba intelligit Græca, quibus nonnulli ſua infarciunt poemata, ad ea reddenda concinniora. Sed non video quomodo hinc tranſitus fieri poſſit ad heroas ſenſus. Alij Græcarum nugarum nomine, putida intelligunt mendacia, quibus ſcatebant Græcorum ſcripta. Vnde Cicero pro Flacco inquit: *Hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis litteras, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtim oniorum religionem, & fidem, numquam iſta natio coluit, totiuſque huiuſce rei, quæ ſit vis, quæ autoritas, quod pondus, ignorant. Vnde illud eſt, Da mihi teſtimonium mutuum: num Gallorum? num Hiſpanorum putatur? totum iſtud Græcorum eſt, vt etiam qui Græcè neſciunt, hoc, quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciant.* Et pro Milone Græcos nugas nominat, quum de Clodio loquens, ait: *Semper ille antea cum vxore, tum ſine ea: numquam non in rheda, tum in equo: Comites Græculi quocumque ibat, etiam quum in caſtra Etruſca properabat, tum nugarum in comitatu nihil.* Idem Latini paſſim ſenſerunt, & inter alios Lactantius lib. 1. de falſa Religione cap. 19. *Hæc Græcorum fortaſſe culpa, qui res leuiſſimas pro maximis ſemper habuerunt.* Nulla ergo fides habebatur Græcis, adeo vt eorum hiſtoriæ, mythicæ plurimum habeantur: contractus etiam fallaces, adeo vt in prouer-

uerbium abierit *Mercari Græca fide*, quo vſus Plautus Aſinaria Actu 1. ſcena 3. Vel Græcas nugas, à quibus factum tranſitum ad ſenſus heroicos, intelligit prima litterarum rudimenta. Auſpicabantur ſiquidem, etiam Latini, ſtudia litterarum ab elementis Græcis, iuxta illud Quintiliani. A ſermone Græco puerum incipere malo: quia Latinus, qui pluribus in vſu eſt, vel nobis nolentibus, ſe perhibet: ſi nul quia diſciplinis quoque Græcis prius inſtituendus eſt, vnde & noſtræ fluxerunt. Non tamen hoc adeo ſuperſtitioſe velim fieri, vt diu Græce tantum loquatur, aut diſcat, ſicut pleriſque moris eſt. Et ita nunc afferre ſenſus heroas illos, qui ſoliti fuerant nugari Græce, eſt, illos qui vix primis litterarum rudimentis erant imbuti, ſtatim ad ſublime eloquentiæ faſtigium tranſilire, quod merito indignationem ciet.

NEC ponere lucos, ideſt nec ſcire rationem laudandi, aut deſcribendi nemus, Ponere propriè eſt collocare, aut conſtituere. Sic Plinius ait lib. 9. cap. 35. *Ex præcepto, miniſtri vnum tantum vas ante eam poſuere aceti, cuius aſperitas viſque, in tabem margaritas reſoluit*. Et Seneca de Conſolatione ad Marciam cap. 3. *Illum ipſum iuuenem digniſſimum quiete, ſemper nominatum, cogitatumque facies, & meliori pones loco, ſi matri ſuæ, qualis viuus ſolebat, hilaris, & cum gaudio occurrat*. Sic Ouidius lib. 1. Triſtium elegia 6.

Hæc ego diſcedens, ſicut bona multa meorum,
Ipſe mea poſui mæſtus in igne manu.

At aliquando ponere eſt erigere, ſiue ædificare:

re: ſic in monumentis legimus D.M.P. vel lacrymans P. Sic Virgilius 1. Ænæid. verſ. 267.

Bellum ingens geret Italia, populoſque feroces
Contundet, moreſque viris, & mœnia ponet.

Significat etiam ceſſare, deſinere, & deponere, nam ceſſando, ponere videmur quod agebamus, & ſic dicimur ponere iram &c. Sic Virgilius 1. Æneidos verſu 305.

Lybiæ citius adſtitit oris,
Et iam iuſſa facit, ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente Deo.

Sæpe etiam eſt pingere, ſculpere, aut dedicare: & hic ponere Deorum, vel hominum ſtatuas, vultus, aut ſimulachra, eſt eos effigiatos reddere. Sumitur etiam pro ſcribere, ſicut infra ſatyra 5. verſu 3. dicet:

Fabula ſeu mæſto ponatur hianda tragœdo,

pro quo, reponere dixit Horatius ad Piſones.

Scriptor, honoratum ſi forte reponis Achillem.

Sic Iuuenalis ſatyra 1. verſu 1.

Sēper ego auditor tantū ? numquā ne reponā?

Et hoc modo nunc ponere lucum eſt, deſcribere eius delicias, commoda, & vtilitates.

LVCVS dicebatur locus arboribus conſitus, Deorum alicui, vel hominis cineribus conſacratus, ideoque circa Deorum delubra, vel hominum ſepulchra videbatur. Et quum arbores in eo conſitæ, eſſent Numinibus conſacratæ, nefas, & ſacrilegum putabatur aliquam ex illis excindere, ideoque plantæ creſcentes, ſua opacitate terrorem incutiebant accedentibus, quem nonnihil augebat præſentia dæmonum, Faunorum, Siluanorum, Driadarum, Amadriadarum, & ſimilium porten-

tentorum, quæ ſæpe ibi videbantur. Inde lucus dictus per antiphraſim à non lucendo: nam quum eſſet opaciſſimus, nequibant ſolares radij ipſum penetrare ad colluſtrandum, atque adeo lucis expers, & tenebroſus perpetuo erat. Vel dicebatur lucu, à luminibus ſacrificiorum, quæ, nocturno tempore, in eo fiebant. Talis apud Virg 1 Æneid. verſ. 445.

Lucus in Vrbe fuit media, lætiſſimus vmbra.

Et idem lib. 6 Æneidos verſu 673.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Et 9. Æneidos verſu 3.

luco tum forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.

Vanam porro exiſtimo differentiam templi, phani, delubri, ſacelli, & luci, quam ponit Cornelius Fronto, libro de vocabulorum differentij, dum aſſerit fanum eſſe locum Fauno conſacratum: Templum eſſe tantum in ſolo augurato: ſacellum, paruum ædificium in honorem Deorum: delubrum, quia pericula in eo diluantur: lucum denique quod fulmine ictus fuerit. Nam quum tam Dianæ Epheſiæ, quam veri Dei templum Hieroſolymitanum, phana, & delubra legamus appellata, & quæ dicimus de luco, euincant non requiri ad ipſum, locum eſſe fulmine tactum, nullas puto has differentias, quod & antiquorum teſtimonijs poſſem euincere, ni pigeret toties extra chorum canere. Plautius etiam aſſerit, lucos omnes eſſe Marti conſacratos, ait enim in commentarijs huius loci; Plures fuerunt luci, poetarum carminibus celebrati, quos omnes Marti, quem primum, armis fabricatis, ar-

maſſe

maſſe milites, pugnandiq; ac certandi morem induxiſſe ferunt, gentilitas conſecrauit. Fuit enim lucus Martis ad Albam, in quo Rhea Numitoris filia peperit Romulum, & Remum vrbis conditores. Lucus item Martis Athenis Areopagus dictus, vbi, teſte Polluce, iudicia cædis, vulnerum, & veneficiorum per populum exerceri ſolita ſunt, noctu & in tenebris, ne ad dicentes, ſed ad ea quæ dicerentur, reſpicerent. Fuit & lucus Martis in Ponto, vbi erat vellus aureum. Verum præter hos lucos, forte Marti ſacratos, alij fuerunt alijs Dijs ſacri, vt illi quos numero multitudinis appellat Cicero pro Milone: *Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos inquam imploro, atque obteſtor.* Et Plautus Aulul. Actu 4 ſc. 2.

Vide fides, etiam, atque etiam nunc ſaluam, vt aulam abs te auferam.

Tuę fidei concredidi aurum, in tuo luco, & phano modo eſt ſitum.

Et eiuſdem fabulæ Actu 4. ſcena 3.

Siluani lucus extra murum eſt auius,
Crebro ſalicto oppletus, ibi ſumam locum:
Certum eſt, Siluano potius credā, quam fidei.

Et eadem fabula Actu 4. ſcena 6.

illam ex Siluani luco, quam abſtuleras cedo.

Plutarchus etiam in Camillo meminit Luci Petilij, quem aſſerit extitiſſe prope Vrbem, alioſque multos ab authoribus memoratos poſſem proferre, alijs quam Marti conſacratos: ſed nunc luci nomen generalius accipitur pro quocumq; nemore, laudando à tyronibus.

ARTIFICES dicebantur aliquam callentes, & exercentes artem, ita dicti, quod arte quid-

quidpiam faciant. Feſtus vult artifices dictos, quod per artus exerceantur: vel quod opera arctent, & adſtringant: quod ſi verum foret, ſolæ mechanicæ dicerentur artes. Vniuerſalius ergo artifex dicetur, qui artem callet. Ars autem eſt congeries ſimilium operationum, quæ referri poſſunt ad aliquem finem vitæ cõmodum: & eſt tam theorica, vt Arithmetrica, Geometria, & reliquæ liberales: quã practica, vt ſaltandi, agricolandi, nauigandi. Verum hic artifices dicti ſunt tyrones illi, qui quum nec lucum deſcribere idonei forent, ſenſus conabantur exprimere heroicos. Pueri ſiquidem è Grammaticæ prodeuntes ludo, & Rhetorum ſcholas ingreſſi, ſtilum exercere iubebantur circa narrationes, deſcriptioneſq; lucorum, & aliarum rerum naturalium, quarum argumenta, ex hiſtorijs petita, ſibi à præceptoribus proponebantur. Hic autem de quo nunc eſt ſermo, quum nondum in hoc profeciſſet, ad heroa tranſibat.

NEC rus ſaturum laudare. Rus eſt prædium ruſticum, quod eſto Varro lib. 4 de lingua Latina, putet dictum ex eo, quod, vt ex illo fructus haberi poſſint, rurſum & quotannis eadem circa illud ſint facienda, colendo, & ſerendo, melius tamen deriuabitur ex Græco ἄρουρα abiecta prima vocali. Sic Horatius lib. 1. epiſtola 10.

Vrbis amatorem Fuſcum ſaluere iubemus
Ruris amatores.

Et infra eadem epiſtola.

Ego laudo ruris amœni
Riuos, & muſco circumlita ſaxa, nemuſque.

Et

Et eodem libro 1. epiſtola 14.

Rure ego viuentem, tu dicis in vrbe beatum.

Sic Virgilius 3. Georg. verſu 324.

Luciferi primo cum ſidere, frigida rura
Carpamus.

Sic Plautus Aſinaria Actu 2. ſcena 2.

Leonida. *Ipſos qui ſubuectabant rure huc virgas vlmeas.*

Libanus. *Teneo, atque ijdem te hinc vexerunt vinctum rus.*

Et de rure in hoc ſenſu eſt nunc ſermo, quod denominatum eſt ſaturum, quia foret refertum omnibus rebus ad vitam neceſſarijs, tam agricolarum, quam dominorum. Quamuis autem ſaturum propriè dicatur de ipſo rure, (nam eſt à verbo ſero) quando eſt iam ſatum, vel ſaturæ præparatum: tamen quia ex ruris ſatura, nempe ex fructibus inde prouenturis, expleri, & ſaturari poterunt omnes, tam ruſtici, quam vrbani, inde iſti, quum fructibus, & cibis quibuſcumque repleti fuerint, ſaturi dicti ſunt, metaphora ex agris ducta, ſed acceptio iſta metaphorica, vſu pro propria recepta eſt. Sic dicente Medico apud Plautum Menech Act. 5. ſcen. 5.

Dic mihi, an vnquam tibi inteſtina crepent, quod ſentias?

Menechmis. *Vbi ſatur ſum, nulla crepitant, quando eſurio tunc crepant.*

Sic Virgilius Ecloga 10. verſ. 77.

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Et iuxta hanc metaphoricam acceptionem, ducta eſt alia translatio ab homine, cibis, & voluptatibus, aut alia re expleto, ad idem rus, quod

quod tunc eſt expletum, quando ei ſuppetunt omnia ruſticæ vitæ commoda, vt ædes, præſepia, caulæ, haræ, boues, iumenta, aſini, porci, gallinæ; deinde agricolationis inſtrumenta, vt vomeres, aratra, ligones, ſarculi, & alia, quæ hic intelliguntur, quum generaliter nominatur rus ſaturum: ſed ſpecialiter aliquorum fit mentio, vt corbium, foci, & porcorum.

VBI CORBES. Corbis, generis tam maſculini, quam fœminei, vas eſt è viminibus factũ, (caniſtrum alij vocant) cuiuſmodi vaſa, quatuor ſaltem habere ruſticum, volebat Cato: in eas corbes conijcimus fructus omnis generis, pyros, mala, nuces, & alios, vt domum referantur: & ita ſunt ruris inſtrumenta.

ET FOCVS. Focus eſt locus vbi nutritur, & ſeruatur ignis, ſic dictus à fouendo, quod ignem foueat, & conſeruet. Vel quod foueat, ideſt calefaciat circumſtantes. Sic Plautus prologo Aululariæ:

Auri theſaurum, clam omnes, in medio foco
Defodit.

Sic Ouidius lib. 6 Faſtorum.

At focus à flãmis, et quod foueat omnia dictus;
Qui tamen in primis ædibus ante fuit.

Et Tibullus lib. 1. eleg. 1.

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.

Quandoque per ſenecdochen partis pro toto, focus ponitur pro tota domo priuata: ſicut, per eamdem figuram, ara ponitur pro templo. Et ita Plautus Amphitruone Actu 1. ſc. 1.

Conuenit, victi vtri ſint eo prælio,
Vrbem, agrum, aras, focos, ſeq; vti dederent.

Hic tamen foci nomine intelligitur tam locus ignem fouens, quam domus, pro domino, & agricolis præparata.

ET porci. Porcus eſt ſus domeſticus, ſicut aper eſt ſus ferus: vt ſus ſit veluti genus ad aprum, & porcum, eſto iſti non videantur differre ſpecie, vnde nec ſus eſt propriè genus. Vnde Martialis lib. 14. diſticho 63.

Iſte tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter ſpumantes ilice paſtus apros.

Et Cato apud Ciceronem de ſenectute inquit: *Villa tota locuples eſt, abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caſeo, & melle.* Monent authores rei ruſticæ, habendos eſſe porcos in villis, vbi ex herbarum radicibus, cæteriſque ex agris prouenientibus, nullis fere dominorum expenſis, abundè nutriuntur: & deinde, carnibus, non parum adferunt adiumenti victui colonorum, & agricolarum. Dictus eſt autem porcus, eo quod porrecto rictu paſcatur; vel eo, quod procul terram proſcindat, dum herbarum rimatur radices.

ET fumoſa Palilia fœno. Palilia, feſta erant, & ludi à Romanis celebrari ſoliti xj Kal. Maij in honorem Palis Deæ paſtorum, quæ eadem credebatur cum Veſta, aut Berecynthia, vel Cybele matre Deorum: indeq; vt à Pale, ſcribebantur per L, Palilia. Sed quia fiebant etiã pro impetranda agrorum fertilitate, & pro fœtura, & partu pecorum, inde à quibuſdam, à partu, Parilia dicebantur: ab alijs etiam Parilia, ſed ab Ilia matre Romuli, & Remi, quaſi partus Iliæ. Hinc Ouid. 4. Faſtorum.

Quæ precor eueniãt, & nos faciamus ad annũ,

Pa-

Paſtorum Dominæ grandia liba Pali
His Dea placãda eſt, hæc tu, cõuerſus ad ortus,
Dic quater, & viuo perlue rore manus.
Tum licet, appoſita veluti cratere camella,
Lac niueum potes, purpureamque ſapam,
Moxq; per ardentes ſtipulæ crepitãtis aceruos,
Traÿcias celeri ſtrenua membra pede.

Sic Propertius lib. 4. elegia 1.

Nulla cura fuit externos quærere Diuos,
Quum tremeret patrio pendula turba ſacro,
Annuaque accenſo celebrare Palilia fæno.

Et idem lib. 4. elegia 4.

Vrbi feſtus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cæpit mœnibus eſſe dies.
Annua paſtorum conuiuia, luſus in Vrbe,
Quum pagana madent fercula diuitÿs,
Quumq; ſuper raros fæni flammantis aceruos
Traÿcit immundas ebria turba dapes.

Vides ergo feſtum iſtud ſollemne fuiſſe Romæ, nedum ob Romuli natalem, ſed quia eadem die, Vrbs ipſa cœpta erat ædificari. Celebrabatur autem à Paſtoribus, quia Vrbis conditores Romulus, & Remus, paſtores, & inter paſtores nutriti fuerãt. Et erant feſta inſtituta ad arcendos lupos, morboſq; à pecore, & paſtoribus. In his feſtis nulla cędebatur victima, putabant enim ea pura à ſanguine eſſe debere, ideoq; lac tantum, & ſapam conuenire putabant: conſtruebant etiam ignes ex paleis, fœno, ſtramentis, alijſq; quiſquilijs, quos accenſos leui ſaltu traijciebant, qua ratione ſeipſos purgare, expiare delicta, morbos auertere, & Deam placare credebant. Quem morem ignem tranſiliendi, inter Chriſtianos adhuc

ſuperſtitem, vt idololatriæ reliquias prohibuit Concilium Trullenſe, nempe Conſtantinopolitanum tertium, & Generale ſextum, ſub Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Imperatore celebratum anno 680. nam canone 65. ibi dicitur: [Qui in nouilunijs, à quibuſdam ante ſuas Officinas, & domos accenduntur, rogos, ſupra quos etiam, antiqua quadam conſuetudine, ſalire inepte, ac delire ſolent, iubemus deinceps ceſſare. Quiſquis ergo tale quid fecerit, ſi ſit quidem clericus, deponatur: ſin autem laicus, ſegregetur. In 4. enim libro Regum ſcriptum eſt: Et ædificauit Manaſſes altare vniuerſæ militiæ cœli, in duobus atrijs domus Dei, & filios ſuos traduxit per ignem, ſortibuſque & augurijs, auſpicijſque vſus eſt, & fecit ventriloquos, ſeu pythones, & diuinatores multiplicauit, vt faceret malum coram Domino, vt eum ad iram prouocaret.] Quia ergo tali die ignis fiebat ex ſtipulis, & fœno, fumum excitante, inde hæc feſta denominata ſunt fumoſa.

VNDE Remus. Ad cuiuslibet loci laudem pertinet, ſi quid in eo memorabile geſtum fuerit, ideo bene hic inducitur hiſtoria Remi, & Cincinnatis, qui ruri vixerunt. Reprehenditur tamen talis deſcriptio, qua memorantur corbes, porci, & Palilia, omiſſis veris, & ſubſtantialibus agrorum laudibus, nempe fertilitate olei, vini, frumenti, & ſimilium: & etiam quia nimium excurrebat in narratione originis Remi, & Cincinnatis. Remi autem meminit, forte vt ignobilitatem obijceret Romanis, ortis ex paſtoribus, exulibus, obæratis, &

peſ-

peſſimæ frugis hominibus. Remi ergo hiſtoria ſic ſe habet. Amulius, Procæ Albanorum Regis, minor natu filius, ſed ingenij præferocis, & auidi dominationis, Numitorem fratrem natu maiorem, Albano expulerat Regno, &, quo ſuis poſteris Regni firmaret ſucceſſionem, Lauſum eiuſdem Numitoris maſculam prolem, per inſidias in venatione interfici curauerat, Iliam vero illiuſmet filiam, prætextu honoris, Veſtalem, adempta nuptiarum ſpe, per obligationem ſeruandæ virginitatis, conſecrauerat. At Ilia, ſiue ab aliquo ex eius procis, ſiue ab ipſo patruo Amulio, non tam libidinis, quam inſidiarum cauſa, vt multi crediderunt, & refert Dionyſius Halicarnaſſæus Antiquitatum Romanarum lib. 1. cap. 10. ſiue, vt illa excuſabat, à Marte per vim compreſſa, duos enixa eſt paruulos: quapropter rea ſacrilegij, & voti virginitatis violati, à patruo damnata, in Tyberis ripa, viua defoſſa eſt. Sed Dionyſius loco citato refert, Amulium propriæ ipſius filiæ precibus motum, ei vitam donaſſe, ſub perpetuo tamen carcere tranſigendam. Paruuli vero in eiuſdem fluminis alueum mergi iuſſi ſunt. Verum quum is, cui ferale flagitium fuerat commiſſum, fluuium comperiſſet extra ripam vagantem, indeq; impediretur ad iuſtum amnis curſum peruenire, ſat habuit eos in profluentem aquam mergendos proijcere. Verum aqua paulatim decreſcens, illos depoſuit eo loco fori Romani, ſeu Boarij, vbi olim ficus, & laurus ruminalis extitiſſe narrantur. Ibique à Fauſtulo Regij pecoris magiſtro inuenti: eſto,

ob vulgatum Regis mandatum, certus eſſet, qui nam forent præſtantis adeo formæ infantes, ſeruare nihilominus eos conſtituit, Larentiæque vxoris (quæ non ita pridem Lucinam paſſa, tunc forte orba erat) vberibus tradidit nutriendos. Quæ Larentia, eo quod corpus vulgauerat, Lupa inter paſtores audiebat (ſic enim ſcorta omnia dicebantur, vnde etiam nunc talium officinæ lupanaria dicuntur) indeque factus fabulæ locus, vt hi gemini à fera lupa nutriti crederentur. Educati ergo in Palatino, vbi nũc sũt horti Farneſiani, appellatiq; eorũ vnus Romulus, alter Remus, Fauſtuli, & Larentiæ filij habebantur. Sed quũ aliquando adoleuiſſent, facta eſt contẽtio inter paſtores gregum Amulij, & Numitoris, in qua ipſi cum Fauſtulo, putato eorum patre, Regij pecoris magiſtro, Numitoris ſeruos, & paſtores, contumelijs verberibuſq; affecerunt. Quare à Regijs ſatellitibus comprehenſus Remus (Romulus enim fuga elapſus fuerat) & ad Regem perductus, atque ab eo Numitori remiſſus, vt de ipſo, in ſatisfactionem iniuriarum, quibus, in perſonis ſuorum paſtorum, fuerat affectus, ſupplicium ſumeret, Numitor oblectatus adoleſcentis aſpectu, & magnanimitate, miranſque vnde tanta oris dignitas inter paſtores, & in ſiluis eſſe poſſet, ſuperuenit Fauſtulus cum Romulo. Is vero cogitãs opportunum iam tempus aduenisse, detegendi alumnis, & Numitori, quinam forent, & quomodo eos habuiſſet & ſeruaſſet, totam rei pandit hiſtoriam, alueum etiam exhibens in quo expoſiti fuerant. Id vt fratres cognouerunt,

uerunt, illico, collecta paſtorum manu, Amulium, totamque eius progeniem necauerunt, Numitoremque Regem Albanorum eſſe iuſſerunt. Ipſi, vt erant ſiluis, & nemoribus aſſueti, collecta paſtorum, inopum, æratorum, aliorumque facinoroſorum, & exulum turba, de nouo Regno ſibi conſtituendo cogitare cœperunt. Et quum in montibus Palatino, Capitolino, & Viminali caſas ſibi, & congregatæ multitudini conſtruxiſſent, controuerſia orta eſt, vter eorum nouę Ciuitati nomen dare deberet: & quum hęc nequiret ſolui ætatis prærogatiua, nec magnitudine rerum geſtarum, ſiquidem hæc paria erant in ambobus, placuit eam augurio terminare: ad quod captandum, quum Remus Auentinum conſcendiſſet, primus ſex vidit volantes vultures, deinde Romulus ex ipſo Palatino, duodecim aſpexit. Itaq; victor augurio Romulus, Ciuitati mœnia, & nomen imponere debebat. Sed quum vallum deſignaſſet, Remus, qui ægre ferebat ſe à fratre ſuperatum, deridens valli anguſtias, ſaltu illud tranſiliuit: quapropter, iuxta Liuium lib. 1. cap. 7. ab irato Romulo, cum verbis increpitantibus, dicente: *Sic deinde quicumq; alius tranſiliet mœnia mea, necatus eſt*. Ouidius tamen lib. 4. Faſtorum vult, non à Romulo, ſed à Celere, eius Tribuno militari interfectum, nam ait:

Augurio læti, iaciunt fundamina ciues,
Et nouus, exiguo tempore murus erat
Hoc Celer vrget opus, quem Romulus ipſe vocarat,
Sintque Celer curæ dixerat, iſta tuæ

Neue quis, aut muros, aut factā vomere terrā
Tranſeat, audentem talia dede neci,
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cæpit, &, His populus, dicere, tutus erit?
Nec mora tranſiluit, retro Celer occupat auſū
Ille premit duram ſanguinolentus humum
Hæc vbi Rex didicit, lacrymas introrſus obortas
Deuorat, & clauſum pectore vulnus habet
Flere palam non vult, exemplaq; fortia ſeruat,
Sicque meos muros tranſeat hoſtis ait,

Et ipſemet Remus apud eumdem Ouidium, ſic loquitur lib. 5. Faſtorum.

Quem lupa ſeruauit, manus hunc temeraria ciuis
Perdidit, ò quanto mitior illa fuit!
Sæue Celer, crudelem animam per vulnera reddas;
Vtque ego, ſub terras ſanguinolentus eas
Noluit hoc frater, pietas æqualis in illo eſt,
Quod potuit, lacrymas in mea fata dedit.

Itaque interfecto Remo, Romulus ſolus mœnia, & nomen impoſuit Vrbi. Remus ergo, & per Senecdochen etiam Romulus, ex rure, agro, & ſiluis, vbi à Fauſtulo nutritus fuerat, veniſſe dicitur.

SVLCOQ; terens dentalia Quinti, quū trepida ante boues Dictatorem induit vxor, & tua aratra domū lictor tulit, Euge poeta. Bifariam hęc verba, vna cum ſuperioribus conſtrui poſſunt: primo ſic: Vnde, ex quo rure, Remus, & vxor Quinti, terens dentalia ſulco, quum trepida ante boues induit Dictatorem; & deinde ſermo

mo conuertendus erit ad aliquem ex præſentibus magiſtratibus, illi, inuidiosè dicendo. Et li&ctor tulit tua aratra domum : quod quia di&ctum videbatur magnifice, fit ei plauſus: Euge poeta. Et qui ſic exponunt, aſſerunt, poſitam Raciliam, potius quam Quintium. ſi namq; nõ erat indignũ, Raciliã talem, ac tantam fęminã boues ſequi, & aratrum tra&ctare, minus indignum cenſendum erit, Senatores, & Magiſtratus exercere agriculturam, qua, militiæ laboribus promptiores, & aptiores redduntur. Sed nec verborum ordo cogit ad hunc ſenſum: & hiſtoria non Raciliam, ſed Quintium refert inuentum operi incumbentem, quum ad Di&ctaturam fuit arceſſitus : ideoque ſic ſecundo verba conſtruuntur: Vnde, ex quo rure, Remus, & tu Quinte Cincinnate, terens dentalia ſulco, quum vxor Racilia, trepida ante boues induit te Di&ctatorem, & li&ctor tulit tua aratra domum. Hiſtoriam ſic refert Liuius lib. 3. ab Vrbe Condita cap. 26 Quum L. Quintius Cincinnatus, nudus, puluereque fœdatus, ſeu foſſam aperiens, ſeu burim regens, ruſtico certe operi incumbens, quatuor agri iugera coleret, poſita Tranſtyberim, iuxta eam, quæ ſequenti tempore di&cta fuit Adriani moles, nempe in ea Vaticani parte, quæ prata Quintia, & ſterilia nuncupabantur: & quæ ſola ex omni ſua facultate reliqua ſibi fuerant, compulſus multã ſoluere, ob ſolum verſum à Cæſone filio, ne, Tribunorũ plebis inuidia, damnaretur. Dum igitur terram ipſe ſic operaretur, exercitus Romanus, ſub Conſule L. Minucio, anno ab Vrbe condita circiter 370. ne-

dum male pugnauerat aduerſus Æquos, ſed ab eiſdem obſeſſus in monte Algido (nunc Roccam Papæ dicunt) periculum erat ne occidione deleretur. Quapropter vehementer conſternata Vrbs, nec ſatis habens præſidij in C. Nautio altero Conſule, hunc coegerunt dicere Dictatorem Quintium Cincinnatem, ad quem arceſſendum miſerunt; miſſi vero à Senatu, eum, vt dictum eſt, inuenerunt operi ruſtico incumbentem: qui, poſt datam, redditamque ſalutem, eum rogarunt, quatenus aſſumpta toga, Senatus audire vellet mandata, quæ afferebant. Hinc ipſe, per Raciliam, togam propere è tugurio afferri iuſſit, & abſterſo puluere, ſudoreque, togatus, quæ res illi, Senatui, Populoq; Romano feliciter caderet, Dictator ab illis ſalutatus fuit. Itaque cum eiſdem in Vrbem reuerſus, exercitum conſcripſit, ſequentique die ad bellum proceſſit, hoſteſque adeo deuicit, vt illorum exercitum ſub iugum miſerit, & Gracchum Clœlium eorum Ducem in triumphum abduxerit: & ita ſeruato exercitu cum Minucio Conſule, ſuos milites ingenti ditauit præda. Et niſi inſtaret iudicium periurij aduerſus M. Voluſiũ, quod Tribuni plebis, ſua rogatione erant impedituri, omnibus perfectis, intra quintum diem magiſtratu ſe abdicaſſet, etiam ſi, more ſolito, datus illi fuiſſet ad ſex menſes. Damnato ergo Lanuuium Voluſio, ipſe, ſextodecimo ab acceptata Dictatura die, eam depoſuit, redijtq; rus ad ſementem faciendam, à qua Seranus fuit cognominatus.

TERENS. Terere eſt, fricando, ſeu longo vſu

vſu conſumere, & comminuere. Sic Ouid. lib. 1. de Arte.

Frenaque magnanimi dente teruntur equi.

Et infra eodem lib. 1.

Nec tua mordace pumice crura teras.

Et Virgilius lib. 4. Georg. verſu 114.

Ipſe labore manum duro terat, ipſe feraces
Figat humo plantas.

Et Plautus, loquens de mola piſtrini, ait Aſinaria Actu 1. ſcena 1.

Num me illuc ducis, vbi lapis lapidem terit.

Certe vomer, dum ſulcos aperit, terrã occat, & glebas frangit, vſu ipſo conſumitur.

DENTALIA. Dentale eſt illud lignum, cui, arandi cauſa, vomer inducitur, ſic dictum, iuxta Varronem, à dente, quod eo, & vomere illi inducto, quaſi dente terra moleretur. Sic Virgilius lib. 1. Georgicæ verſu 170.

curui formam accipit vlmus aratri
Huic ſtirpe pedes temo protentus in octo
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorſo.

Sed per Senecdochen partis pro toto, dentale ponitur pro toto aratro à Quintio tractato.

TREPIDA illa dicitur, quæ pedibus conſiſtere nequit; Communiter ſumitur pro pauido, & tremente. Sic, dum plebs Romana rebellaſſet aduerſus Patres, & Volſci, hanc nacti occaſionem, in armis procederent, ſperantes eam vrbem poſſe diripere, ait Liuius lib. 2. cap. 24. *Curia mœſta, ac trepida ancipiti metu, & ab Ciue, & ab hoſte, Seruilium Conſulem, cui ingenium magis populare erat, orare, vt tantis circumuentam terroribus expediret Remp.* Quia vero timentes, greſſus accelerant, trepidus

pro feſtino metaphorice ponitur à Virg. lib. 3 Æneidos verſu 616. dicente:

Hic me, dum trepidi crudelia limina linquũt,
Immemores ſocij, vaſto Cyclopis in antro
Deſeruere.

Et Lucanus lib. 8. Pharſaliæ verſu 661.

Sic fata interque ſuorum
Lapſa manus, rapitur, trepida fugiēte carina.

Et hoc modo Racilia trepida, ideſt feſtina, erat in miniſterio; Niſi mauis fuiſſe trepidam ob rei lætitiam, & nouitatem: nam vt ſperantibus, res quæcumque proſperæ, videntur leuiores, ita nec opinantibus, grauiores: Racilia autem nil minus ſperabat, quam ſuum virum, iam terræ culturæ addictum, ad ſummum Dictaturæ magiſtratum euehendum. Vel trepida ob belli euentum, viro timens ſiniſtra, quum bellum nunciaretur tam graue; vt ei nullus ex Conſulibus, aut Patribus par foret.

DICTATOREM induit vxor. Ioannes Brixienſis, Io: Baptiſta Plautius, & Bartholomęus Fontius legunt: Dictaturam induit vxor, quaſi Racilia Dictaturæ acceperit inſignia, quibus Dictatoris vxor noſceretur. Cæterum nullibi me legiſſe memini, Magiſtratuum, Prætorũ, Conſulum, & Dictatorum vxores, habuiſſe inſignia eas diuerſificantia à priuatis: vnde quũ Dictatorem paſſim in alijs legamus codicibus, lectionem hanc retinemus. Erat autem Dictatura, ſummus Romanæ Reip. & extraordinarius Magiſtratus, qui, niſi quum tempore peſtis ad figendum clauum, vel ad indicenda Comitia pro creandis magiſtratibus, numquã

dice-

dicebatur, niſi extremis, ac periculoſis Reip. temporibus, quum vaſa eſſent fere conclamata, & res perditæ, abſque ſpe auxilij in Conſulibus, aut alijs magiſtratibus. Erat hic magiſtratus authoritate pene regia præditus, niſi quod ad breue ſex meſium tempus concedebatur: L. tamen Sylla ipſum ad plures annos, & C. Cæſar ad vitam retinuit. Habebat ſummum ius, in cuiuſque, etiam Ciuis Romani, caput, nec ab eius ſententia dabatur reclamatio, nec in ea poterat quiſpiam intercedere, vt in ſententijs aliorum magiſtratuum: immo eo vigente, cæteri Curules ſilebant. De eo magiſtratu primum in Vrbe creato anno ipſius 256, ideſt duodecimo poſt exactos reges, refert Dionyſius Halicarnaſſæus excogitatum à Patribus ad plebis tumultuantis terrorem, & ad reſiſtendum conatibus Latinorum, docet enim, antiquitatum Romanarũ lib. 5. cap. 11. Senatum decreuiſſe, conſularem tollere poteſtatem, alium vero magiſtratum cum ſummo imperio creare, belli, & pacis, & omnium aliarum rerum arbitrum, à quo conſiliorum, factorumue rationem repoſcere non liceret. Fuitque tale Senatusconſultum, vt Largius, & Cloelius, qui tum Conſules erant, poteſtatem deponerent, & ſi quis alius magiſtratum gerebat, aut rerum publicarum procurationem habebat: vtque vnus, quem Senatus elegiſſet, & populus ſuis ſuffragijs confirmaſſet, rerum omnium accepta poteſtate, non amplius, quam ſemeſtre tempus imperaret, & maiorem poteſtatem, quam Conſules haberet. Plebs quum ignoraret quamnam vim hoc habe-

be-

beret, Senatusconſultum ratum fecit, (hic autem magiſtratus erat maior, quam dominatio legitima) permiſitque Senatui, vt ipſe per ſe conſultaret, eumque qui imperaturus eſſet eligeret. Narrat deinde, Senatus perplexitatẽ in eligendo vno è duobus Conſulibus Tito Largio Flauio, & Quinto Cloelio Siculo, eſto Largium meliorem eſſe ſentirent, ſed Cloelio diſplicere timebant: tandem in eam venere ſententiam, vt alter ipſorum Conſulum, ſiue ſortito, ſiue vt melius viſum foret, diceret quem mallet, & id ratum per Senatum eſſet. Sed nec ita litigijs finis datus, immo Conſules admirandum quiddam, & præter humanam opinionem fecerunt, vterque enim collegam imperio dignum eſſe dicebat, & totum illum diem conſumpſerunt in recenſendis ab altero alterius laudes, & deprecando imperium. Vnde dimiſſo Senatu, cognati, & honorabiliſſimi Largium ad multam noctem deprecati sũt, oſtendentes ſuam iſtam imperij contemptionem, Reip. eſſe damnoſam. Poſtridie coacto Senatu, quũ Largius adhuc repugnaret, Cloelius ſurgens, eum dixit, & nominauit, vt facere ſolebant interreges, ſeque Conſulatu abdicauit. Et ſubdit: Hic primus Romæ Dictator creatus eſt, cum ſumma, ac libera, belli, ac pacis, aliarumque omnium rerum poteſtate: nomenque Dictatoris, ei impoſitum, ſiue à poteſtate iubendi, & præſcribendi alijs arbitratu ſuo quidquid vellet, quod iuſtum, & honeſtum eſſet (præcepta enim, & præſcriptiones rerum iuſtarum, & iniuſtarum, Romani edicta vocãt) ſiue, vt nonnulli ſcribunt, quod tunc dictus, &

nominatus fuiſſet,ſiquidem non à populo, magiſtratum, more patrio, acceptum, erat habiturus, ſed ab vno viro creatus. Simulatque igitur poteſtatem eam accepit, equitum magiſtrum dixit Spurium Caſſium, qui Conſulatum geſſerat Olympiade ſeptuageſima. Hic mos vſque ad noſtram ætatem à Romanis eſt ſeruatus, & nullus ad hanc vſque diem Dictator ſine equitum magiſtro Dictaturam geſſit. Deinde, quum vellet oſtendere quanta eſſet eius poteſtatis uis, ad terrorem potius quam ad vſum, lictoribus imperauit, vt cum faſcibus ſecures per vrbem ſibi præferrent, patrio quidem more, quo Reges vtebantur, ſed à Conſulibus intermiſſo, ex quo Valerius Publicola primus, eum, dum Conſulatum gereret, imminuit, ad vitandam imperij inuidiam, at à Largio nunc inſtaurato. Addiditq; Nondum exacto toto imperij tempore, Conſulibus deſignatis, Dictatura ſe abdicauit, nullo ciue Romano, aut cæſo, aut patria pulſo, aut alia graui calamitate affecto. Hoc præclarum iſtius viri exemplum, omnes Dictatores ſequuti ſunt vſque ad ætatem ab hac noſtra tertiam: nuſquam enim in hiſtoria proditum reperimus, quemquam fuiſſe, qui in hoc magiſtratu non ſe geſſerit moderate, & ciuiliter, quamuis Reſp. ſæpe fuerit coacta, legitimis magiſtratibus abrogatis, rerũ ſummam vnius poteſtati permittere. Et ſi in externis bellis tantummodo Dictatores, non corrupti imperij magnitudine, patriam defendiſſent, minus eſſet mirandum. Sed in ciuilibus etiam ſeditionibus, in expellendis ſuſpectis affectatæ

tyran-

tyrannidis, & in arcendis alijs calamitatibus adepti hanc poteſtatem, ſine vlla reprehenſione exercuere, itaut conſtans omnium eſſet ſenſus, Dictaturam vnicum eſſe remedium cuiuslibet inſanabilis mali. At patrum, ſubdit, noſtrorum ætate, elapſis quatrincentis annis à Titi Largij Dictatura, res iſta damnari cœpit, & odioſa videri, quando Lucius Cornelius Sylla, primus & ſolus acerbè, & crudeliter ea eſt vſus, itaut tunc primum Romani cognouerint, Dictaturam Tyrannidem eſſe: Senatum enim ex quibusuis vulgaribus hominibus conſtituit, & tribunitiam poteſtatem quam minimam fecit, & vrbes integras deſolauit, & regna, partim ſuſtulit, partim ipſe conſtituit. Ciuium quoque, præter eos, qui in prælijs abſumpti fuerunt, non minus quatuor millibus, qui ſe ipſi dederant, interfecit, ex quibus aliquot, tormentis ante cruciatos. Appianus etiam Alexandrinus lib. 1. de bellis ciuilibus ait: S. P. Q. R. inops conſilij, quippe qui nec legitima comitia retineret, nec in ſua poteſtate eſſet, per Comitiorum ſimulachra libenter accepit oblatam libertatis fucatę ſpeciem, creauitque Syllam Tyrannum poteſtate ſingulari, ad tempus quantum ipſi libeat: nam & olim Dictatura Tyrannis erat circumſcripta breui tempore: ſed tunc, amotis terminis, nihil ei defuit ad abſolutam Tyrannidem, verbis tamen res cohoneſtata eſt: Dictatorem eum creatum perferendis legibus, quas ipſi ferre viſum fuerit, conſtituendæque Reip. Sic populus Romanus imperio Regum aſſuetus circiter centum Olympiadas, atque

alijs

alijs ferme totidem regimini populari ſub annuis Conſulibus,rurſum ad regum formam redijt, peracta apud Græcos ſeptuageſimaquinta Olympiade, quo tempore nullum in Olympia certamen, præter curſum in ſtadio ſupererat, nam athletas, cæteraque ludicra vniuerſa,in Vrbem Sylla,Mitridatici belli, atque ciuilis occaſione, tranſtulerat, cauſam prætexens,quod populum poſt tot labores, recreare cuperet. Nihilominus vt priſtina Reip. forma videretur manere, permiſſum eſt populo facere Conſules. Creati M. Tullius,Cornelius Dolabella: ipſe vero iam plane regnans, Dictator Conſulibus præerat, nam & ſecures ei, vt Dictatori præferebãtur vigintiquatuor, vt olim Regibus, & frequenti ſtipabatur ſatellitio; Ad hæc,leges,alias antiquabat, alias ferebat,edixitq; ne quis Præturam ante Quæſturam gereret, neue Conſulatum ante Præturam, neue eumdem magiſtratum iterum ſuſciperet, niſi poſt annum decimum. Tribuniciam vero poteſtatem adeo debilitauit, vt ſublata videri poſſet, lege lata, ne quis poſt tribunatum ad vllum alium magiſtratum admitteretur:quo factum, vt eam dignitatem nemo nobilis, honoris appetens,non vitaret. Nec conſtat an eam, vt nunc eſt, à plebe ad Senatum tranſtulerit: in quem,ob ſeditiones, ac bella,redactum ad magnam paucitatem, circiter trecentos allegit ex præcipuis equitum,tributis comitijs ſuffragia de vnoquoque colligens. Plebi vero inſeruit ex proſcriptorum ſeruis florentiſſimum quemque,ætate, ac viribus,pluſquam decem mille, donatos prius li-

libertate, ciuitateque & Cornelios vocatos de patroni nomine, vt inter plebeios haberet ſẽper ad iuſſa parata decem millia. Ab Halicarnaſſenſi, tamen : de primo Dictatore diſſentit Liuius, qui ait lib. 2. ab Vrbe condita cap. 18. *Supra belli Latini metum, id quoque acceſſerat, quod triginta iam coniuraſſe populos, concitante Octauio Mamilio, ſatis conſtabat. In hac tantarum expectatione rerum, ſollicita Ciuitate, Dictatoris primum creandi mentio orta, ſed nec quo anno, nec quibus Coſſ. (quia ex factione Tarquinia eſſent (id quoque enim tradunt) parum creditum ſit, nec quis primum Dictator creatus ſit, ſatis conſtat. Apud veterrimos tamen authores T. Lartium Dictatorem primum, Sp. Caſsium magiſtrum equitum creatos inuenio : Conſulares legere, ita lex iubebat de Dictatore creando lata. Eo magis adducor, vt credam Lartium, qui Conſularis erat, potius quam Manium Valerium Marci filium, Voluſi nepotem, qui nondum Conſul fuerat, moderatorem magiſtrum Conſulibus appoſitum. Qui ſi maximè ex ea familia legi Dictatorem vellent, patrem multo potius M. Valerium, ſpectatæ virtutis, & Conſularem virum legiſſent. Creato Dictatore primum Romæ, poſtquam præferri ſecures viderunt, magnus plebem metus inceſsit, ut intentiores eſſent ad dicto parendum. Neque enim, ut in Conſulibus, qui pari poteſtate eſſent, alterius auxilium, neque prouocatio erat, neque ullum uſquam, niſi in cura parendi, auxilium.* Sicut autem Conſul Dictatorem, nempe totius populi magiſtrum, dicebat, ita Dictator magiſtrum equitum, quę eo tempore erat ſecunda Reip. dignitas, ſic Iuuenal. ſat. 8. verſu 6.

multa

multa deducere uirga
Fumoſos equitum cum Dictatore magiſtros.

ET tua aratra domum lictor tulit. Lictor erat è Collegio Viatorum. Erant autem Viatores, qui, arceſſendis è domibus, vel villis Senatoribus, alijſque Ciuibus, Reip. & Magiſtratibus inſeruiebant: Lictores vero, veluti carnifices,& apparitores: Vnde Gellius lib.12. cap.3.ait: [Valgius Rufus in 2. librorum, quos inſcripſit de rebus per epiſtolam quæſitis, lictorem dicit à ligando appellatum eſſe, quod quum magiſtratus populi Rom. virgis quempiam verberari iuſſiſſent, crura eius,& manus ligari vincirique à Viatore ſolita ſint, iſque qui ex Collegio Viatorum, officium ligandi haberet, lictor ſit appellatus. Vtiturque ad eam rem teſtimonio M. Tullij, verbaq; eius refert ex oratione, quæ dicta eſt pro C. Rabirio. Lictor,inquit colliga manus, Sed & Tiro Tullius M.Ciceronis Libertus,lictorem, vel à lino, vel à licio dictum ſcripſit: licio enim tranſuerſo,quod linium appellatur, qui magiſtratibus, inquit, præminiſtrabant, cincti erant. Si quis autem eſt, qui propterea putet probabilius eſſe, quod dixit Tiro, quoniam prima ſyllaba in lictore, ſicut in licio, producta eſt, & in eo verbo,quod eſt ligo, correpta eſt,nihil ad rem iſtam pertinet, nam ſic à ligando lictor, vt à legendo lector,& à vehendo,vector,& à tuendo tutor,& à ſtruẽdo ſtructor, productis, quæ corripiebantur vocalibus dicta ſunt.] Lictor igitur à ligandis ſontibus, priuſquam eos ſecuri feriret:vel quia virgarum faſces, in quarum medio ſecu-

ris

ris erat, magiſtratibus præferebat, vt ad eiuſdem imperium, ſontes, virgis cęſos, ſæcuri ferire poſſet. Deſeruiebat autem, vt Viator Tribuno plebis, ita Lictor Prætori, Conſuli, ac Dictatori. Hinc Liuius lib. 2. cap. 55. *Ad Voleronem Publium de plebe hominem, quia quod ordines duxiſſet, negaret ſe militem fieri debere, Lictor miſſus eſt à Coſs., Volero appellat Tribunos: quum auxilio nemo eſſet, Conſules ſpoliari hominem, & virgas expediri iubent: Prouoco, inquit, ad populum, Volero, quoniam Tribuni Ciuem Romanum in conſpectu ſuo uirgis cædi malunt, quam ipſi in lecto ſuo à uobis trucidari. Quo ferocius clamabat, eo infeſtius circumſcindere, & ſpoliare Lictor.* Et idem Liuius eodem lib. cap. 56. *Conſules, nobilitaſque ad impediendam legem in concione conſiſtunt. Submoueri Lętorius iubet, præterquam qui ſuffragium ineunt: adoleſcentes nobiles ſtabant nihil cedentes Viatori: tum ex his prehendi quoſdam Lætorius iubet. Conſul Appius, negare ius eſſe Tribuno in quemquam, niſi in plebeium, non enim populi, ſed plebis eum magiſtratum eſſe. Nec illum ipſum ſubmouere pro imperio poſſe more maiorum, quia ita dicatur: Si uobis uidetur, diſcedite Quirites. Facile, & contemptim de iure diſſerendo, perturbare Lætorium poterat: ardens igitur ira Tribunus, Viatorem mittit ad Conſulem, Conſul Lictorem ad Tribunum.* Conſtat ergo Lictores miniſtros fuiſſe magiſtratuũ habentium ius imperij, ſex videlicet deſeruiebant Prætori, Præſuli, & Proconſuli, duodecim Conſuli, & vigintiquatuor Dictatori. Vtrum autem miſſus ad arceſſendum Quintium,

tium, Lictor fuerit, vt hic nominatur, nemo dixit: certe tale munus proprium fuit Viatorum, vt ſupra diximus, vnde per Senecdochen poſitus eſt lictor;& potuere plures,& honoratiores venire, vt pote miſſi à toto Senatu.

EST nunc Briſæis, quem uenoſus liber Acci, ſunt quos Pacuuiuſque, & uerrucoſa moretur Anthiope, ęrumnis cor luctificabile fulta. Verba bifariam conſtruuntur: primo ſic. Eſt nunc quem moretur liber venoſus Acci Briſęi, & ſunt quos moretur Pacuuius,& Anthiope, verrucoſa, fulta cor luctificabile ærumnis. Secundo ſic. Eſt nunc, quem moretur Briſæis liber venoſus Acci, & ſunt quos moretur Pacuuius, & Anthiope verrucoſa, fulta cor luctificabile ærumnis. Irridet his verbis eos, ſiue oratores, ſiue poetas, qui in eruditionis oſtentationem, priſcas, & obſoletas voces vſurpabant. Quod vitium reprehendit etiam Quintilianus initio libri 8. dicens: *Nihil iam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod & alius dixiſſet: A corruptiſſimo quoque poetarum, figuras, ſeu translationes mutuamur, tum demum ingenioſiſſimi, ſi ad intelligendum nos, opus ſit ingenio.* Et eodem libro cap.2. ſubdit: *Obſcuritas fit etiam uerbis ab uſu remotis, ut ſi commentarios, quis Pontificum, & uetuſtiſſima fœdera, & exoletos ſcrutatus autores, id ipſum petat ex his, ut quę inde corraſerit, non intelligatur.* Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, vt quædam ſoli ſcire videantur. Talis fuit Siſenna ille, de quo Cicero in Bruto ait: *C. Ruſio accuſante Chritilium, Siſenna defendens dixit, quædam eius ſputatilica eſſe*

cri-

crimina. Tum C. Ruſcius : Circumuenior inquit Iudices, niſi ſubuenitis, Siſenna quid dicat, neſcio, metuo inſidias ! ſputatilica ? quid eſt hoc ? ſputa quid ſit, ſcio, tilica, neſcio. Maximi riſus: ſed ille tamen familiaris meus, rectè loqui, putabat eſſe inuſitatè loqui. Monuimus in Inſtit. Orator. lib.3. Tract.1. cap.1. licitum eſſe, quandoque voces vſurpare antiquas, & peccare potius nimio eorum vſu, quam totali contemptu: nam quum ſermo Latinus deſierit haberi vulgo, & ſit totus in codicibus, nulla vulgi ratio eſt habenda. At eruditi ex eiſdem libris eorum, quæ dicimus habent intelligentiam, & ex raritate oblectationẽ. Igitur, quod iuxta communẽ legimus Briſæis, in nonnullis eſt Briſæi, & in alijs cum diphtongo Briſæi. Eſt autem Briſeus vnum ex cognominibus Bacchi, quod ipſi adhæſit, vel à Briſi, Lesbi promontorio, vbi erat eius templum, in quo ſumma religione colebatur. Vel ab vſu mellis & vini, Liber enim, vt vinum ex vuis, ita mel è fauis docuerat exprimere, briſare autem vnde Briſeus, idem eſt, ac exprimere. Vel à briſis ideſt vinaceis, ex quibus, admixtione aquæ vel muſti, fit vinum ſecundarium, de quo Columella lib.12. cap.39. ait : *Vuam præcoquam bene maturam legere, acina arida, aut vitioſa reijcere, furcas, uel palos, qui cannas ſuſtineant, inter quaternos pedes figere, & perticis iugare : tum inſuper cannas ponere, & in ſole pandere uuas, & noctibus tegere ne irrorentur. Quum deinde exaruerint, acina decerpere, et in dolium, aut in ſeriam conijcere, eodem muſtum, quam optimum. ſic ut grana ſubmerſa ſint, adijcere: ubi com-*

combiberint uuæ, ſeque impleuerint, ſexto die in fiſcellam conferre, & prælo premere, paſſumque tollere. Poſtea uinaceos calcare, adiecto recentiſſimo muſto, quod ex alijs uuis factũ ſ erit, quas per triduum inſolaueris, tum permiſcere, & ſubactam briſam prælo ſubijcere, paſſumque ſecundarium ſtatim uaſis oblinitis includere, ne fiat auſterius: deinde poſt uiginti, uel triginta dies, quum deferbuerit, in alia uaſa deliquare, & confeſtim opercula gypſare, & pelliculare. Vel à Briſa Nimpha, quæ ipſum aluit Dionyſium. Et quia poetæ tragici ſub Bacchi tutela eſſe credebantur, vt diximus ad illa verba procemij: *Quorum imagines lambunt hederæ ſequaces*, Accius, vt poeta Tragicus, Bacchi cliens, ab illius cognomine Briſeus dici potuit. Hæc eſt communis interpretatio huius loci, quæ tamen non placet, quia non videtur qur vni Accio adhærere debuerit cognomen Briſei, quando eſſe ſub tutela Bacchi, cõmune eſt nedum poetis tragicis, ſed omnibus ſcriptoribus, iuxta illud Hor. lib. 2. epiſt. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit Vrbes

Ritè cliens Bacchi, ſonno gaudentis, et umbra.

Maximè quum ipſe non fuerit ſolus, nec primus inter Tragicos Latinos, nec in eo genere excelluerit, immo paſſim audierit, Duriuſculus: Quare placuit legere, vt in alijs codicibus, Briſeis: nam ſicut meminit Anthiopes Pacuuij, ita nominare debuit ſingularem aliquam Accij tragœdiam, qualis fuit Briſeis; Fuit autem Briſeis Briſis Lyrneſſis Regis filia, à quo Briſeis denominabatur, quum eius nomen

men proprium eſſet Hippodamia. Hæc in Achillis poteſtatem, ob patriæ venit expugnationem,& victori fuit in delicijs, quouſq; ab Agamemnone illi erepta fuit. Quo facto Achilles exaſperatus, detrectauit pro Græcis cum Troianis pugnare; Verum interfecto ab Hectore Patroclo, in huius vltionem, iterum induit arma, Hectoremque ſtrauit. De hac Briſeida, Accius Tragœdiam, quæ nunc non extat, ſcripſiſſe videtur, & de hac nunc loquitur.

QVEM uenoſus liber Acci. Venoſus, plenus venarũ turgentium,& extantium, vt ſunt ſenes macri, vieti,& deformes, quibus longa ætas, exeſis, & abſumptis carnibus, pro cute aridam reliquit pellem, nam in his venæ extare, & prominere vidẽtur,& ita venoſi denominantur. Epitheton iſtud transfertur ad orationẽ, quæ, vt habere corpus, oſſa, ſanguinem, & ſimilia, quæ ſunt illius virtutes, ex quibus ſanitas, & pulchritudo conſurgit, dicitur; ita è contra ad vitium refertur, ſi ſit venoſa, ideſt aſpera, dura,& inculta. Dura autem fuiſſe, quæ ſcripſit Accius, tradit etiam Quintilianus, ſiue Tacitus Dialogo de Oratoribus cap. 11. vbi ait: *Aſinius Pollio, quamquam propioribus temporibus natus ſit, uidetur mihi inter Menenios, & Appios ſtuduiſſe. Pacuuium certè & Accium, non ſolum tragædijs, ſed etiam orationibus ſuis expreſſit, adeo durus, & ſiccus eſt. Oratio autem, ſicut corpus hominis, ea demum pulchra eſt, in qua non eminent uenæ, nec oſſa numerantur, ſed temperatus, ac bonus ſanguis implet membra,& exurgit toris, ipſos quoque neruos*

neruos robore tegit, & decore commendat. Qui capite 10. præcedenti dixerat: *Exigitur ab Oratore etiam poeticus decor, non Accij, aut Pacuuij veterno inquinatus, ſed ex Horatij, & Virgilij, & Lucani ſacrario prolatus.* Immo teſte Gellio lib.13.cap.2. *Quum Pacuuius grandi iam ætate, & diutino corporis morbo affectus, Tarentum ex Vrbe Roma conceſſiſſet, Accius tunc haud paruo iunior, proficiſcens in Aſiam, quum in oppidum veniſſet, deuertit ad Pacuuium, comiterque inuitatus, pluſculiſque ab eo diebus retentus, Tragœdiam ſuam, cui Atreus nomen eſt, deſideranti legit. Tum Pacuuium dixiſſe aiunt: Sonora quidem eſſe, quæ ſcripſiſſet, & grandia, ſed videri ea tamen ſibi duriora paullum, & acerbiora. Ita eſt, inquit Accius, vti dicis, neque id ſanè me pænitet, meliora enim ſpero fore, quæ deinceps ſcribam: nam quod in pomis eſt, itidem inquit, eſſe aiunt in ingenijs, quæ dura, & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia, & iucunda: ſed quæ gignuntur ſtatim vieta, & mollia, aut quæ in principio ſunt viuida, non matura mox fiunt, ſed putria. Relinquendum igitur viſum eſt in ingenio, quod dies atque ætas mitificet.* Sic ergo Accius, & ab eo compoſitæ Tragœdię, ac nominatim Briſeis, venoſus erat, nempe durus, aſper, & incultus.

ACCI pro Accij per apocopen. Fuit Accius, libertinis parentibus natus, Mancino, & Serano Coſſ. Tragœdiarum ſcriptor, tanta ſententiarum grauitate, verborumque pondere, vt Decimus Brutus, templorum, monumentorumque ſuorum aditus, illius carminibus exornauerit. Celebratur in primis eius

O di-

dictum ex Aſtianacte, relatum à Gellio libro 14. cap. 1. (*uitant*

Nihil credo auguribus, qui aures verbis di-
Alienas, ſuas vt auro locupletent domos.

Fundum habuiſſe fertur iuxta Piſaurum, quo inter colonos, translatus fuerat. Gloriæ cupidus adeo fuit, vt ſibi ſtatuam ponendam curauerit in æde Camœnarum, teſte Plinio lib. 34. cap. 5. dicente: *Notatum eſt ab authoribus & L. Accium poetam, in Camœnarum æde, maxima forma ſtatuam ſibi poſuiſſe, quum breuis admodum fuiſſet.* Vt autem diximus, quamuis grandis fuerit in ſententijs, durus nihilominus extitit: Verum candidiores, hoc vitium nõ tam homini, quam tempori adſcripſerunt, nec enim aliter fieri potuit in illa linguæ, & poetices ruditate. Et licet quidam, ad eius commendationem referant, quod hic cognominetur venoſus, quaſi dictus fuiſſet ſanguine abundans, nempe altus, grandiloquus, & animoſus (vt eum appellauit Horatius lib. 2. epiſtola 1. & in Arte poetica, eiuſdẽ nominat nobiles trimetros) contextus tamen, & intentio Perſij eſt in contrarium. Et ſic Martial. lib. 11. Epigrammate 91.

Attonituſque legis terrai, frugiferai,
Accius, & quidquid Pacuuiuſque vomunt.

SVNT quos Pacuuius. Hic, cognomine Marcus, Brunduſinus, Ennij poetæ, iuxta Euſebium, ex filia, ſed iuxta Plinium lib. 35. cap. 4. ex ſorore nepos, ſic enim ibi ait: *Celebrata eſt in foro boario, æde Herculis, Pacuuij poetæ pictura: Ennij ſorore genitus hic fuit, clarioremque eam artem Romæ fecit gloria ſcenæ.* Floruit

poſt

poſt ſecundum bellum Punicum, &, iuxta Sculteti annales, circa Olympiadem 144, ab Vrbe Condita 550. ante Chriſtum vero anno circiter centeſimo. Nomen adeptus eſt, tum elegantiſſimis picturis, tum ſcriptis Tragœdijs, in quibus, referunt, eum grauitate ſententiarum: verborum pondere, & authoritate perſonarum, fuiſſe clariſſimum, citra tamen nitorem, quæ tamen culpa, temporis fuit, non ſua, æuo namque illo, poetices ſtudia rudia adhuc erant, & impolita. Hic, quum diu Romæ vixiſſet, demum pertæſus eius Vrbis turbulentias, Tarentum migrauit, vbi prope nonagenarius obijt, eiuſq; ſepulchrũ Epitaphio, à ſe compoſito ornatum fuit, quod cum alijs duobus refert Gellius lib. 1. cap. 24. his verbis: *Trium poetarum illuſtrium Epigrammata, Cn. Næuij, Plauti, M. Pacuuij, quæ ipſi fecerũt, & incidenda ſuo ſepulchro reliquerunt, nobilitatis eorum gratia, & venuſtatis, ſcribenda in his commentarijs eſſe duxi. Epigramma Næuij plenum ſuperbiæ Campanæ, quod teſtimonium eſſe iuſtum potuiſſet, niſi ab ipſo dictum eſſet.*

Immortales, mortales ſi foret fas flere,
Flerent Diuę Camænę Neuium poetam.
Itaque poſtquam eſt Orchio traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ lingua Latina loquier.

Epigramma Plauti, quod dubitaſſem an Plauti foret, niſi à M. Varrone poſitum eſſet, in lib. de poetis primo.

Poſtquam eſt morte captus Plautus,
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta:
Deinde riſus, luduſque, iocuſque, & numeri
Innumeri ſimul omnes collachrymauerunt.

Epigramma Pacuuij verecundiſsimum, & puriſſimum, dignumque eius elegantiſsima grauitate.

Adoleſcens, tametſi properas, hoc te ſaxũ rogat,
Vt ſe aſpicias, deinde quod ſcriptũ eſt, legas.
Hic ſunt poetæ Pacuuij Marci ſita
Oſſa. Hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale.

ET VERVCOSA. Deriuant quidam hoc nomen à verubus: vt ea oratio dicatur verucoſa, quæ ſit arida, & exſanguis, gratijs & leporibus deſtituta; quia quod verubus aſſatur, amiſſo ſucco, ſiue ſanguine, areſcit. Certè interpretatio textui conſonat, ſed nihilominus eam reſpuimus, quia nominis veru, prima ſyllaba eſt breuis, vt conſtat, ex illo Virgilij 1. Æneidos verſu 216.

Pars in fruſtra ſecãt, verubuſq; tremẽtia figũt, nunc autem nominis verucoſa prima ſyllaba longa eſt, vtpote prima quarti pedis hexametri: quapropter melius deriuabitur à veruca: hæc autem eſt locus excelſior, & ſi in terra, erit mons, aut collis: hinc Cato in originibus dixiſſe fertur: *Cenſeo, inquit, ſi rem ſeruare vis, faciendum, vt quatrincentos aliquos milites, ad verucam illam ire iubeas, eam, vti occupent, imperes.* Veruca ergo locus eſt aſper, ſiue editus, à cuius ſimilitudine, tubercula in humano corpore eminẽtia, & ſenſu deſtituta, verucæ appellantur: quarum Græci duo faciunt genera: vnum, earum quæ in extremitate ſunt magis latæ, & tenui quaſi filo cuti adhærent, quas dicunt ἀκροχορδόνας: aliud earum, quæ latius cuti adhærent, in acumen tamen deſinũt, quæ veruca dicitur μυρμήκια. Vtraq; autem frequentius eſt coloris diuerſi à reli-

qua

qua cute,quare quia extat,& eminet, illam aſperat,& quia eſt coloris diuerſi,eam fœdat, & maculat. Earum remedia præſcripſit Q.Serenus Samonicus in preceptis ſaluberrimis de Medicina cap.44. dicens:

Verucæ quoque deſectæ frenare cruorem
Dicitur,ambuſtus Tyrio de uellere puluis.

Et cap.65.

Interdum exiſtit turpi veruca papilla,
Hinc quondã Fabio verum cognomen adhæſit
(Qui ſolus patriæ cunctando reſtituit rem.)
Id poterit vitium ſanguis curare lacertæ,
Aut vrina canis cum terra inducta madenti,
Aut herbæ ſuccus, quæ fertur nomine lathyr,
Et tithymallus item tali ſatis apta medelæ.
Si rupta immenſos fundit veruca cruores,
Purpureo triti cineres de vellere proſunt,
Quod fuerit verè conchyli ſanguine tinctum.

Plinius tamen lib. 20. cap. 12. ait: *Ocymum verucas, mixto atramento ſutorio, tollit*. Et ita hic metaphoricè oratio aſpera, dura,inculta, & ſalebroſa, ob verborum odioſam antiquitatem, dicta eſt verucoſa.

MORETVR. Morari,eſt opperiri,ſiue expectare,& tardare.Sic Plautus Aſinaria Actu 2. ſcena 2.

ſi herum vis Demenetum,
Quem ego noui, adduce, argentum non morabor quin feras.

Et idem ſignificat neutrum Moro. Plautus Menechmis Actu 5.ſcena 9. *(ſi eam?*
Numquid me morare quin ego liber, vt iuſſi-

Et Ouidius 13. Metam.

Laertius heros

Adſtitit, atq; oculos paullum tellure moratos,
Suſtulit ad proceres.

Sed aliquando morari eſt curare. Sic Plautus Milite glorioſo Actu 2. ſcena 5.

Nihil moror negotioſum mihi eſſe tergum.

Et eadem fabula Actu 2. ſcena 3.

Nam ego iſtam inſulturam, & deſulturam nihil hic moror.

Et quia diutius immoramur in ijs, quæ delectant, hinc morari dicimus pro placere, & delectare. Sic Ouid. lib.3. Triſtium.

Heu mihi quur didici? quur me docuere parentes,
Litteraque eſt oculos vlla morata meos!

Et Seneca de Tranquillitate animi cap. 1. *Placet miniſter incultus, & durus vernula: argentum graue ruſtici patris, ſine vllo opere, & nomine artificis, & menſa non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium dominorum ſucceſſiones Ciuitati nota, ſed in uſum poſita, quæ nullius conuiuę oculos, nec uoluptate moretur, nec accendat inuidia.* Et hoc modo nunc moretur poſitum eſt pro delectet.

ANTHIOPE fuit nomen, & argumentum cuiuſdam Pacuuianæ Tragœdiæ. Fuit autem Anthiope Nyctei Lesbi Regis, & Nymphæ Amaltheæ, filia, & ex parte matris neptis Neptuni, & Nimphæ Celones, proneptis vero Atlantis: nupta Lyco Bœotiæ Regi: quæ quũ per dolum ab Epapho, ſiue Epopeo fuiſſet compreſſa, Lycus ei repudium remiſit, pellice ſuperinducta Dirce (Dircem inquam, non illam Babylonicam, quæ quum forma tumens, Palladi fuiſſet conuiciata, in piſcem conuerſa eſt, iuxta Ouidium dicentem lib.4. Metam.

de

de te Babylonia narret
Dirce, quam verſa ſquamis uelantibus artus,
Stagna Palæſtini credunt celebraſſe figura.

Sed aliam Thebis ortam: quæ verita, ne ob Anthiopes pulchritudinem, morumque elegantiam, Lycus illi iterum conciliaretur, & ſe expelleret, eam in vinculis habere voluit, & immaniter afflixit. Iuppiter etiam, in Satyrum conuerſus, eamdem compreſsit, & prægnantem reliquit: Dirce vero ſuſpicata illius vterum non eſſe opus, niſi Lyci, maiori quam antea ira, ex Zelotypia arſit, ideoque adeo eam afflixit, vt prope in deſperationem adduxerit. Hinc Iuppiter miſericordia motus, partus tempore appropinqũante, eam à vinculis abſoluit, quæ è carcere erumpens, in montem Cytherona profecta, ibi in quodam biuio, duos enixa eſt paruulos: & hi nutriti à paſtoribus, quum adoleuiſſent, & reſciſſent quę mala eorum mater paſſa fuiſſet à Lyco, & Dirce, Lycum quidẽ occiderũt, Dircen vero, indomitorum taurorum caudis alligatam, per mõtes raptari, & diſcerpi fecerunt, quouſq; Deorum miſeratione in fontem Dircen, prope Thebas conuerteretur. Sic Propert. lib. 3. elegia 13.

Teſtis erat Dirce, tam uero crimine ſæua,
Nycteos Anthiopen accubuiſſe Lyco
Ah quoties pulchros uſsit Regina capillos,
Molliaque immites fixit in ora manus,
Ah quoties famulam penſis onerauit iniquis,
Et caput in dura ponere iuſſit humo
Sæpe illã immũdis paſſa eſt habitare tenebris,
Vilem ieiunæ ſæpe negauit aquam.

Iuppiter Anthiope nuſquam ſuccurrit habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si Deus es, tibi turpe tuam ſeruire puellam,
Inuocat Anthiope, quem niſi, uincta, Iouē?
Sola tamen, quæcumq; aderāt in corpore uires
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cytheronis timido pede currit in arces
Nox erat, & ſparſo triſte cubile gelu.
Sæpe uago Aſopi ſonitu permota fluentis
Credebat dominę pone uenire pedes,
Et durum Zethum, & lachrymis Amphiona mollem
Experta eſt ſtabulis mater abacta ſuis,
Ac ueluti magnos, quū ponunt ęquora, motus
Eurus in aduerſos deſinit ire Notos
Littore ſi tacito ſonitu rareſcit arenæ,
Sic cadit inflexo lapſa puella genu
Sera tamen pietas, natis eſt cognitus error
Digne Iouis natos, qui tueare ſenex
Tu reddis pueris matrem, puerīq; trahendam
Vinxerunt Dircen ſub trucis ora bouis
Anthiope cognoſce Iouem, tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, uictorque canebat
Peana Amphion rupe Aracynthe tua.

Eamdem Anthiopes fabulā narrat C. Iulius Hyginus Auguſti Libertus paulo diuerſius fabula 7. dicens: *Anthiopa Nyctei filia, ab Epapheo per dolum eſt ſtuprata: itaque à Lyco uiro ſuo eiecta eſt. Hanc uiduam Iuppiter compreſſit. At Lycus Dircen in matrimonium duxit, cui ſuſpicio incidit, uirum ſuum clam cum Anthiopa concubuiſſe. Itaque imperauit famulis, ut eam in tenebris uinctam clauderent. Cui poſtquam par-*

tus

eui inſtabat, effugit ex uinculis, Iouis uolunt a-ſe in montem Cytheronem. Cumque partus premeret, & quæreret ubi pareret, dolor eam in ipſo biuio coegit partum ædere geminum, quos paſtores pro ſuis educarunt, et appellarunt Zethon, & Amphionem. Qui poſtquam matrem agnouerunt, Dircen ad taurum indomitum alligatam, uita priuarunt: ex cuius corpore in monte Cytherone fons eſt natus, qui Dirceus eſt appellatus, beneficio Liberi, quod eius baccha fuerat. Et fabula 8. ait: *Nyctei Regis in Bœotia fuit filia Anthiopa: eius formæ bonitate Iuppiter adductus, grauidam fecit, quam pater, quum punire vellet propter ſtuprum, minitans periculum Anthiopa effugit. Caſu in eodem loco, quo illa peruenerat, Epaphus Sicyonius ſtabat: is mulierem aduectam domo, matrimonio ſuo iunxit. Id Nycteus ægrè ferens, quum moreretur, Lyco fratri ſuo per obteſtationem mandat (cui tum regnum relinquebat) ne impune Anthiopa ferret. Huius poſt mortem, Lycus Sycionem venit, interfecto Epapho, Anthiopam vinctam abduxit, quæ in Cytherone parit geminos, & reliquit, quos paſtor educauit, Zethum, & Amphionem nominauit. Anthiopa Dircæ vxori Lyci data erat in cruciatum: ea, occaſionem nacta, fugæ ſe mandauit: deuenit ad filios ſuos: Ex quibus Zethus exiſtimans fugitiuam, non recepit. In eundem locum Dirce per bacchationem Liberi illuc delata eſt, ibi Anthiopam repertam, ad mortem extrahebat: Sed ab educatore paſtore, adoleſcentes certiores facti eam eſſe matrem ſuam, celeriter conſecuti, matrem eripuerunt, Dircen ad taurum crinibus religatam, necant. Lycum quum occidere vellent,*

uetuit eos Mercurius, & ſimul iuſſit Lycum concedere regnum Amphioni. Zethus ergo, & Amphion Anthiopes fuere filij, quorum Zethus ruſticus fuit, Amphion vero, ſiue à patre Ioue, ſiue à Mercurio accepta cythara, in muſica adeo excelluit, vt Horatius ad Piſones ſcripſerit:

Dictus, & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Significans, vt exponit Palephatus libro de fabuloſis narrationibus, homines illos duros fuiſſe, & intractabiles: ſed Amphion eos muſica demulcebat, & cum eis paciſcebatur, vt ſi ſe cantantem, aut cytharizantem audire vellent, adiuuarent in Thebanæ Vrbis conſtructione, & eam ſimul incolerent. Itaque ſoni delectatione, viuos, & animatos lapides, ideſt homines, traxit ad ædificium. Multis ergo ærumnis Anthiopes cor vexatum fuit, Zelotypia, exilio, fame, vinculis, verberibus, & alijs.

ÆRVMNIS. Ærumnæ, dictæ etiam muli Mariani à C. Mario primo earum inuentore, ſurcinulæ erant, quibus viatores ſuas ſarcinas religatas baiulare ſolent: ita dictæ ab αἴρω, leuo, ſeu tollo. Hinc labores Herculis, eiuſdem ærumnæ dicebantur, quapropter Plautus Perſa Actu 1. ſcena 1.

Qui amans egens ingreſſus eſt præceps in amoris vias
Superauit ærumnis.is ſuis ærumnas Herculis.

Et Pſeudolo Actu 3. ſc. 1.

Cui ſeruitutem Dij danunt lenoniam
Puero,

Puero, atque eidem ſi addunt turpitudinem,
Ne illi quantum ego nunc corde conſpicio meo
Malam rem magnam, multaſque ærumnas danunt.

Hinc metaphoricè omnes labores, miſeriæ, calamitates, perſecutiones, infirmitates, & alia infortunia, ærumnæ dictæ ſunt, quorum non modicam, Anthiope, partem perpeſſa eſt.

LVCTIFICABILE dicitur, quod luctu affici poteſt. Luctus autem eſt mæror, & eſt à verbo lugeo, ideſt ploro, defleo, & lamentor; vnde cor luctificabile, eſt mœſtum, occaſiones habens plorandi. Hinc luctificabile propriè dicitur intranſitiuè, nam cor Anthiopes, ob tot calamitates, luctui erat aſſuetum. Poteſt nihilominus ſumi etiã trãſitiuè, quum quilibet, Reginam conſiderans tot preſſam calamitatibus, mœrore afficiatur. Repræhenditur autem hæc vox, tum quia non quadrat ſententiæ, tum quia inducitur ad affectandum ſonum grandiorem, qualem dant voces ſimilis terminationis, à quibus antiqui adeo abſtinebant, vt Cicero lib. 5. quæſtionum Academicarum ſecundæ editionis, dicto, comprehenſibile, quaſi magnum commiſiſſet peccatum, ſubdiderit *Feretis hæc.* Et Seneca inter alia, quę reprehendit in Mæcenate, eſt, vox irremediabilis; ſic enim ait Epiſtola 114. *Quomodo Mecenas vixerit, notius eſt, quam vt narrari nunc debeat, quomodo ambulauerit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia ſua latere noluerit. Quid ergo! non oratio eius æque ſoluta eſt, quam ipſe diſcinctus? non tam inſignita illius verba ſunt, quam cultus, quam comitatus,*

quam domus, quam vxor? Magni ingenij vir fuerat, ſi illud egiſſet via rectiore, ſi non vitaſſet intelligi, ſi non etiam in oratione diffluerct. Videbis itaque orationem ebrij hominis, inuolutam & errantem, & licentiæ plenam. Mecenas in cultu ſuo. Quid turpius amne, ſiluiſque ripa comantibus. Vide vt alueum lintribus arent, verſoque vado remittant hortos. Quid ſi quis fœminæ cirro criſpatę, & labris columbatur? Incipitque ſuſpirans, vt ceruice laxa feratur Nemo tyranni irremediabilis factio rimantur epulis, lagenaque tentant domos, & ſępe mortem exigunt. Genium feſto vix ſuo teſtem, tenuis cerei fila, & crepacem molam, focum mater, aut vxor inueſtiunt: *Non ſtatim hęc quum legeris, hoc tibi occurret, hunc eſſe, qui ſolutis tunicis, in vrbe ſemper inceſſerit.* Sic ergo, vox luctificabile, in Pacuuij irriſionem eſt inducta.

FVLTA, à verbo fulcio, eſt munita, ſuſtentata, & fortificata: ſic loquitur Cicero relatus, *Quid alios colligam, quum habeam Chryſippum, vt qui fulcire putatur porticum Stoicorum.* Sic Iuuenal. ſat. 3. verſu 193.

Nos vrbem incolimus tenui tibicine fultam.

Sic Seneca de vita beata cap. 20. *Ego mortem eodem vultu audiam, quo videbo: ego laboribus, quanticumque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus.* Quamuis autem poetaſtri, de quibus eſt ſermo, has phraſes imitarentur, à Perſio tamen referuntur cum irriſione. Et erant vere ridenda, ob curam, & impropriam translationem: fulcire namque, auxilij ſemper habet ſignificationem, Pacuuius vero, pro eo, quod eſt cor cingi ęrumnis, vt eis pęne opprimatur,

eis fultum dixit. Nec ſunt accipienda, vt dicta per antiphraſim, nam ſunt relata à Perſio irridente Pacuuium, & eius imitatores. Nec ſunt interpretanda, quaſi Anthiope fuerit ex earum numero, quæ in malis adeo obcalluerunt, vt ijs quodammodo ſuſtentarentur, ſuam in eis, vel potius animi oſtendentes virtutem, vt de innumeris Chriſtianis legimus, & apud Ethnicos de Anaxarcho, de quo refert Laertius lib. 9. in eius vita: [Anaxarchus apud Alexandrum vixit, & CX. Olympiade floruit, & Nicocreontem Cypri Tyrannum inimicum habuit. Quum vero in conuiuio aliquando eum Alexander rogaſſet, cuiusmodi ſibi cœna videretur, reſpondiſſe fertur: O Rex, omnia lautè, ſed quod reliquum fuit, Satrapæ cuiuſdam apponi caput oportebat, id ipſum in Nicocreontem iaciens: Ille autem iniuriæ memor, poſt Regis mortem, quo tempore Anaxarchus nauigans, inuitus ad Cyprum appulit, comprehenſum atque in mortarium iniectum, ferreis piſtillis tundi iuſſit: quod ille ſupplicium, quum contemneret, illud peruulgatum dixiſſe ferunt Πτύσσε Πτύσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πλήττεις, ideſt Tunde, tunde Anaxarchi culleum, Anaxarchum autē non tundis.] Sed Chriſtiani in his magis excellerunt, quia vt renati per baptiſmum, nouum acceperunt ſtomachum, quo in cruciatibus exultarent.

HOS pueris monitus patres infundere lippos, quum videas, quæriſne vnde hæc ſartago loquēdi venerit in linguas? vnde iſtud dedecus, in quo Troſſulus exultat tibi per ſubſellia lęuis. Con-

grue

ſiue ſic. Quum videas patres lippos infundere hos monitus pueris, quærisne vnde hæc sartago loquendi venerit in linguas? vnde iſtud decus, in quo Troſſulus læuis exultat tibi per ſubſellia. Culpam corruptæ eloquentiæ, vel poeticæ, his verbis in puerorum transfert parẽtes, quod fecit etiam Petronius in ſuo Satyrico dicens: *Minimum in his exercitationibus Doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere; nam ni dixerint, quæ adoleſcentuli probent, vt ait Cicero, ſoli in ſcholis relinquentur, ſicut ficti adulatores, quum cœnas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratiſſimum auditoribus fore, nec enim aliter impetrabunt quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint: ſic eloquentiæ magiſter, niſi tamquam piſcator, eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe prædæ moratur in ſcopulo. Quid ergo eſt? parentes obiurgatione digni ſunt, qui nolunt liberos ſuos ſeuera lege proficere.* Non ergo, inquit; mirandum, ſi pueri in loquendo, priſcis, carioſis, & obſoletis vtantur vocibus, vel ſi populares appetant plauſus, nam à parentibus ſic didicerunt, ſcimus enim prauum patrem, peiorem procreare filium, vel ſaltem paterna terentem veſtigia. Sic Iuuenalis initio ſatyræ 14.

Plurima ſunt Fuſcine, & fama digna ſiniſtra,
Et nitidis maculam, & rugam figentia rebus.
Quæ monſtrant ipſi pueris, traduntq; parentes.

Et ibi verſu 31. ait:

Velocius, & citius nos
Corrũpunt vitiorũ exempla domeſtica, magnis

Quum

Quum ſubeant animos autoribus.
Et ſatyra 6. verſu 239.
Scilicet expectas, vt tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quam quos habet.

Sic Cicero lib. 4 epiſt. 3. ad Seruium Sulpicium, *Quod exemplo fit, id etiam iure fieri putāt.* Inter exempla autem, quum praua omnia noceant, domeſtica pernicioſiora cenſentur. Hinc Plutarchus libro de liberis educandis ait: *Ante omnia opus eſt, vt patres, non ſolum nihil peccando, verum etiam honeſta ſingula peragendo, manifeſtum ſeſe filijs exemplar exhibeāt, vt in eorum vitam, quaſi quoddam ſpeculum, intuentes, ab operum ſimul, & ſermonum turpitudine ſe penitus vertant.* Sit, inquit etiam Archita, pater filij virtutum exemplar: vnum enim exemplum, aut luxuriæ, aut auaritiæ, multum mali facit. Conuictor delicatus, paulatim eneruat, & emollit; vicinus diues, cupiditatem irritat: malignus comes; quamuis candido, & ſimplici, rubiginem ſuam affricuit. Et Seneca epiſtola 6. *Plus tibi, & viua vox, & conuictus, quam oratio proderit: in rem præſentem venias oportet: primum quia homines amplius oculis, quam auribus credunt: deinde, quia longum eſt iter per præcepta, breue & efficax per exempla.* Nec tamen, etiam ſi multiplicentur exempla peccantium, immunis erit à pœna delinquens, nam Gellius ait, lib. 10. cap. 19. [Inceſſebat quempiam Taurus philoſophus, ſeuera, atque vehementi obiurgatione adoleſcentem, à rhetoribus, & facundiæ ſtudio, ad diſciplinam philoſophiæ tranſgreſſum, quod factum quiddam eſſe ab eo diceret inhoneſte,

& improbé. At ille non ibat inficias feciſſe, ſed id ſolitum eſſe fieri defendebat, turpitudinemque delicti, exemplorum vſu, & conſuetudinis venia deprecabatur. Atque ibi Taurus, iſto ipſo defenſionis genere irritatior: Homo, inquit, ſtulte & nihili, ſi te à malis exemplis autoritates, & rationes philoſophię non abducunt, ne illius quidem Demoſthenis veſtri ſententia tibi in mentem venit, quæ quia lepidis, & venuſtis vocum modis vincta eſt, quaſi quædam cantilena rhetorica, facilius adhærere memoriæ tuæ potuit? Nam ſi me, inquit, non fallit, quod quidem in priori pueritia legerim, verba hæc ſunt Demoſthenis, aduerſus eum, qui, vt tu nunc facis, peccatis alienis exemptum, purgatumque ibat.] Verum ne dicas, ſic eſſe actum ſæpenumero, ſed hoc fieri ſic decere: Non enim ſi quid aliquando contra leges actum iam eſt, tuque id ſecutus es, propterea iure queas euadere, quinimmo eo magis idcirco in te debeat ſtatui. Vt enim ſi prius in aliquem foret animaduerſum, tu minimè hæc ſcriberes, ita ſi ipſe in præſentia punieris, nequaquam deinceps alius ſcribet. *Sic Taurus.* Quod vero dicit *Infundere*, metaphoricè accipiendum eſt, nam infundere propriè eſt intus fundere. Sic Virgilius libro 1. Georgicæ verſu 383.

Iam varias pelagi volucres, et quæ Aſia circũ
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri
Certatim largos humeris in fundere rores.

Et Cicero Philippica 11. *Quid dicam de Appulo Demitio? cuius bona modo proſcripta videmus, tanta procuratorum eſt negligentia. At*

Li:

hic nuper ſororis filio infudit venenum, non dedit. Sed non poſſunt non prodige viuere, qui noſtra bona ſperant, quum effundunt ſua. Rectè autem vtitur hac metaphora, puerorum enim ingenia ſunt veluti vaſa, præcepta vero ad inſtar liquoris, illis inſtillantur, & intus funduntur.

LIPPOS, Lippus dicitur, qui ob defluentem humorem, oculis lachrymatur, indeque minus rectè videt, immo eſt diſpoſitus ad cæcitatem, & quandoque ponitur pro cœco. Plautus milite glorioſo Actu 2. ſcena 3.

Non veriſimile dicis, neque vidiſti.
Sceledrus *num tibi Lippus videor.*

Et ibidem Actu 4. ſcena 3.

Cubare in naui lippam, atque oculis turgidam
Nauclerus dixit.

De hoc lippitudinis morbo, & remedijs, Plinius lib. 38. cap. 2. ait: *Mucianus ter Conſul, viuentem muſcam in linteolo albo, his remedijs carere ipſos lippitudine prædicantes.* Et eodem lib. cap. 4. *Credamus ergo lichenas, lepraſque ieiunæ* (ſaliuæ) *illitu aſſiduo arceri: item lippitudines, matutina quotidie velut inunctione.* Et ibidem. *In manu dextera duo medij* (digiti) *lino leuiter colligati, deſtillationes, atque lippitudines arcent.* Eodem libro cap. 6. *Contra lippitudines, retro aures fricare prodeſt, & lachrymoſis oculis, frontem.* Eodem etiam libro cap. 8. *Lippitudini fel* (hyænæ) *illitum frontibus, aut ne omnino lippiatur, decoctum cum mellis Attici cyathis tribus, & croci vncia, inunctum: ſic & caligines diſcuti, & ſuffuſiones. Claritatem excitari melius inueterato medicamento; aſſeruntur*

autem in Cypria pyſſide. Et eodem capite. *Item lippientibus, ruptis, & contra inflationes, ſeruatos pedes* (hyęnæ) *tactu, lęues dextris partibus, dextros læuis.* Eodem etiam libro cap. 9. *Inunguntur etiam oculi in lactis heminis, ſeſamæ additis drachmis quatuor tritis in lippitudine.* Item eodem libro cap. 11. *Sicca lippitudo, lumbolis ſuum toſtis, atque contritis, & impoſitis tollitur Capras negant lippire, quoniam eæ quaſdam herbas edant, item dorcades: & ob id fimum earum cera circumdatum, noua luna deuorare iubent: & quoniam noctu quoque æque cernant, ſanguine hircino ſanari luſcioſos putant, nyctalopas à Græcis dictos: capræ vero iocinore in vino auſtero decocto.* Et lib. 29. cap. 3. *Oua per ſe inſuſo candido oculis, epiphoras cohibent, urenteſq; refrigerant. Quidam cum croco præferunt, & pro aqua miſcent collyrijs. Infantibus uero contra lippitudines uix aliud remedium eſt, butyro admixto recenti.* Et eodem lib. 29. cap. 6. *Columbarum, turturum, palumbium, perdicum ſanguis nyctalopas ſanat, & iecur ouium, atque (ut in capris diximus) efficacius fulue. Decocto quoq; eius, oculos abluere ſuadent, & medulla dolores, tumoreſq, illinunt. Bubonis oculorum cinis collyrio mixtum, claritatem oculis facere promittitur. Turturis fimũ albugines extenuat: item cochlearum cinis: fimum cenchridis, accipitrum generis hanc Græci faciunt, Argema ex molle omnibus, quæ ſupra ſcripta ſunt ſanantur. Mel vtiliſſimum oculis, in quo ſunt apes immortuæ. Ciconiæ pullum qui ederit, negatur annis continuis lippiturus: item qui draconis caput habeat. Huius adipe, & melle cum oleo vetere, incipientes*

cali-

caligines diſcuti tradunt Hirũdinum pullos plena luna excæcant, reſtitutaque eorum acie, capita comburuntur; hoc cinere cum melle utuntur ad claritatem, & dolores, ac lippitudines, & ictus. Et lib.32. cap.7. inquit: *Cancri oculos adalligatos collo, mederi lippitudini dicunt*. De eodem lippitudinis morbo, hæc ait Cęlus lib. 6. cap.6. *Protinus autem orta lippitudine, quædam notæ ſunt, ex quibus quid euenturum ſit colligere poſſimus. Nam ſimul, ac lachryma, & tumor, & craſſa pituita cœperint ſi ea pituita lachrymę mixta eſt, & ea lachryma calida eſt, pituita vero alba, & mollis, tumor non durus, longæ ualetudinis timor non eſt: At ſi lacryma multa & calida, pituitæ paullum, tumor modicus, idque in uno oculo eſt, longum id, ſed ſine periculo futurum eſt: idque lippitudinis genus, minime cum dolore eſt, ſed vix ante vigeſimum diem tollitur, nonnumquam per duos menſes durat, ſed quandoque finitur, Si pituita alba, & mollis eſſe incipit, lacrymæque miſcetur: aut ſi ſimul hæ vtrumque oculum inuaſerunt, poteſt eſſe breuis, ſed periculum vlcerum eſt*. Poeta tamen hic corporis lippitudinem ad mentalem tranſtulit. Sed corporis lippitudo ſenibus frequentius accidere ſolet: mentis vero adoleſcentibus, in quibus vehementiores ſunt paſſiones, rationis iudicium obtenebrantes. Indignum autem eſt, patribus, ideſt ſenibus, hoc modo lippire, exhibendo tales admonitiones filijs adoleſcentibus.

SARTAGO, vas eſt amplum, & patens, appellatum etiam patina, vel patella, cremium, & frixorium, iuxta illud pſalmi 101. *Oſſa mea ſicut*

v

ſicut in frixorio confrixa ſunt, vbi noſtra vulgata legit, *ſicut cremium aruerunt.* Eius vaſis mentio fit 2. Machabæorum cap. 7. vbi dicitur: *Iratus itaque Rex, iuſſit ſartagines, & ollas æneas ſuccendi, quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei, qui prior fuerat locutus amputari linguã, & cute capitis abſtracta, ſummas quoque manus, & pedes ei præſcindi, cęteris eius fratribus, & matre inſpicientibus. Et quum iam per omnia inutilis factus eſſet, iuſſit ignem admoueri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine.* Tali vaſe in oleo, butyro, vel alio vnguine, coquuntur carnes, oua, piſces, & alia eſculenta: eſto (ſi vocis ſpectemus originem) tunc tantum ſartago dici debeat, quando carnes in eo coquuntur, venit enim à σαρκός, quæ eſt caro: ſed ſæpe aliud eſt, à quo nomen imponitur, ab eo, ad quod ſignificandum imponitur. Cibi autem, qui ſartagine coquuntur, in ipſo frixionis actu, ſtridorem emittunt, quem imitari videntur illi, qui in orationis, vel carminis compoſitione, noua cum obſoletis, & peregrina, aut barbara miſcent verba cum verè Latinis; in quorum recitatione ſcloppos quoſdam emittũt, vel ſonos ſimiles eis, quos edunt quæ friguntur. Eleganti ergo metaphora nunc dictum, in linguas veniſſe ſartaginem loquendi.

1 *TROSSVLVS*: Exiſtimant quidam Troſſuum dici à toroſa, ſeu pingui corporis habitudine, quaſi diceretur toroſulus, & talis eſt mollis, & delicijs diffluens. Cui intellectui conſonat additum epitheton leuis, nempe deglabratus, depilatus, & politus. Nam talibus ſapiebant

piebant orationis pigmenta, & lenocinia cum floſculis. Et hunc ſenſum fortè ſignificauit Hieronymus, dicens in Iouinianum: [Vnius tantum philoſophi exemplum poſui, vt formoſuli noſtri, & troſſuli, & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia, imitentur ſaltem Gentilium parcitatem.] Alij vero putant troſſulos dictos fuiſſe Equites Romanos. Ait enim Plinius lib. 33. cap. 2. *Ipſum equitum nomen ſæpe variatum eſt, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. Celeres ſub Romulo, Regibuſque appellati ſunt*, fortè ab illo Celeri tribuno, qui, Romuli iuſſu, Remum interfecit: *Deinde Flexumenes* fortè, quia equos regere, & flectere nouiſſent: vel quaſi Flexanimes, quia quum per eos iudicia exercerentur, & iuſtitia mediante, decidérentur cauſæ, diſſidentium animos flectebant, eos ad pacem reuocantes. *Poſtea Troſſuli quum oppidum in Thuſcis, citra Volſinios*, ſiue Viterbum, *paſſuum nouem millia, ſine vllo peditum adiumento, cæpiſſent eius vocabuli*, quod nunc eſt mons Faliſcus, *idque durauit vſque ad C. Gracchum. Iunius certè, qui ab amicitia eius, Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis. Quod ad equeſtrem ordinem attinet, antea Troſſulos vocabant, nunc Equites vocant: ideo quia non intelligunt Troſſulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari, & cauſam quæ ſupra indicata eſt, exponit, inuitoſque etiamnum tamen Troſſulos vocari.* Nos vtroſque interpretes conciliare poſſumus, dicendo, Troſſulos hic nominatos Equites Romanos, qui tamen ab auita virtute defeciſſent. Priſci namque

Ro-

Romani Equites, in laboribus militiæ verſabantur, nec capiebantur delicijs: Perſij vero temporibus, omnem impendebant curam corporis cultui, nec virtus illis penſi erat, & vt ait Varro in Seſquiülixe, *Nunc emunt Troſſuli nardo nitidi, vulgo, Attico talento, equum*. Et Seneca Epiſtola 87. *M. Cato Cenſorius (quem tam Reip., Hercule, profuit naſci, quam Scipionem, alter enim cum hoſtibus noſtris bellum, alter cum moribus geſſit) canterio vehebatur, & hippoperis quidem impoſitis, vt ſecum utilia portaret. O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his Troßulis in via diuitibus, curſores, & Numidas, & multum ante ſe pulueris agentem. Hic ſine dubio cultior, comitatiorque quam M. Cato uideretur: hic, inter illos apparatus delicatos, qui quum maximè dubitat, utrum ſe ad gladium locet, an ad cultrum. O quanti erat ſeculi decus, Imperatorem, triumphalem, Cenſoriũ, (& quod ſuper omnia hęc eſt) Catonem, uno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem, partem enim ſarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant. Ita non omnibus obeſis mannis, & aſturconibus, & tollutarijs, præferres unicum illum equum ab ipſo Catone defrictum*. Troſſulus ergo hic poſitus eſt, pro quocumque Equite Romano diuite, & delicato.

EXVLTAT componitur ex præpoſitione, ex, & verbo, ſalto, a, mutata in u, & ſignificat extra ſalto. Sic Cicero libro de ſenectute loquens de Q. Fabio Maximo ait. *Hic & bella gerebat, ut adoleſcens, quum planè grandis eſſet, & Annibalem iuueniliter exultantem, patientia ſua molliebat*. Sic Virg. 5. Æneid. verſ. 137.

In-

Intenti expectant ſignum, exultantiaq: haurit
Corda pauor pulſans.

Hic tamen exultare eſt geſtire, applaudere, &, ſaltibus, lętitiæ ſigna monſtrare.

SVBSELLIA erant ſedes humiliores, in quibus viliores ſedebant magiſtratus, vt Iudices, Tribuni, & Quæſtores, ſiue in cauea, vbi edebantur ſpectacula, ſiue in foro vbi exercebantur iudicia: nam Prætores ſublimioribus ſedebant in ſellis, Conſules vero in Curulibus, & Tribunalibus. Hinc Cicero in Vatinium ait: *Quæro ex te Vatini, cum quis in hac Ciuitate, poſt Vrbem conditam, Tribunos plebi appellarit, ne cauſam diceret? numquis reus in Tribunal ſui Quæſitoris aſcenderit, eumque ui deturbarit, ſubſellia diſſiparit, urnas deleuerit, eas denique omnes res in iudicio diſturbando commiſerit, quarum rerum cauſa iudicia ſunt conſtitu a.* Et Plautus Prologo Amphitruonis,

Nunc hoc me orare à uobis iuſſit Iuppiter
Vt Conquiſitores ſinguli in ſubſellia,
Eant per totam caueam ſpectatoribus,
Si quoi fauitores delegatos uiderint,
Vt his in cauea pignus capiatur togæ.

Et idem Plautus Captiuis Actu 3. ſcena 1. Lacones appellat *Imi ſubſellij uiros*. Ita nunc ait Troſſulos, & Equites applaudentes, ſubſilire in huiuſmodi ſellis humilioribus, in quibus ſedentes audiebant recitantem.

LEVIS. Miror Cornutum, etſi non philoſophum, & Perſij præceptorem in philoſophia Stoica, clarum nihilominus grammaticum, interpretatum hoc loco, quod eques leuis ſit citus in leuando ſe; aut certè leuis, nihil

in

in ſe habens ſeueri iudicij, quaſi leuis hic ſit celer, & expeditus, aut ſexigui ponderis. Verum leuis in hac ſignificatione primam corripit ſyllabam, vt conſtat ex illo Ouidij lib. 3. Triſtium elegia 12.

Luſus equis nũc eſt, leuibus nũc luditur armis.

Et ex illo eiuſdem Ouidij lib. 5. Faſtorum.

Occurat tacito ne leuis umbra ſibi.

Nec non ex illo Tibulli libro 4. Panegyrico ad Meſſalam.

Iuppiter ipſe leui uectus per inania curru.

Et infra eodem Panegyrico.

Magna Deũ proles leuibus diſcurreret umbris.

Sic etiam Gallus elegia 1.

Exultat leuitate puer, grauitate ſenectus.

Et idem Gallus elegia 6.

Sit ſatis indignum leuiter tetigiſſe pudorem.

Sic Catullus carmine 67. de coma Berenices.

Illius ah mala dona leuis bibat irrita poluis.

Et idem Catullus carmine 85. de Ario.

Audibant eadem hęc leniter, & leuiter.

Sic Propertius de Luna ait lib. 1. elegia 3.

Compoſitos leuibus radijs patefecit ocellos. Sed quum hic leuis primam producat ſyllabam, non ſignificat celerem, aut non ponderoſum, ſed ephœbum, glabrum, & depilatum. Sic Tibullus lib. 1. elegia 9.

Carior eſt auro iuuenis, cui lęuia fulgẽt Ora.

Et Catullus carmine 67.

Fulgentem clarè, quam multis illa Deorum
Lęuia protendens brachia pollicita eſt.

Et Ouid. 3. de Arte.

Fœmina quid faciet, quum ſit uir lęuior ipſa
Forſitan & plures poſſit habere uiros.

Et

Et ita Troſſulus leuis, eſt eques glaber, & depilatus.

NIL ne pudet capiti non poſſe pericula cano Pellere, quin tepidum hoc optes audire, Decenter? A poetis tranſit ad eos reprehendendos Oratores, qui calamiſtratum dicendi genus, (in ſcholis, vel intra priuatos lares, vtcumque ferēdum) in forum transferebāt, ſic veras cauſas agentes, quaſi fictæ eſſent declamationes, adeout etiam de vita pugnaturi, à ludicris nō abſtinerent armis, & à fucatis orationibus ad oſtentationem compoſitis. Vigebat ea ætate tale vitium, admiſſum etiam à Quintiliano, dicente lib. 4. cap. 2. ¶ *Ne ſententia quidem, ueluti fatigatum intentione, ſtomachum iudicis, reficere diſſuaſerim. Quod quum ſit factum ijs quoque temporibus, quibus omnis, ad utilitatem potius, quam ad oſtentationem componebatur oratio, & adhuc erant ſeueriora iudicia, quanto nunc faciendum magis, quum in ipſa capitis, aut fortunarum pericula, irrupit uoluptas?* Et eodem lib. 4. cap. 3. inquit: *Pleriſque moris eſt, probato rerum ordine, protinus utique in aliquem lætum, aut plauſibilem locum, quam maximè poſſint, fauorabiliter excurrere. Quod quidem natum ab oſtentatione declamatoria, iam in forum uenit, poſtquam agere cauſas, non ad utilitatem litigatorum, ſed ad patronorum iactationem, repertum eſt.* Oſtendit autem Perſius, turpe eſſe, ſenes huiuſmodi oſtentationis cupidos eſſe, ſaltem, qui Afranij ſententiam nouerit, à Gellio relatam his verbis lib. 13. cap. 8. [Maxime hoc atque veriſſime Afranius poeta, de gignenda comparandaq; ſapientia opinatus eſt,

quod eam filiam eſſe vſus, & memoriæ dixit: eo namque argumento demonſtrat, qui ſapiens eſſe rerum humanarum velit, non libris ſolis, neque diſciplinis rhetoricis, dialecticiſque opus eſſe, ſed oportere eum, verſari quoque exercerique in rebus comminus noſcendis, periclitandiſque, eaque omnia acta, & euenta firmiter meminiſſe, & perinde ſapere, ac conſulere ex ijs, quæ pericula ipſa rerum docuerunt, non quæ libri tantum, aut magiſtri per quaſdam inanitates verborum, & imaginum, tamquam in mimo, aut in ſomnio delectauerint. Verſus Afranij ſunt in togata, cui Sellæ nomen eſt;

Vſus me genuit, mater peperit memoria,
Σιφίαν vocant me Graij, vos ſapientiam.

Item verſus eſt in eamdem ferme ſententiam Pacuuij, quem Macedo philoſophus vir bonus, familiaris meus, ſcribi debere cenſebat pro foribus omnium templorum. *Ego odi homines ignaua opera, & philoſopha ſententia,* nihil enim fieri poſſe indignius, neque intolerantius dicebat, quam quod homines ignaui, ac deſides, operti barba, & pallio, mores & emolumenta philoſophiæ, in linguæ verborumque artes converterent, & vitia facundiſſime accuſarent, intercutibus ipſi vitijs madentes.] Senes autem vſu ſapientiores eſſe deberent: inde ſtomachatur Perſius, videns grandæuos, adeo laudis cupidos, vt in cauſa capitis, abſtinere nequirent ab ijs argumentis venandis, quę exornationẽ adferrent, ad qualẽcũq; plauſũ aucupãdũ, ſed de ijs nõ curabãt, quæ ad rẽ, & ad crimina diluenda pertinebãt.

PEL-

PELLERE pericula. Periculum eſt experimentum, & facere periculum, eſt capere experimentum, vnde Terentius Eunucho Actu 3. ſcena 2. ait.

fac periculum in litteris,
Fac in paleſtra in muſicis: quæ liberum
Scire æquum eſt adoleſcentem, ſolertem dabo.

Verum hic, periculum idem eſt ac aduerſitas, ſiue calamitas, aut diſcrimen, in qua ſignificatione Virgil. 3. Æneid. verſu 365.

Sola nouum, dictuque nefas, Harpya Celeno,
Obſcenamq; famem, quæ prima pericula vito
Prodigium canit, & triſtes denunciat iras,
Quidue ſequēs, tantos poſſim ſuperare labores.

Sic Plautus Aulul. Actu 2. ſcena 2.

Hoc magnum eſt periculum, me ab aſinis, ad boues tranſcendere.

CAPITI. Caput dictum eſt, quod inde ſenſus omnes, & nerui initium capiant. Eſt enim à natura poſitum in ſummo, vt in quo foret regimen totius animantis; Ab eo Latini dicebant, facinus illud eſſe capitale, quod capitis detruncatione, aut alio modo, vitæ ademptione eſſet luendum, iuxta namque Apuleium, cauſa capitalis eſt, in qua agitur de vita, & ſalute hominis. Sic Plautus Menechmis Actu 1. ſcena 1.

Numquā ędepol fugiet, tametſi capital fecerit.

Capiti autem cano dictum eſt, per metonymiam adiuncti, pro capillo albo, in quo eſt exaggeratio: ſiquidem vituperabilius eſt talia facere in ſenili ætate, quam in florenti iuuentute.

TEPIDUM. Alicubi legitur Trepidum,

quæ lectio arridet Caſaubono, eamque tam ſententia, quam ſyllabarum patitur quantitas. Non eſt tamen conſtruendum cum patrono, vt is dicatur optare audire Trepidum Decenter, etiam ſi is, & antequam plauſum, verbumque Decenter audiat, trepidet, & paueat, dubitans num ſua defenſio iudicibus, & auditoribus grata ſit futura, vt inde ſibi laus, plauſuſque proueniat: & poſt plauſum etiam trepidet præ lætitia, cogente illum ad exiliendum, vt pedibus ſtare nequeat. Non inquam ſic cum patrono conſtrui debet, nam dicendum fuiſſet Trepidus, & non Trepidum, & ita non foret locus Ecthlipſi, quam verſus exigit. Vnde debet conſtrui, vt referatur ad auditores, fictum, frigidumque plauſum facientes, cuiuſmodi laus frigida eſt, & extorta: & hac ratione Trepidum, & Tepidum coincidunt. Et ideo Tepidum eſt retinendum, qua voce ſignificatur, oratorem exigere qualemcumque etiam affectatam laudem, profectam è ſummis labijs, & non ex corde, qualis eſt quum ob recitatam orationem, patronus laudatur, ſed damnatur cliens. Nam talis patroni, ſiue orationis laus, per verbum Decenter, Doctè, aut Belle, frigida eſt, Tepor ſiquidem, qualitas eſt media inter calorem, & frigiditatem, itaut ad vtrumlibet horum cõtrariorum comparatus, alterius induat conditionem. Hinc Ouidius 1. Faſtorum.

Aurea pellebant tepida vmbracula ſoles.

Et 3. Triſtium elegia 12.

Herbaq; quæ latuit Cerealibus obruta ſulcis,
Exerit è tepida molle cacumen humo.

Quod

Quod verum eſt loquendo de his qualitatibus nedum phyſicè, & iuxta earum naturam, ſed etiam quum transferuntur ad ſignificandos affectus, & paſſiones animi. Hinc qui impensè alicui fauere tenebatur, ſi non omnia præſtitit, quæ iſte, & fortè irrationabiliter, cupiebat, ab eo prædicabitur, frigidè ſibi fauiſſe. At ſi is, cui non incumbebat negotij cura, vel verbulũ pro eo emiſerit, igneus fuiſſe dicetur. Et quum hic Tepidum transferatur ad animum, eam ſignificat laudem, quam non expreſſit operis meritum, ſed potius fictio, & adulatio. Laus enim, quam alacer pangit animus, motus ex actionis merito, calida videtur, ignea, & inflammata: quam vero adulatio, tepida, immo frigida. Cauſidicus autem iſte, fictam ſaltem, & adulatoriam, ſiue emẽdicatam expetebat laudem, quæ non poterat non eſſe frigida, vtpotè non procedens ex animo; & hoc appellatur Tepidum Decenter.

DECENTER. Aduerbium ab imperſonali Decet, ſignificans honeſtum, aptum, conueniens, & conſentaneum, loco, tempori, rei, vel perſonæ. Sumitur pro Bellè, Doctè, Ingenioſè, & Eleganter: & eſt vox plaudentium, & probantium. Hic ſignificatur, auditores laudare fictè, & adulatoriè, & non ex merito; & nihilominus Declamatores tales appetere laudes, & in eis ſuorum laborum vltimum conſtituere finem, ſi auditores, aliquibus ſuarum orationum clauſulis, vel figuris, plauſum etiam tepidum, ac fictum extuliſſent. Et quo plures huiuſmodi plauſus fuiſſent excitati, eo maiorem gloriam ſibi videbantur aſſecuti.

FVR es ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis librat in antitheſis: doctas poſuiſſe figuras laudatur, Bellum hoc. Bellum hoc? an Romule ceues? Annalium lib. 14. cap. 2. refert Tacitus, Cirenenſes ſub Nerone Principe, reum repetundarum, læſæ Reip. immo maieſtatis, & ſacrilegij, vocaſſe Pedium Bleſum, eo quod Æſculapij expilaſſet theſaurum, delectumque militarem pretio, & ambitione corrupiſſet. Poteſt igitur de hoc Pedio locus intelligi, qui tãtorum criminum poſtulatus, per patronum reſponſurus, hic, loco diluendorum criminum, orationis vacabat phaleris, eam comens & calamiſtrans, vt de eo dici poſſet, quod de de quodam alio Antonius Iulianus dixit apud Gellium lib. 9. cap. 15. *Hic ſine controuerſia diſertus eſt*, quia elegantem quidem habuerat orationem, ſed controuerſiam non attigerat. Vel vt ille, de quo Hieronymus refert, quod quum diſertè diceret, & ferretur volubilitate verborum, ſed cauſam non tangeret, auditor, & iudex, Benè inquit, & benè, ſed quò iſtud tam benè? Patronus autem, rei, ſiue clientis perſonam induit, vt tantumdem ſit dicere Patrono, Fur es, quantum ſi diceretur, Tuus cliens eſt fur.

RASIS. Raſus participium eſt à verbo Rado, vnde idem valet, ac inciſus, complanatus, mundatus, & extirpatus: & in propoſito, eſt elaboratus, & elegans: trahitur enim ab eborarijs, & ſtatuarijs. Sic Virgilius 2. Georgicæ verſu 358.

Tum leues calamos, & raſæ haſtilia virgæ,
Fraxineaſque aptare ſudes, furcaſq; bicornes,

Et

Et Ouidius lib.2. de Ponto elegia 4.

Vtque meus lima raſus liber eſſet, amici
Non ſemel admonitu facta litura tuo eſt.

Et Statius lib.4. Siluarum in Epitropeſio Herculis *Ebur Piſæo pollice raſum.*
Epitheta igitur, ſiue antitheta raſa, erunt elaborata, eleganti, & expolita.

ANTITHETIS Antitheton eſt ſchema, quod accidit, quum contraria contrarijs opponuntur, vt in illo Ouidij lib. 1. Metamorphoſeos *corpore in vno*

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cũ duris, ſine pondere, habentia põdus.

Et in hoc maximè oratores illi peccabant, quod ſummam orationis virtutem conſtituebant in huiuſmodi contrapoſitis, & argutijs, ſiue verborum, ſiue ſententiarum, quum tamen talibus, orationis eneruetur robur, illiuſque vera firmitas, & pulchritudo in nugas degeneret. Hinc ſani ſtomachi oratores, & auditores, ineptias reputant anthiteta, ſimiliter cadentia, & deſinentia, & ſimilia ſchemata, de quibus diximus in Inſtit. orator. lib.3. Tract.3. cap.5. frequentata quidem à Gorgia Leontino, & Iſocrate, ſed vitata à forenſibus, exiſtimantibus, ijs orationem reddi elumbem. Pedius ergo, nulla argumentorum diluendorum habita ratione, his ſchematibus orationem calamiſtrabat, ſic ſibi laudem captans, ſed cauſam prodens ſui clientis. Quis autem, ait lib.9. Quintilianus ferat, contrapoſitis, pariter cadentibus, & conſimilibus, iraſcentem, flentem, & rogantem, vbi atrocitate, inuidia, miſeratione pugnandam eſt? quum in his re-

bus, cura verborum deroget affectibus fidem: nam vbicumque ars oſtenditur, veritas abeſſe videtur, nam hæc non quærit fucum, nec pigmenta, aut cincinnos, & vt Euripides in Phœniſſis ſcribit, ſermo veritatis ſemper eſt ſimplex.

LIBRAT. Librare propriè eſt ponderare, expendere, trutinare, extimare, & examinare rei grauitaté, ſiue pōdus, ad quod maxime pertinet internoſcere, atq; diſcernere inter duas res, vtra illarum ſit maioris ponderis. Sumitur etiam pro æquare, vt vna videlicet res, aliam in pondere non excedat. Gorgiæ ergo, & Iſocratis imitatores, nedum ſenſus, ſiue ſententias alijs ſchematibus expolire tentabant, ſed inſuper ſingula verba, ea contraponendo, faciendoque clauſulas ſimiliter cadentes, & deſinentes, curandoque vt periodi eodem conſtarent numero ſyllabarum. Et ita dicit, Pediū raſis antithetis librare crimina ſibi obiecta, hoc eſt expendere contra exornationes, quaſi tantumdem, immo plus valere deberent ſuæ exornationes ad abſoluendum, quantum ad damnandum valebant crimina à Cireneuſibus obiecta; quapropter etiamſi illa vera, & probata eſſent, ea ſoluere, ac diluere non curabat, quæ erat inſignis fatuitas.

AN Romule ceues. Romulus, ea metonymia qua autor ponitur pro opere, poſitus eſt pro Romanis, nam ipſe, Romanæ Vrbis conditor fuit. Ceuere autem verbum eſt obſcœniſſimum, ſignificans actum, imitantem geſtum canum adulantium, & caudas mouentium, quem geſtum exprimunt impudici catamiti

tamiti ſub pędiconibus. Indignus certè, qui à Romano, vel quocumque ſe virum natum ſciente, exerceatur. Sic ceuere dixit Martialis lib.3. epigrammate 95.

Sed pędicaris, ſed pulchre Neuole ceues.

Sicut autem Romanos dedecebat ceuere, ita & adulari, & blandiri, maxime fingendo contra conſcientiam: id enim proprium eſt ſordidorum æruſcatorum, cœnipetarum, & ſimilium ſeruilis conditionis animorum, Romani autem credi volebant ſe rerum eſſe dominos, qui nec Regibus ſeruire pati poſſent, ideoque indignum erat eos in hæc vitia lapſos, vt Iuuenalis ait ſat.2. verſu 126.

O Pater Vrbis,
Vnde nefas tantum Latijs paſtoribus? vnde
Hæc tetigit, Gradiue, tuos vrtica nepotes?

Ceuere ergo eſt blandiri, indecoro corporis motu, qualem expreſſit Plautus extremo Epidici, dum ait:

Plaudite, Valete. Lũbos porgite, atq; extollite.

MEN moueat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem protulerim? Cantas quum fracta te in trabe pictum ex humero portas? Verum nec nocte paratum plorabit, qui me volet incuruaſſe querela. Hanc eãdem ſententiã Quintilianus expreſſit dicens. Cõmoueatur ne quiſquam eius fortuna, quem tumidum, ac ſui iactantem, & ambitioſum inſtitorem eloquentiæ, in ancipiti ſorte videat? non. Immo oderit reum, verba aucupantem, & anxium de fama ingenij, & cui eſſe diſertum vacet. Men autem dictum eſt per Apocopen, pro, me ne.

NAVFRAGVS nonnumquam ſumitur acti-

uè pro cauſa, & loco naufragij, vt naufragus auſter, naufragum mare: ſed frequentius paſſiuè pro eo, qui naufragium paſſus eſt, & vel nauem fregit, aut aliter bonorum coactus eſt facere iacturam, ſiue ipſe emerſerit, ſiue non. Sic Ouid. in Ibin.

Siue per immenſas iactabor naufragus vndas,
Noſtraque longinquus uiſcera piſcis edat.

ASSEM. As idem erat, ac Mna, ſiue Mina, ſeu libra, ex vncljs duodecim, ſeu drachmis nonginta ſex conſtans, nam drachma erat octaua pars vnciæ. Et quamcumque rem in partes æquales diuldere volebant (etiam ſi patrimonium, vel hęreditatem) eam aſſem appellabant; & illius partes dicebant vncias: vnde legimus aliquem ſcriptum hæredem ex aſſe, vel ex dodrante: vt alibi dicemus, nunc enim non eſt ſermo de aſſe in hac acceptione: ſed prout eſt quidā nummus æreus, & vilis, quatuor valens noſtros denariolos, ſeu quatrinos, nempe ferè baioccum Romanum præſentis monetæ. Et hoc as erogari ſolebat pauperibus æruſcatoribus: ſed poeta negat hoc ſe daturum naufrago cantanti.

IN TRABE. Trabs propriè eſt lignum duplex, ædificij cauſa ex duobus tignis compoſita. Sic Virgilius 2. Æneidos verſu 11.

Præcipuè quum iam hic trabibus contextus acernis.

Et ibidem verſu 448.

Auratasq; trabes ueterum decora alta parentū
Deuoluunt.

Sumitur etiam pro arboribus, ex quibus tigna, & alia ædificantur 9. Æneidos verſu 87.

Ni

Nigranti picea, trabibuſq;obſcurus acernis.
Et ab hac trabis ſignificatione, qua ponitur pro arboribus,deriuata eſt alia acceptio,qua, per ſenecdochen materię, trabs ponitur pro naui ex trabibus,arboribus, & tignis compoſita. Sic Virgilius 3. Æneid.verſu 191.

Vela damus, vaſtumque,caua trabe,currimus æquor.

Sic Horat.1.Carm.Ode 1.

vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta ſecet mare.

Et Statius lib.3. Siluarum in Propemptico Metij Celeris verſu 70.

Fugimus exigua clauſi trabe,& aëere nudo.

Verum hic per metonymiam adiuncti pro ſubiecto, portare ſe pictum in trabe fracta, eſt geſtare tabellam, in qua pictum erat naufragium; quia namque ſegnius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus,qui infortunio quopiam erant mactati, ad ciendam in proximis miſericordiam, in tabella illud exprimebant, efficacius tali perorantes modo,quam lingua. Trabs ergo hic ponitur pro tabella, in qua depictum erat naufragium, quam, humero pendentem, geſtabat naufragus, cuius aſpectu excitabantur obuij ad ei ſtipem porrigendam. Huic autem pauperi, quem angebat non minus amiſſarum recordatio diuitiarum; quam indigentia præſens, cantare, eſt nedum indecens, ſed impoſſibile: & ſimiliter impoſſibile videtur, eos poſſe orationis fucos ſectari,qui in capitis verſantur periculo: immo omnis huius conatus erit, ad diluenda obiecta crimina, aut co-

lore aliquo deforis adſcito, illa purgare: vel eorum veniam deprecari. Et hæc trabs ſiue tabella, non oportebat eſſe fruſtum fractæ, & laceræ nauis, ſed ſufficiebat lignũ quodcumq;

VERVM plorabit &c. Elegans, & aptum epiphonema. Tunc autem dicimus aliquẽ plorare verũ, quando orator, eius, quem loquenté inducit, induit naturam, & affectum: Præceptum enim eſt: Vt moueas alios, prius moueare tu, quod quia ſeruare, vel negligebat, vel non valebat M. Callidius, accuſator Q. Gallij, quod ſibi venenum propinaſſet, audiuit à Cicerone patrono rei, vt ipſe refert in Bruto cap. 11. *Tu iſthoc M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? præſertim quum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime ſoleas, tuum negligeres? Vbi ardor animi, qui etiam ex infantium ingenijs elicere voces, & querelas ſolet? Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur, pedis, quod minimum eſt, nulla ſupploſio. Itaque tantum abſuit, vt inflammares noſtros animos, ſomnum, iſto loco, vix tenebamus.* Debet ergo orator cauſæ Iuridicialis, & capitalis, fugere eas exornationes, quæ oleant lucernam, & longum indicent ſtudium: quod monet etiam Quintilianus lib. 10. dicens. Illa quæ dicimus, non domo attuliſſe, ſed ibi potius ſumpſiſſe videamur, & oratori, & ipſi cauſæ plurimum confert, nam ea magis miratur, & minus timet Iudex, quæ non putat aduerſus ſe præparata.

INCVRVASSE propriè dicitur de corporibus, quum à rectitudine fuerunt detorta, vel deorſum inclinata. Sic Virgilius lib. 5. Æneidos verſu 500.

Tum

Tum validis flexos incuruant viribus arcus.
Et Ouid. 4. Triſtium elegia 6.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet, & incuruo colla premenda iugo.

Trãsfertur etiam curuitas ad affectus, & paſſiones, ſeu ad animum, qui ijs deceptus, ad prauum à recto flectitur, & torquetur, quomodo noſter Perſius infra ſat. 2. verſ. 61. dicet:

O curuæ in terras animæ.

Sic Seneca lib. 3. de Ira cap. 5.

Nõ eſt magnus animus, quẽ incuruat iniuria.
Et in Conſolatione ad Polybium cap. 26. *Quũ voles rerum omnium obliuiſci, cogita Cæſarem, vide quantam, huius in te indulgentiæ, fidem, quantam induſtriam debeas: intelliges non magis tibi incuruari licere, quam illi, ſi quis modo eſt fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur.* Et Sidonius Apollinaris, loquens de Aruando lib. 1. epiſt. 7. Vincentio ſuo directa, ait in eandem ſententiam. *Quis ſuper ſtatu eius nimis inflecteretur, quem videret accuratum, delibutumque, lautumijs, aut ergaſtulo inferri:* Itaque ait. Qui me volet incuruaſſe, id eſt flexiſſe ad miſericordiam, debet fleuiſſe ex animo, & ſecundum veritatem.

SED numeris decor eſt, & iunctura addita crudis: Claudere ſic didicit verſum, Berecynthius Atthyn. Et qui ceruleum dirimebat Nerea Delphin, ſic coſtam longo ſubduximus Appænino. Arma virum: nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui? Vt ramale vetus vegrandi ſubere coctum. Excuſabat patronus ineptarum fabularum, ſuas nugas, exẽplo, & hinc negabat eſſe ſatyrico ſale perfricandum eum, qui ijs vteretur,

nam etiam ſi in eo peccaret, illud tamen in quo multitudo delinquit, inultum eſſe conſueuit, contra illud Hieronymi: Peccantium multitudo, errori non parit patrocinium. Irridet ergo poeta ſic ſcribentes, quaſi diceret: Præclarè certè de Romanis muſis meriti, cenſeri debent iſti, qui non contenti ſolutam corrupiſſe orationem, poeticen etiam ſatagunt polluere, rythmis eam farcientes, vt in iſtis Neronianis, Berecynthius Attyn, Et qui ceruleum dirimebat Nerea Delphin. Claudere autem eſt includere, obſtruere, & obſerare: factum ex claui, & verbo dandi, quaſi claudere ſit claui dare, vtique ſeruandum. Sic apud Plautum, quum tam Amphitruo, quam Iuppiter dicerent, quot pecuniæ fuiſſent in marſupio, ſubdit Soſia, Amphitruone Actu 4. ſc. 2.

Vterq; rem tenet probe, intus in crumena clauſum alterum eſſe oportuit.

Sic Tibullus lib. 4. ad Meſſalam.

Quemue locum ducto melius ſit claudere vallo

Et Virgilius 3. Georgicorum verſu 212.

Atq; ideo tauros procul, atque in ſola relegant
Paſcua, poſt montem oppoſitum, & trans flumina lata,
Aut intus clauſos ſatura ad præſepia ſeruant.

Sed nonnumquam claudere eſt terminare, ſiue perficere, & finire. Sic Martial. s lib. 13. epigramm. 11.

Claudere, quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi quur noſtras inchoat illa dapes?

Et hoc modo nunc ſumitur pro terminare.

DIDICIT. Diſcere eſt diſciplinam aliquam apprehendere. Sic Tibullus lib. 4. Panegyrico ad Meſſalam.

Hic & colla iugo didicit ſummittere taurus. Sed frequenter ponitur pro modo quocumq; cognoſcere, ſic Mercurius apud Plautum Amphitruone Actu 1. ſcena 1.

Nequiter ferire malam, malè diſcis manus.

Et eadem fabula Actu 2. ſcena 2.

Alcumena. *Quur negas?*

Amphitruo. *Quia vera didici dicere.*

Alcumena. *Haud ęquum facit.*

Qui quod didicit, id dediſcit.

Et ſic nunc eſt in praxim ducere, & experiri.

BERECYNTHIVS Attyn. In multis codicibus legitur Athys, forte quia paſſim ſic apud autores effertur huius adoleſcentis nomen: tamen enunciatur etiã Attyn, vt liberũ ſit lectionem eligere ad libitũ. Quoad sẽſum vero, verba videbantur Perſij, aſſerentis Attynen, ſic ſolitum claudere verſus, nempe cum rythmo, & verbis obſoletis: & Attinis nomine intelligere Corybantes, Berecynthiæ Sacerdotes, qui pulſantes cymbala, hymnos cantabant, refertos vocibus ab vltima antiquitate petitis, in argumentum vetuſtatis numinis ſui. His etiam verſibus ſuauitatem conciliabant rythmorum conſonantiæ, & iuncturæ. Et idem dic de Delphino. Sed quia expoſitores volunt has clauſulas fuiſſe Neronis, rectè reprehenduntur, molles enim ſunt ratione materiæ, & formæ rythmicę. Plures autem fuerunt Attines, ſiue Athydes. Primus quidem Indus, filius Lemniacis, nepos Gangis: necatus à Perſeo in Andromades nuptijs: dę quo Ouidius 5. metamorphoſeos.

Erat Indus Athys, quem flumine Gange

Edita

Edita Lymniace vitreis peperiſſe ſub vndis
Creditur.

Alius fuit Omphales ex Hercule filius: de quo nati Lydus, atque Thyrrenus, primus Lydiæ, Thyrreniæ, ſiue Ethruriæ alter nomen dedit, vt lib 5 voluit Strabo. Tertius fuit is, cui deſponſata fuerat Iſmene, Iocaſte, & Oedipi filia, ad cuius tamen nuptias non peruenit, ante eas à Tydeo necatus, vt cecinit Statius 8. Thebaid. verſu 554.

Pactus Agenoreã primis Athys ibat ab annis
Iſmenen.

Quartus fuit Croeſi Lydorum Regis filius, vt quidam æquiuocantur, mutus à natiuitate, qui, quo die Cyrus Perſa Sarden Regiam Lidiæ cępit, videns Perſam inuadentem Croeſum ſibi ignotum, & quem Rex, præſenti clade affectus, deuitare negligebat, nihil putans differre, an mortem percuſſus oppeteret, an non: id inquam videns filius eius mutus, patri timens, in vocem erupit, dicens: Homo, ne perimas Croeſum: & hoc primum effatus, poſtmodum per omne vitę tempus, vocalis extitit. Sed Herodotus in Clio non mutum, ſed alium vocalem, Croeſi filium, aſſerit Atthyn nominatum, ſic enim ait: *Erant Croeſo liberi duo, quorum alter qui mutus, inutilis erat: alter inter ęquales omni iure longe primus, nomine Athys: Hunc itaque Athym, Cræſo ſignificat ſomnium, fore, ut ferrea cuſpis traiectum interimeret.* Quintus fuit puer quidam Phrygius, nulla re alia, præterquam egregia forma, cõſpicuus, ob quam à Cybele, ſiue Berecynthia magna Deorum matre, amatus, illius ſacris præpoſitus

tus fuit, ea conditione, vt perpetuam ſeruaret caſtitatem: quam ille certe vouit: ſed quum deinde, vel concupiſcentia victus, vel voti oblitus, Sangaridem Nympham compreſſiſſet, ab irata Dea, ſæuiſſimas coactus eſt luere pœnas, vt Ouidius cecinit lib. 4. Faſtor. dicens:

Phyx puer in ſiluis, facie ſpectabilis altis
Turrigeram caſto uinxit amore Deam,
Hunc ſibi ſeruare uoluit, ſua templa tueri,
Et dixit, Semper fac puer eſſe uelis
Ille fidem iuſſis dedit, & ſi mentiar, inquit
Vltima, quam fallam, ſit Venus illa mihi
Fallit, & in Nympha Sangaride deſinit eſſe
Quod fuit, huic pœnas exigit ira Deæ
Naiada uulneribus ſuccidit in arbore factis
Illa perit: fatum Naiados arbor erat
Hic furit: & credēs thalami procumbere tectū
Effugit, & curſu Dindyma ſumma petit.
Et modo Tolle faces, Remoue, modo, uerbera clamat
Sæpe Paleſtinas iurat adeſſe Deas,
Illæ etiam ſaxo corpus laniauit acuto,
Lōgaq; in immūdo puluere tracta coma eſt,
Voxq; fuit, Merui, meritas do ſanguine pœnas
Ah pereant partes, quæ nocuere mihi
Ah pereant, dicebat adhuc, onus inguinis aufert,
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta uiri.

Qui quum vlterius manus ſibi vellet adferre, à placata Dea prohibitus, in pinum arborem eſt conuerſus, & hæc arbor Berecynthiæ ſacra habetur. Et de hoc Athyde nunc eſt ſermo, quum dicatur Berecynthius, ſermo autem de illo, quoad materiam, mollis eſt, ſiue

de

de puero intelligatur, ſiue de quouis alio Cybel s ſacrificulo, omnes enim Galli erant, & exsecti, & propterea molles.

CÆRVLEVM, quaſi Cæluleum à Cœlo, eſt ille color, qui imitatur cœli puri, nempe nubibus, vaporibus, & exhalationibus vacui, colorem & ſpeciem & is à cœlo mari communicatur, & in eo veluti in ſpeculo cernitur, vnde mare etiam ceruleum denominatur à Virgilio 12. Æneidos verſu 141.

Fonteſq; fluuioſq; voco, quæq; etheris alti
Religio, & quæ ceruleo ſunt Numina ponto.

Et hoc modo, pro mari videlicet, ſumitur hic.

DIRIMEBAT. Dirimere ab Di, & emo, addita R, vel S in R mutata, eſt diſtrahere, diuidere, & ſeparare. Sic Plautus Amphitruone Actu 1. ſcena 1.

Sed prælium id tandem diremit nox interuentu ſuo.

Quia vero nantes, aquas diuidunt, & ſeparant, quo corpora tranſeant, hinc Delphinus natans, dirimere dictus.

NEREA. Nereus Oceani, & Tethyos filius, vnus ex Dijs maris, qui ex Doride ſorore, & vxore ſua, innumeram ſuſcepit Nympharum multitudinem, quæ omnes ab ipſo Nereides ſunt appellatæ. Meminit eius Virgilius, quum de Proteo loquens, ait 4. Georg. verſu 391.

Hunc & Nymphæ ueneramur, & ipſe
Grandæuus Nereus, nouit namq; omnia uates.

Sed frequenter per eam metonymiæ ſpeciem, qua præſes ponitur pro re, cui præſidet, ſumitur pro mari. Sic Tibullus lib. 4. Panegyrico ad Meſſalam,

Vexit

Vexit & Eolios placidum per Nerea ventos.
Et hoc modo nunc Nerea pro mari poſitū eſt.

DELPHIN, Delphinus, & Delphinis, eſt piſcis è cetaceorum genere, catulos decimo menſe pariens, & interdum binos vberibus nutriens. Ferunt, piſces huius ſpeciei, contra morem aquatilium, habere linguam mobilem, & pro voce gemitum, humano ſimilem, edere. Vocatos autem Simones, vel quod roſtro ſint ſimo, vel à Simone, quodam puero, ſinus Baiani in Campania accolę, quem Delphinus mirum in modum amabat. Eſt etiam Delphinus cauda maximè lubricus, vt ea teneri ſit impoſſibile, indeque factus locus prouerbio, ſignificanti fruſtaneum conatum, Delphinum cauda ligare: niſi mauis natum ex eo, quod eius maxima vis ſit in cauda, cuius agitatione, etiam naues pròſternere valet. Ferunt inſuper Delphinum aquatilibus omnibus eſſe velociorem, & inde prouerbium Δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις ideſt Delphinū natare doces, quo vtimur in eos, qui exercitatiſſimū in re quapiā, volunt monere. De Delphino etiam dicunt, impensè ſuos fœtus diligere, illorum incolumitatem curare, vnde Nazianzenus ad Nicobulum patrem Nicobuli filij nomine, ex Iacobi Billij tranſlatione ait: [Parentes, ac liberos arctiſſimo amoris vinculo natura inter ſe deuinxit, atque hoc parentibus medicamentum, ac ſolatium excogitauit, vt graues acerboſque dolores, amoris lenitate molliret. Quo fit, vt & bos pro iuuenca ſua, & canis pro teneris catulis, & aues pro pullis ſuis, acerrimum certamen ſuſcipiant. Et panthera ma-

magno animi impetu è Sylua prorumpat, & aper incredibili furore inflammetur, horreſcant iubæ, ardeant oculi, dentes ſeſe inuicem acuentes, vaporem edant, ſpuma genas obruat, dum proli ſuæ opem ferre, vel mortem oppetere contendunt. Amoris quippe ſtimulus hoc ipſis, ſine vllius legis magiſterio perſuaſit. Veſpæ inſuper rupibus inſidentes, ſi quē propius conſpexerint, etiam ſi alioqui teneræ ſuæ ſoboli nihil mali moliatur, protinus tamen è petris ſeſe effundunt, confertoq; exercitu, circa eum bombilant, tranſeuntemq; acutiſſimis aculeis inceſſunt. Quin huiuſmodi amore, lex quoque ſua in mari conſtat, ſi modo verum eſt, quod de piſcium rege Delphino, quidam ſcriptis prodidere. Ferunt enim eum ſi quando cetum quemdam, teneræ, atq; imbecilli proli ſuæ aduantem perſpexerit, confeſtim eam, genis expanſis, rurſum accipere, cibique cuiuſdam inſtar, ne piſcibus prædæ ſit, in fauces admittere, nec mirabilem illam, ac pene incredibilem ſarcinam prius eggerere, quam valētiſſimi ceti minas effugerit, tum autem leni illum enixu defungi, ac prolem euomere.] De eodem dicunt, delectari ſymphonia muſica, & præcipuè ſono hydrauli. Delphin autem iſti Nerea dirimens, à quibuſdam dicitur ille, qui nuptias Neptuno cū Amphitrite conciliauit. Hæc enim Nerei, ſiue Oceani, & Doridis filia, quum à nuptijs abſtinere, & virginitatem ſeruare vellet, Neptuno, qui eius amore captus erat, coniungi renuebat. Quapropter Neptunus, eloquentiſſimum ad eam oratorem, & paranymphum

Del-

Delphinũ deſtinauit: qui quum per varia loca eam inueſtigaſſet, inuenit tandem ad radicem montis Atlantis, multiſque argumentis, ac mellita facundia, ei perſuaſit Neptuni coniugium. Quod Higinus etiam tradit in Delphino lib. 2. de ſignis Cœleſtibus dicens ex Eratoſthene: *Neptunũ quo tẽpore uoluerit Amphitritẽ ducere uxorem, & illa cupiens ſeruare uirginitatem, ſugerit ad Atlanta, complures eo queſitum dimiſiſſe: in his, & Delphina quemdam nomine, qui peruagatus inſulas, aliquando ad uirginem peruenit, eique perſuaſit, ut nuberet Neptuno, & ipſe nuptias eorum adminiſtrauit.* Certè ſi verba forent poetæ, non poſſent intelligi de hoc Delphino, quum hic, verſus non fecerit, nec eſt veriſimile, eum ad perſuadendũ puellæ nuptias, vti debuiſſe vocibus obſoletis. Sunt ergo clauſulæ Neronis, à Perſio irriſæ, ſiue de hoc interpreteris Delphino, ſiue potius de uectante Arionem. Arion ſiquidem Methymneus, ex inſula Lesbo, nobiliſſimus Citharoedus, ac poeta lyricus, dithyramborum inuentor, & carminis Tragici, quem ferunt ſupra duo verſuum millia poſteris reliquiſſe. Hic chariſſimus Periandro Corinthiorum Tyranno, quum ſua muſices arte, inextimabiles aceruaſſet diuitias, aliquando cum eis è Tarento, Vrbe Italiæ, in Salentinis poſita, patriam petiturus, nauem conſcendit; vbi nautas audiuit primum diſputantes, de inde decretantes necem illi inferre, quo ipſius potirentur diuitijs. Quos quum ita animatos ad ſe accedere videret, primum rogauit, quatenus ſibi eius haberent diuitias, dum ſibi ſolam vitam

vitam reliquam facerent. Id vbi non valuit impetrare à verentibus, ne poſtquam in terram appuliſſēt, nedum ſua bona repeteret, ſed pœnas etiam ab eis exigeret, ſceleris cogitati, rogat, vt ſaltem tantum ſibi vitæ concederēt, quātum ſatis eſſet, vt, veluti olor moriturus, ſibimet exequias canere poſſet. Quo impetrato à reputantibus lucri acceſſionem, ſi tam nobilis citharœdi (euadere nullatenus valentis) vltimas poſſent audire voces: omni ſuo ornatu decoratus, è puppi Dijs marinis Orthium cecinit carmen. Quo abſoluto, quum nautas in ſcelere videret obfirmatos, arcum & citharam manu tenens, in mare ſe proiecit, ſatius ducens voraci heic elemento, quam hominum expertæ immanitatis, ſuam credere vitam. Sed dum aquis deberet abſorberi, Delphinus, ex eorum numero, qui ad eum audiendum acceſſerant, dorſo exceptum, in Tenarum Laconiæ promontorium eum depoſuit, vnde Corinthum venit, Periandrumque omnium fecit certiorem, à quo conquiſiti infideles illi nautæ (qui aliquot poſt diebus portum Corinthi tenuerant) & ex quantitate, & qualitate diuitiarum, ab Arione ante deſcriptarum, conuicti, intentati ſceleris pœnas, morte dederunt. Fabulam iſtam pauculis mutatis, narrant Herodotus in Clio, Hyginus fabula 194. & Gellius lib. 16. cap. 19. eamque ſic deſcribit Ouidius lib. 2. Faſtorum.

Nomen Arionium Siculas impleuerat Vrbes,
Captaque erat lyricis Auſonis ora ſonis
Inde domum repetēs puppim conſcendit Arion
Atque ita quæſitas arte ferebat opes

For-

Forſitan, infelix ventos, vndaſque timebas
At tibi naue tua tutius æquor erat,
Namque gubernator, diſtricto conſtitit enſe,
Cæteraq armata conſcia turba manu.
Quid tibi cũ gladio? dubi. m rege nauita pinũ
Non hæc ſunt digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, mortem nõ depre-or, inquit,
Sed liceat, ſumpta pauca referre, lyra.
Dant veniam, ridentq; morã, capit ille coronã,
Quæ poſſet crines Phœbe decere tu-s
Induerat Tyrios bis tinctam murice pallam
Reddidit icta ſuos pollice chorda ſonos.
Flebilibus numeris, veluti canentia dura
Traiectus penna tempora, cantat olor
Protinus in medias ornatus deſilit vndas
Spargitur impulſa cærula puppis aqua
Inde (fide maius) tergo Delphina recuruo
Se, memorant, oneri ſuppoſuiſſe nouo.
Ille ſedens, citheramq; tenens, pretiũq uehendi
Cantat, et æquoreas, carmine, mulcet aquas.

In eius rei memoriam ferunt huic Delphino, & Arioni ſtatuas fuiſſe poſitas, quo loco appulerant. Et de eo interpretantur, aſſerentes clauſulas eſſe ineptas ob rythmum, & ſimilem deſinentiam vocum, Attin, & Delphin, quæ etiam reprehenditur in conſequentibus, vt ibi dicemus.

SIC coſtam. Coſta propriè eſt os ſpinæ cohærens, ſuoque complexu, & interuentu, inteſtina coercens. De vna talium primi hominis, prima mulier formata fuit: vt enim dicitur Geneſis cap.2. *Creator tulit unam de coſtis eius* (Adæ) *& repleuit carnem pro ea, & ædificauit coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.*

rem. Inde quidã (etſi falſo) ferunt, mulieribus eſſe coſtam vnam amplius à viris. Ex quo falſitatis arguitur Cornutus hic, aſſerens per coſtæ ſubtractionem verſum fieri molliorem, quia fœminæ viris molliores, coſta vna ab illis deficiunt, quum potius vna abundent. Nonnumqũam coſta ſumitur pro cute, pellem tegente. Virg. 3. Georg. verſu 255.

Ipſe ruit denteſque Sabellicus exacuit ſus.
Et pede proſubigit terram, fricat arbore coſtas.

Transfertur ad latus tam ædificij, quam nauis, & montis; vnde ſatyra 6. verſu 31. coſtam ratis laceræ nominabit: & hic coſta Appœnini, nempe ſcopulus, & rupis montis Appœnini. De coſtis belluæ marinæ, ait Ouidius lib. 4. metamorphoſeos.

Quaq; patẽt, nũc terga canis ſuper obſita cõchis
Nunc laterũ coſtas, nũc qua tenuiſſima cauda
Deſinit in piſcem, falcato vulnerat enſe.

SVBDVXIMVS. Non video, quur Io: Baptiſta Plautius ſubducere, accipere debuerit pro ſubdere, & ſubponere: & exempla Hieronymi, & Macrobij pro ſe adducta, contrarium euincunt. Verba Hieronymi ſunt: Poſſum reſpondere, poſſum genuinum dentem, læſus, infigere: Et nos didicimus litteras, & nos ſæpe manum ferulæ ſubduximus: de nobis quoque dici poteſt, Fœnum habet in cornu, longè fuge. Macrobius vero: Exclamat Euangelus diu ſe ſuccubuiſſe patientiæ, nec vltra diſſimulandum, quin in medium detegat inſcitiæ Virgilianæ vulnera: & nos inquit manum ferulæ aliquando ſubduximus. Vtroque hoc in loco, ſubducere eſt ſubtrahere, quod pueri

mentes faciunt in ipſo actu vapulandi. Sic Iuuenalis ſatyra 1. verſu 15.

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus, & nos
Conſilium dedimus Syllæ, priuatus vt altum
Dormiret.

Sic Ouid. 13. Metamorph.

Ergo haud exilio viros ſubduxit Achiuis,
Aut nece.

Et id ſiue palam fiat, ſiue clanculo, & furtim Plautus Curculione Actu 2. ſcena 3. inquit:

Iacto baſilicum, propino magnum poculum, ille ebibit, (*anulum.*
Caput deponit, condormiſcit, ego ei ſubduco

Sic Virg. Ecloga 3. verſu 5.

Hic alienus oues cuſtos bis mulget in hora,
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis!

Et ita ſubducere eſt ſubtrahere, auferre, & ſubripere, cuius oppoſitum eſt ſubdere, quod volebat Plautius.

APPOENINO. Appœninus mons eſt, qui, quaſi ſpina per dorſum hominis, totam Italiæ excurrit longitudinem: nam incipiens à Liguria, & finibus Germanorum, atque Heluetiorum, & Gallorum, protenditur vſque fretum Siculum, & Rhegium Brutiorum Vrbem. Dictus Appœninus (ſi Liuium lib. 21. cap. 38. ab Vrbe condita audiamus) ab eius ſacrato vertice, quem Peninum, ait, montanos appellare: ſi vero Seruium, & alios, à Pœnis nempe Carthaginenſibus, qui cum Annibale, Italiam vaſtaturi, has alpes tranſierunt, quaſi dicerentur Alpes Pœninæ. Conſtat enim Carthaginenſes dici Pœnos, ideo quod à Phœnicibus, & Sidonibus, per Didonem Phœniſſam orti

forent, vnde dempta aſpiratione, non Phœni, ſed Pœni ſunt appellati, & ab eorum tranſitu, Alpes per quas in Italiam deſcenderunt, cognominatæ Pœninæ, & totus mons Appœninus. Eſt certè mons iſte aſper, longus, & decliuis, vt merito longus dici potuerit. Verum hic metaphoricè Appœnini nomine, pedem intelligit metricum, & quidem carminis heroici, habentem proportionem cum Appœnino in longitudine, & decliuitate, cuiuſmodi nequit eſſe niſi Dactylus, tribus conſtans ſyllabis, quo longiorem heroicus non admittit: & quia earum extremas ambas breues habet, in pronunciando velociter decurritur, ſic mõtis imitans decliuitatem: quod non eſt in ſpondęo breui, & graui: nec in anapeſto longo certe, ſed non decliui, immo arduo, quum terminetur ſyllaba longa. Sic ergo mons Appœninus, poſitus eſt pro pede Dactylo. Quod autem dictum eſt, ſubduximus coſtam longo Appœnino, ſi hiſtoriam attendamus, ſignificat id, quod fecit Annibal, exercitum in Italiam traiecturus; is enim videns rupes, & ſcopulos tranſitum impedire, igne, ſulphure, & aceto, ſaxa emolliuit, ac diſſipauit, & ſic iter aperuit. Sed ſiſtendo in metaphora de pede metrico, ſubducere coſtam longo Appœnino, ſeu pedi Dactylo, eſt ei ſubtrahere ſyllabam, & efficere, vt ſit ſpondæus pro Dactylo; quod in hoc eodem verſu ſeruatum eſt, nam quum in quinta ſede Dactylum habere deberet, ſublata ei coſta, ſeu ſyllaba, remanſit ſpondaicus. Et hoc putabat ad verſus mollitudinem pertinere.

AR-

ARMA virum. Verba ſunt patroni eorum poetarum, quos Perſius reprehendebat, cuius adeo obrutum erat iudicium, vt ſuos clientes crederet Maronianam aſſecutos altiloquentiam, vnde dicit. Nonne Virgilij carmen, & maximè principium, turgidum eſt, & inflatū? quod ſi illud non accuſas, quur mea, illud exprimentia, caſtiganda cenſes? Certe Virgilius grande aggreſſus opus, ſublimi vſus eſt exordio: nihil enim armis nobilius, quæ (vt multis placet) ſola nobilitatem conferunt. Et, citra Deum, homine nihil excelſius, qui & microcoſmos appellatur. Inter homines etiam pauci ſunt viri, viribus ſcilicet animi pollentes, & corporis. Adde cępiſſe à vocali omnium vocaliſſima, & à tali liquida, quæ, ſublata omni mollitie, virilem facit pronunciationem. Verum huic principio optimè reſpōdet opus, nihil ſpirans niſi magnum, vt non ei acciderit, quod Antimacho illi, qui ſic exorſus *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum*, vt habet Horatius ad Piſones, quum nihil attuliſſet huic principio reſpondens, factum eſt, quod ibi ſubditur nempe: *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus. Spumoſum* vero eſt, quod ſpuma abundat: ſpuma autem eſt fex rara, ex vehementi agitatione nata, & ſupernatans liquidis, qualem videmus in ollis bullientibus, in mari æſtuanti, in canum, equorum, & ſimiliū ore. Sic Virg. 1. Æneid. verſ. 39.

Vela dabāt læti, & ſpumas ſalis ære ruebant.

Sic idem Virgil. 3. Æneidos verſu 567.

Ter ſpumā eliſam, & rorantia vidimus aſtra.

Sic Ouidius lib. 3. Metamorphoſeos.

Tum vero poſtquam ſolitas acceſſit ad iras
Plaga recens, plenis tumuerũt guttura venis,
Spumaq; peſtiferos circumfluit albida rictus.

Spumoſum ergo eſt, quod tali abũdat ſpuma, vt locus vbi à Tritone, Miſenus fuerat merſus, de quo Virgilius lib.6.Æneid.verſu 174.

Inter ſaxa virum, ſpumoſa immerſerat vnda.

Quum autem Perſius in poetis ſui temporis inflationem reprehenderet, & tumorem, cui ſubſiſtentia non ſubeſſet, iſte illorum patronus interrogat, num hoc idem non ſit in Virgilio, & alijs, quos Perſius probabat. Et idem ſignificatur per corticem pinguem: nam quæ pinguem habent corticem, plerumque parum habent ſoliditatis. Vnde interuenit hic Exergaſia, ſchema quo idem diuerſimode explicatur.

VT ramale vetus. Hæc eſt Perſij reſponſio ad interrogationem patroni ineptorum poetarum. Quæſierat ille, num non videretur Virgilianum carmen eſſe ſpumoſum, & cortice pingui, ideſt turgidum, & inflatum? Reſpondet Perſius: verſum Virgilij eſſe, vt ramale vetus coctum vegrandi ſubere. Eſt autem ramale, ramus inutilis ab arbore deciſus: & denominatur vetus, ad ſignificandum eſſe ex eo detractam omnem ſuperfluitatem, & humiditatem. Et hæc translatio congruit operibus Virgilij, quum legamus ipſum horis matutinis verſus ſcripſiſſe, vel vſque centum, quos veſpertinis arctabat ad decem, vel duodecim, & ita ramalis, exſiccabat humiditatem, nihil habens redundans, aut ſuperfluum. Idemque innuit vox, coctum, idem

va-

valens, ac perfectum, imperfecta enim, cruda dicebantur, indeque iunctura addebatur numeris crudis: coctum vero erat perfectum, & laude dignum, vt carmen Virgilij.

VEGRANDI ſubere. In aliquibus codicibus legimus, prægrandi. Et certè ſi loqueretur de cortice arboris ſuberis, prægrandis dici deberet, quum nulla arbor corticem habeat tam craſſum, quam ſuber: indeque cortex, per excellentiam ſuber intelligitur: & hinc prouerbia, eſſe cortice leuiorem, &, Natare ſine cortice, & alia in quibus, corticis nomine, ſuber eſt intelligendus. Verum quia ſuber non eſt aptus coctioni, vel igni fouendo, non intelligitur hic locus de eo. Eſt enim ſuber arbor glandifera, & ſemper virens, hoc habens ſpeciale, vt cortex, ſi eo fuerit ſpoliata, eidem renaſcatur, nec, vt aliæ arbores, ex corticis areſcat detractione. Tam cortex autem, quam lignum, nec ignem clarum reddit, nec ſeruat, immo ſtatim extinguitur, & eſt multo, ac denſo fumo odioſum: & quæ tali fumo inficiuntur, viſcoſitatem contrahunt, ac pinguedinem, qua, igni aliquandiu reſiſtunt. Sed nihilominus cortex iſte vtilis eſt, vel quod, illi alligata ſupernatent, quæ mergi nolumus: vel quod eo innitantur natare diſcentes: vel quod eo cadorum obturentur ora: vel quod, ad cuſtodiẽdos pedes à ſoli humiditate, eos ſutores crepidis ſupponunt. Sed non eſt nunc ſermo de tali ſubere, aut de illius cortice: ſed per ſenecdochen ſpeciei pro genere, quilibet cortex, ſuber eſt appellatus: ideoque non prægrandis, ſed vegrandis dictus in alijs codici-

bus. Ita Porphyrius grammaticus in illud Horatij 1. ſer. ſat. 2. *vndique magno*

Pulſa domus ſtrepitu reſonat, vepallida lecto
Deſiliat mulier, ait:

Quidam putarunt, vepallidā nunc eſſe vnam partem orationis, vt vegrādi ſubere coctum, ait Perſius. Et Fontius in hunc locum inquit. Quum ſuber, autore Plinio volumine 16. arbor minima inter glandiferas ſit, iure eam Perſius vegrandem, ideſt paruam, minutamque, reſpectu aliarum arborum glandem ferentium, appellauit. Vegrandem male grandem, vel paruam ſignificare, manifeſtum eſt ſcientibus veteres, ve, rei paruæ præpoſuiſſe, hinc Veiouem, & veſabam dicebant. Sic Ouid. 3. Faſtorum.

Nunc vocor ad nomen, Vegrandia farra coloni
Quę male creuerunt, veſcaq; parua vocant.
Vis ea ſi verbi eſt, quur non ego Veiouis ædem
Ædem non magni ſuſpicer eſſe Iouis.

Sentit ergo carmen Virgilianum eſſe excoctū, ſiue elaboratum, atque perfectum, & in quo nihil redundet, etiam ſi quilibet verſus, vt ramale conſtans tenui cortice, conſideretur per ſe, vt ſeparatus à corpore totius operis, vt qui tempore, & vetuſtate exaruerit.

QVIDNAM igitur tenerum, & laxa ceruice legendum eſt? Verba patroni. Is videns Perſium accuſare ſuos cliētes turpitudinis, & affectatæ elationis, interrogat, quænam carmina ſibi videantur dulcia, & ſuauia.

TENERVM autem eſt molle, tractabile, ac flexibile. Hinc ætas tenera eſt puerilis. Seneca de Conſol. ad Heluiam cap. 16. *Altius præcepta*

cepta deſcendunt, quæ teneris imprimuntur ætatibus. Transfertur ad orationem, quæ tunc eſt tenera, quando auribus eſt delectabilis, & ſuauis.

LAXA, eſt remiſſa, & non intenta. Sic vela laxa, quæ non tenduntur impetu ventorum; ſic habenæ laxæ, quibus molli, lenique imperio, equi reguntur: nam adductis, quam laxatis habenis laborioſius incedunt: Ab equis ducta videtur hæc metaphora de ceruice laxa, ſiquidem illi, habenis laxis, collum ſubmiſſum, & ad terram inclinatum gerunt. At legere ceruice laxa, eſt legere ſono, & voce remiſſo, & humili, non alto, & exaltato. Sic Mecenas apud Senecam epiſt. 114. *Incipitque ſuſpirans, vt ceruice laxa feratur.*

CERVICE. Primus Hortenſius, iuxta Quintilianum, ceruicem dixit, nam priſci in numero multitudinis, ceruices dicebant. Eſt autem ceruix poſterior colli pars, quæ ab occipitio incipiens, in dorſi ſpinam tendit. Eius vſus eſt, vt ad dexteram, ſiniſtram, prorſum, atque retrorſum verti poſſimus, conſtat enim oſſibus orbiculatim vertebratis, quorum beneficio facilè circumflectitur. Vnde qui flecti nequeunt, duræ ceruicis eſſe dicuntur; ſed metaphoricè, duræ ceruicis dicuntur, ac ceruicoſi, inexorabiles, indomiti, contumaces, & in ſuis opinionibus obſtinati. Contra, laxæ ceruicis intelliguntur, parati parere, qui facilè ſinunt ſibi perſuadere, & reuocari à conceptis opinionibus.

TORVA mimalloneis implerunt cornua bōbis,
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo Baſ-

 ſaris,

ſaris, & Lyncem Menas flexura corymbis Euion ingeminat, reparabilis adſonat Echo. Verba Perſij, quibus reſpondet patrono ineptorum poetarum, quaſi diceret: Quæris, quæ poemata cenſeam adamuſſim elaborata? Reſpondeo, ſequentia *Torua* &c. Qui verſus translati creduntur ex Neronis Bacchis: ipſum enim, teſtatur Xiphilinus in Nerone, nedum compoſuiſſe tale opus ad Euripidis imitationem, ſed & ſaltaſſe, primum Neapoli, deinde Romæ, vt refert Suetonius in Nerone cap. 20. his verbis *Terpnum Citharœdum, vigentẽ tunc pręter alios, accerſire, diebuſque continuis poſt cœnam canenti, in multam noctem aſſidens paulatim, & ipſe meditari, exercerique cępit, nec eorum quidquam omittere, quæ generis eius artifices, vel conſeruandæ vocis cauſa, vel augendæ factitarent, ſed & plumbeam chartam ſupinus pectore ſuſtinere, & clyſtere, uomituque purgari, & abſtinere pomis, cibiſque officientibus, donec blandiente profectu, (quamquam exiguæ uocis, & fuſcę) prodire in ſcenam concupiuit, ſubinde inter familiares Græcum prouerbium iactans: occultæ muſicę nullum eſſe reſpectum. Et prodijt Neapoli primum, ac ne concuſſo quidem repente, motu terræ, theatro, ante cantare deſtitit, quam inchoatum abſolueret νόμον.* Et Tacitus Annalium lib. 15. cap. 5. dicens: *A.V.C. 817. C. Lecanio, M. Licinio Coſſ. acriore in dies cupidine adigebatur Nero, promiſcuas ſcenas frequentandi: nã adhuc per domum, aut hortos cecinerat iuuenalibus ludis, quos ut parum celebres, & tantæ uoci anguſtos, ſpernebat. Non tamen Romæ incipere ſcenas auſus, Neapolim, quaſi Græcam urbem di-*

delegit, inde initium fore, ut tranſgreſſus in Achaiam, inſigneſque & antiquitus ſacras coronas adeptus, maiore fama ſtudia ciuium eliceret. Ergo contractum oppidanorum uulgus, & quos è proximis colonijs, & municipijs, eius rei fama ciera, quique Cęſarem per honorem, aut uarios uſus ſectantur, etiam militum manipuli, theatrum Neapolitanorum complent. Illic, plerique ut arbitrabantur, triſte, ut ipſe, prouidum potius, & ſecundis numinibus euenit: nam egreſſo, qui effuerat populo, uacuum, & ſine ullius noxa, theatrum collapſum eſt. Laudantur hi verſus ironicè, nam ſunt verè reprehenſibiles, quum, verbis inflati, ſenſu ſint deſtituti, & iunctura molles, ac effœminati, cũ affectatione rythmi, & ſimilitudine cadentiæ, aut terminationis, nam idem eſt caſus duorum priorum verſuum in pentimimeris, & vltimis ſyllabis: & eadem terminatio tam in primo, & tertio, bombis & corymbis: quam in ſecundo & quarto, ſuperbo & Echo. Eſto autem excuſare quidam conentur hos verſus exemplo Catulli in Argonautica, ſeu carmine 65. dicentis:

Nequicquam uanis iactantem cornua uentis.

Et idem infra eodem carmine 65. ait:

Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris. Et infra.

Multis raucisonos efflabant cornua bombos.

Quod etiam in primoribus poetarum eſt inuenire. Vana nihilominus eſt hæc defenſio, quum aliud ſit figuras iſtas, ſpontè incidentes, ſuperſtitioſè non vitaſſe, quod illi fecerunt: aliud illas affectaſſe, quod Nero, & eiuſdem farinæ poetaſtri faciebant: & hoc nunc Per-

ſius reprehendit. *Torua.* Toruus dicitur, qui ipſo aſpectu præ ſe fert ferociam. Quod nomen quidam deriuant à terrendo, quaſi ſit teruus: alij à toruoſitate, ſiue obliquitate aſpectus: alij à tauris, quorum toruitas videtur propria. Inde Catullus de coma Berenices, ſeu carmine 67. inquit.

Id mea me multis docuit regina querelis
Inuiſente nauo prælia torua viro.

Et Virgil.3.Georg.verſu 51.

Optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix.

Putat autem Cornutus, Neronem hoc verſu alludere voluiſſe ad hiſtoriam, qua legitur, Calandrum Regem Illiricorum, inuaſum à Macedonibus, quum exercitum non haberet paratum ad illis occurrendum, mulieres, ritu Bacchantium ornatas, cum thyrſis, & cornibus, illis viſendas obtuliſſe: quarum aſpectu hoſtes territi, credentes armatorum eſſe multitudinem, in ſua ſe receperunt.

MIMALLONEIS. Mimallones eædem ſunt, ac Baſſarides, Ogygides, Thyades, Menades, Bacchides, & Bacchantes, nempe mulieres Bacchi ſacrificulæ; ita dictæ vel à Græco *μιμέομαι* imitor, quod imitarétur Bacchum, è ſubacto Oriente, & Indica redeuntem expeditione, geſtatione cornuum, & thyrſorum: vel à Mimante Ioniæ, ſiue Aſiæ minoris, vt Plinio, & Straboni, vel Thraciæ monte, vt Suidæ placuit, vbi ab his ſacrificulis quotannis Bacchi ſacra certamina fiebant: & vnde nefanda hæc ſuperſtitio ad alias nationes migrauit.

grauit. De talibus ſic Ouidius lib. 1. de Arte.
Ecce Mimallonides, ſparſis in terga capillis
Ecce leues Satyri, præuia turba Dei,
Ebrius ecce ſenex, pando Silenus aſello
Vix ſedet, & preſſas continet arte iubas,
Dum ſequitur Bacchas, Bacchæ fugiuntque petuntque
Quadrupedẽ ferula, dũ malus vrget eques
In caput aurito cecidit delapſus aſello,
Clamarunt Satyri, ſurge age, ſurge ſenex.

BOMBIS. Bombus eſt ſonus, quem edunt apes circa ſua aluearia. A cuius ſimilitudine bombyces dicti vermes quidam, erucibus ſimiles, ex India, Seribus, & Ethiopia in Europam aduecti, appellati primum bombyli, deinde necydali, poſtremo bombyces. Hi, araneorũ more, tenuiſſima ex ſuis viſceribus per os ſtamina, & fila ducunt, ex quibus folliculos componentes, in eis ſeipſos claudunt, & immoriũtur. Homines vero ex illis folliculis, aqua calida madefactis, ſtamina educentes, ſericas ſibi parant veſtes: primaq; ex folliculis iſtis fila educens, torquens, texens, & veſtem conficiens, dicitur fuiſſe mulier è Pamphilia, Latois filia. Sed neutro ex his modis nunc accipitur bombus. Tertio bombus eſt ſonus ille, vel raucus, vel nõ admodum acutus, terribilis tamen & fortis, quem reddunt cornua, & tubæ; à quo per œnomatopoiam, nomen traxit bellicum inſtrumentum, quod, eo, quia vehementem hunc ſonum edat, & ardeat, bõbardam appellant. Et ita bombus mimalloneus, erit ſonus editus cornibus à Bacchi ſacrificulis: vel erit ſonus tubarum ab eiſdem

factus, [ad imitandum Bacchi triumphum, redeuntis ex deuicto Oriente.

ET raptum. Exiſtimabam ſcriptum fuiſſe, ſectum: incongruum enim videbatur dicere auferre ablatum, vel ablatura raptum: ſed legens, vniformiter in omnibus codicibus inueni, raptum: intellexique non eſſe miram hanc in Nerone redundantiam: illius enim ſunt hi verſus adeo reprehenſibiles. Niſi mauis, primum Agauen Penthęi caput abſcidiſſe, & rapuiſſe; deinde eiuſdem ſorores per ludum & furorem ebrietatis, ex illius manibus illud iterum rapuiſſe.

BASSARIS erat Bacchi ſacrificula, ita dicta ab ipſo Baccho, qui Baſſareus dicebatur à Baſſario Lydiæ oppido, vbi primum hæc ſacra cœperunt. Vel à quodam veſtis genere, ad talos vſque demiſſæ, quam Thraces baſſarim dicunt, quæ in eodem Lydiæ oppido fiebat, & qua in his ſacris vtebantur. Vel à Βάζω clamo, nam hæc ſacra maximis clamoribus agebantur. Hinc Horat. 1. carminum ode 18.

Non ego te candide Baſſareu
Inuitum quatiam, nec varijs obſita frondibus
Sub diuum rapiam.

Sic etiam Propertius ad Bacchum, nempe libro 3. elegia 15.

Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.

Baſſaris autem, ſeu ſacerdos, quæ erat ablatura caput raptũ ſuperbo vitulo, fuit Agaue, Cadmi, & Hermiones filia, Echionis Thebarũ regis vxor, ex quo Penthea filium ſuſcepit. Hæc quum celebraret Orgia Bacchi cum ſo-

roribus, & alijs mulieribus in monte Cithęrone, vidit Penthea filium venientem, vtique ad ea diſturbanda: ſed illæ Bacchi, vel vini furore inſanientes, eum diſcerpſerunt, putatum non filium, aut hominem, ſed vitulum, aut aprum. De qua re ſic cecinit Ouidius lib. 3. Metamorphoſeos.

Hic oculis illum cernentem ſacra, profanis
Prima videt, prima & inſano concita motu
Prima ſuum, miſſo violauit Penthea thyrſo
Mater, Io, geminæ clamauit, adeſte ſorores
Ille aper, in noſtris errat, qui maximus agris
Ille mihi feriēdus aper, Ruit omnis in vnū
Turba furens, cunctæ coeunt, trepidumque ſequuntur.
Iam trepidum, iam verba minus violenta loquentem.
Iam ſe damnantem, iam ſe peccaſſe fatentem.
Saucius ille tamen, Fer opem matertera, dixit
Autonoe, moueant animos Actęonis vmbræ.
Illa quis Actęon neſcit, dextramq; precanti
Abſtulit, Inoo lacerata eſt altera raptu
Non habet, infelix, quæ matri brachia tendat
Trunca, ſed oſtēdens diſiectis corpora membris
Aſpice mater ait. Viſis vlulauit Agaue
Collaque iactauit, crinemque per aera mouit,
Auulſumq; caput digitis complexa cruentis.
Clamat, Io comites, opus, hæc victoria noſtrū eſt.

Merito autem à Bacchantibus vitulus, ſeu aper occiſus dicitur, nam iuxta Euripidem, Bacchæ vitulos occidunt, vaccas, & tauros. Ideo vero Pentheus ſuperbus vitulus dictus, quia Bacchi ſacra contemnebat: nulla autem ſuperbia maior, quam mortalem, cornua con-

tra immortalem erigere, eiuſque religiones, vel ſacerdotes contemnere. Vt enim ait Statius epiſtola ad Abaſcantium præfixa libro 5. Siluarum: *Qui bona fide Deos colit, amat & ſacerdotes.* Quod ſi adeo punita ſunt ſacrilegia apud Ethnicos portenta colẽtes, & falſas deitates, quanto deteriora merentur ſupplicia, veram, incontaminatamque, & infallibilem Chriſtianorum religionem, facto ipſo deſpicientes. Paueant dum nullam, aut exiguam ſacris templis exhibent reuerentiam, & minorem ſacerdotibus, vnici, & veri omnipotentis Dei miniſtris. Sed hæc obiter.

LYNCEM. Lynx animal eſt vulpe multo maius, pelle nigris quibuſdam maculis per totum cõſperſa, cæterum ceruino colore, quod, ceruos nihilominus prædatur. Sed vnde dicatur à quibuſdam lupus ceruarius, inuenire non licuit, quum, præter magnitudinem, nihil illi, & lupo ſit commune: ceruarius certè dici potuit ratione coloris, & quia ceruos venatur, ſed non lupus. Simile eſt tam feli, quam leopardo, ſed capite omninò felem refert, niſi quod aures habet acutiores, in quarum ſummitatibus nigri, cæteriſque longiores cernuntur pili. Viſu excellit, nam *Nos aper auditu vincit, ſed aranea tactu, Vultur odoratu, Linx viſu, Simia guſtu*, idque conijcitur ex ipſius lyncis oculi ſtructura, viuacitate enim, & ſplendore dotatus apparet, eumque taliter rebus, quas intuetur affigit, vt det intelligere, quam in eo vim habeat. Sed quod dicunt ipſum, viſu, ſolida etiam, & opaca penetrare, perſuadebunt forte Arcadibus glandiuoris,

nos

nos id pro fabuloſo habemus, quum id negemus etiam Hiſpanis Zahurinis, niſi fortè iſti, per Dęmonis aſſiſtentiam,abdita cernant,diabolo illarum imagines coram eos ponente. De lynce ferunt eſſe adeo obliuioſum, vt ſi ſemel oculos auerterit à cibo coram poſito, illius obliuiſcatur, & ad alium ſibi parandum dilabatur. Quod vero quidam, & in his Plinius lib.8. cap.21. dicant, id in Ethiopia tantum, vel India inueniri,compertum eſt eſſe falſum, quum in Italiæ montibus ſæpiſſime capiantur. Quod etiam idem Plinius habet eodem lib.8. cap.38. *Lyncum humor ita redditus, vbi gignuntur, glaciatur, areſcitue in gemmas carbunculis ſimiles,& igneo colore fulgentes,lyncurium vocatas,atque ob id ſuccino pleriſque ita generari prodito. Nouere id hoc,ſciuntq; lynces, & inuidentes,urinam terra operiũt,eoq;celerius ſolidatur illa*, ſed id falſum eſſe aduertit idem Plinius lib.37. cap. 3. his verbis: *De lyncurio proximè dici cogit autorum pertinacia:quippe etiam ſi non electrum id eſſet, lyncurium tamen gemmam eſſe contendunt, fieri autem ex urina quidem lyncis, ſed egeſtam terra protinus beſtia operiente eam, quoniam inuideat hominum uſui. Eſſe autem qualem in igneis ſuccinis colorem, ſcalpiq; Nec folia tantum, aut ſtramenta ad ſe rapere, ſed æris etiam, ac ferri laminas, quod Diocles quidem, & Theophraſtus credidit. Ego falſum id totum arbitror.* De lynce,fabulantur eum fuiſſe Scytharum Regem, qui quo ſibi frumenti inuentio adſcriberetur, interficere voluerit Triptolemum, à Cerere miſſum ad moſtrandum hominibus illius regio-

nis talem vſum, & propterea ab illa vindice Dea, in hoc maculoſum animal fuit conuerſus. De eodem dicebant ipſum ſimul cum tigride, Bacchi trahere currum: nam quum ambo hæc animalia, pellem habeant varijs coloribus maculatam, deſignare poſſunt effectus, quos cauſat immodicus vini potus, & Baccho tribuitur à Virgil. 3. Georg. verſu 264.

Quid lynces Bacchi variæ.

MENAS. Menades eædem erant, ac Bacchantes, & Bacchi ſacrificulæ, ſic dictæ à μαίνομαι furore exagitor: vel à μαίνεσσαι inſanio, quia inſanientium more clamantes, paſſis capillis, Orgia, & ſacra Bacchi celebrabãt. His ſimiles Miniſtræ Bonæ Deæ, de quibus Iuuenal. ſat. 6. verſu 314.

Nota Bonę ſecreta Deę, quum tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant vlulante Priapo
Menades, ò quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox ſaltante libidine! quãtus
Ille meri veteris per crura madentia torrens.

CORYMBIS. Corymbi ſignificant aliquando papillas. Vnde Q. Serenus Samonicus de re medica cap. 21. ait.

Sin autem clauſas penitus dolor angit acerbus
Lumbricis terræ turgentes vnge corymbos.

Sunt etiam fructus chryſocomæ, ſeu chryſitidis herbæ duri folij, palmi altitudine à terra ſurgentis, cuius fructus ſimilis eſt vuæ ſiue bacchæ hederaceæ. Sed quia non eſt veroſimile lyncem potuiſſe regi, ac flecti bacchis ſeu vuis, quidam aſſerunt, Menades flexiſſe lyncẽ ornatam bacchis, ſed tunc corymbi non eſſent

in-

inſtrumentum flexionis lyncis, vt hic innuitur: ideo conuenientius dicemus, hic interuenire ſenecdochen vnius partis pro alia, & corymborum nomine intelligi lora facta ex hedera, vt fiunt ex vite, & plantis ſimilibus: & hoc ad Bacchi currum trahendum per lynces. Ideo Nero voluit Bacchũ vehi curru à lyncibus tracto: & animal alioqui ferum, mira facilitate ab illis regi, loris ex hedera factis: quia Bacchæ diuino furore agebantur.

EVION, acclamatio eſt, quæ Baccho in eius ſacris fiebat, & variæ exprimebatur, eiuſque non vna redditur cauſa. Cornutus exiſtimat illius originem manaſſe ex eo, quod quum in bello aduerſus Titanes, Bacchus non appareret, Iuppiter ab illis diſcerptum credidit, ideo lamentans dixerit Euion, ſeu Heu ion, nempe Miſerum filium. Alij, & magis communiter dicunt, appellatum Euion, quia quum in dicto bello Titanico, in leonem conuerſus, Titanorum vnum, Rhœtum nomine, præ cæteris furentem, interfeciſſet, eo facto, Dijs, cæteriſque, qui iam, timentes, dilabebantur, animum adiecit, vt prælium redintegrarent, & ſic victoriam conſequerentur: ideo à Ioue ſalutatus fuit Euion, ideſt Bonum filium. Effertur autem Euion vt hic: ſed aliquando per vocem biſſyllabam Euoe, vt apud Ouidium narrantem Philomelæ liberationem lib. 6. Metamorphoſeos.

Concita per ſiluas turba comitata ſuarum
Terribilis Progne, furijſque agitata doloris
Bacche tuas ſimulat, venit ad ſtabula auia
tandem,

Exu-

Exululatq; Euoeque ſonat,portaſq; refringit,
Germanamque rapit, raptęq; inſignia Bacchi
Induit.

Et idem Ouidius lib.3. de Arte ait.

Talem te Bacchus, ſatyris clamantibus Euoe
Suſtulit in currus, Gnoſſi relicta,ſuos.

Aliquãdo effertur tribus ſyllabis Euius,Euoe. Sic Plautus Menechmis Actu 5.ſcena 2.

Euoe Euie Bromie, quo me in ſiluas venatum
vocas.

Et Ouidius lib.1. de Arte.

Pars Hymenee canũt,pars clamat Euie,Euoe.

Aliquando additur adſpiratio. Virg.7.Æneid. verſu 381.

Quin etiam in ſiluas ſimulato numine Bacchi
Maius adorta nefas,maioremq; orſa furorem
Euolat, & gnatam frondoſis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Theucris, tædaſque moretur,
Euohe Bacche fremens;ſolum te virgine dignũ
Vociferans.

INGEMINARE, eſt geminare, ſeu duplicare,quod erat ſimplex. Sic Virgil.1. Georg. verſu 410.

Tum liquidas corui preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant.

REPARABILIS dicitur res, quæ reſarciri, redintegrari, & in priſtinum reduci poteſt. Ouid. Epiſt. 5. Oenonis.

Tu quoque clamabis: Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel.

Vox autem reparari poteſt, & reparatur ex cauernis ab Echo.

ASSONAT, ſimul ſonat, vel ſono reſpondet,

det, aut illũ reflectit. Sic Ouid. 3. Metam. ait.

Vltima vox ſolitam fuit hæc ſpectãtis in vndã
Heu fruſtra dilecte puer: totidemq; remiſit
Verba locus. Dictoq; Vale, Vale inquit & Echo.
Ille caput viridi feſſum ſubmiſit in herba
Lumina nox clauſit, domini mirãtia formam.
Tum quoq; poſtquam eſt inferna ſede receptus
In Stygia ſpectabat aqua. Planxere ſorores
Naiades, & ſectos fratri impoſuere capillos
Plãxerunt Dryades, plãgentibus aſſonat Echo.

ECHO, Nympha Cephiſi Boetij fluuij accola, multa eloquentia prædita, qua multoties Iunonem detinuit, ne Nymphas, ſub Ioue cubantes, deprehenderet. Id vbi aduertit Iuno, eam loquela priuauit, eidem relinquens vt ſolas vltimas, ſecum loquentis, voces, fari poſſet. Hæc quum Narciſſum eiuſdem Cephiſi, & Liriopes filium adamaret, & ab eo, ob formæ præſtantiam, inſolente, ſpreta fuiſſet, nec illi quicquam ſuadere poſſet, ſermone priuata, dolore contabuit, & ſic abdita ſiluis, & cauernis, oſſa in ſaxa abierunt, nihilque eius, niſi vocis extremum remanſit, teſte Ouid. 3. Metam. Vnde quidam de ea cecinit.

Vidi, arſi, fleui, triſtemque, heu fata, repulſam
Spreta tuli: ſum nunc vox, ſonus, aura, nihil.

Et Simpoſius de eadem ſic loquitur.

Virgo modeſta nimis, legẽ bene ſeruo pudoris,
Ore procax non ſum, nec ſum temeraria lingua
Vltro nolo loqui, ſed do reſponſa loquenti.

Propriè autem Echo eſt ſoni repercuſſio, nam Græci rupes concauas, valleſque argutas, ex quibus vox reflectitur ἠχὼς appellant, nam ἠχῶ eſt reſono. Talis autem ſoni repercuſſio

ſio fit maximè ex conuallibus, & locis concameratis, vbi ſcinditur aer reſultans, & voces acceptæ multiplicantur, adeout porticus fuerit in Olympijs, heptaphone appellata, ob ſeptemplicem eiuſdem vocis repetitionem, de qua fortè intelligit Lucretius dicens libro 4. verſu 582.

Sex etiam, aut ſeptem loca vidi reddere voces,
Vnam quum iaceres, ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.

Dicitur vero reparabilis, quia numquam laſſeſcit, nec fatigatur: immo quantumcumque poſt longas vocum repetitiones, aliquis, vehementiori contentione clamet, eodem ipſa tono, & ſimili reſpondebit energia, prorſus vt appareat eſſe à natura, quæ non laſſeſcit, nullatenus vero ab anima, quæ multoties fatigaretur.

HÆC fierent ſi teſticuli vena vlla paterni viueret in nobis? Hac excandeſcentia rei indignitatem ob oculos ponit, ſignificans narratæ qualitatis poemata, numquam fuiſſe formãda ab habentibus quĩdquã ſapiẽtiæ, aut virtutis antiquorum. Ad vitandam etiam inuidiam, vtitur Communicatione, dicens: In nobis, dum aliorum vitium reprehendit. Teſticulus eſt diminutiuum à teſte: teſtis autem eſt coleus, ſic dictus, quaſi ſit teſtis virilitatis. Vnde Horatius Epodo ode 15. ait.

Nam ſi quid in Flacco viri eſt.

Et in Priapedia carm. 14.

Magnis teſtibus iſta res agetur.

Sunt autem duo teſticuli, ſiue colei, ab inguine per ſingulos neruos deſcendentes, cum

quo-

quorum quolibet, binæ veniunt venæ, & arteriæ, contectæ tunica, quamuis neruoſa, tenui tamen, & exſangui. Teſticulis priuati dicuntur capi, caſtrati, Apocopi, Deteſtati, Exſecti, & Emaſculati. Et quum ab his teſtibus, ad filiorum organizationem, ſimul cum virtute ſeminali, credatur à parentibus deſcendere vis, & inclinatio ad mores, & qualitates ſimiles eis, quæ in parentibus fuiſſent (dum ſeminis vis vegeta, & non effœta fuiſſet) hinc indignatur poeta, quod in hos nulla deſcendiſſet maiorum vis, qui omni fuiſſent virtute præditi, iſti vero omninò elumbes.

SVMMA delumbe ſaliua hoc natat in labris, & in vdo eſt Menas, & Athys. Nec pluteum cedit, nec demorſos ſapit vngues. Ordo eſt. Hoc delumbe natat in labris ſumma ſaliua, & Menas, & Athys eſt in vdo, nec cedit pluteum, nec ſapit vngues demorſos Caſaubonus intelligit, Perſium dicere voluiſſe. Hoc delumbe, ideſt delicatuli poetæ, natat ſumma ſaliua in labris, ideſt nullum habere ſolidæ eruditionis fundamentum, ſed quidquid dicunt, naſcitur extremis labris ex ſuperficiaria doctrina, & ſine arte. Melius tamen exponemus. Hoc delumbe, nimirum molle, & effœminatum iſtud carminis genus, in promptu eſt, vt effutiatur ex extremis labris, ſimul cum prima ſaliua. *Delumbe*, & elumbe eſt lumbis carens, ſeu cui lumbi ſunt confracti. Et quia, vt diximus ad illa verba verſus 20. *Quum carmina lumbum intrant*, in lumbis reſidet maxima pars virium corporis animalis, inde delumbe eſt languens, debile, eneruatum, viribuſque deſtitu-

tum.

tum. Sic Plinius lib. 10. cap. 33. *Perdix prægrauem, aut delumbem ſe ſimulans.* Delumbe ergo eſt molle, & effœminatum, minimeque virile. Hinc Cicero in Oratore cap. 22. ait: *Apud eos uarietas non erat, quod omnia ferè concludebantur uno modo. Quę uitia, qui fugeris, ut neque uerbum ita traiciat, ut id de induſtria factum intelligatur: neque inferciens uerba, quaſi rimas expleat, nec minutos numeros ſequens, concidat, delumbetque ſententias, nec, ſine ulla commutatione, in eodem ſemper uerſetur genere numerorum, is omnia ferè uitia uitauerit.*

ET in udo eſt Menas, & Athys, ſiue Attin. Idem eſt eſſe in vdo, ac natare in labris, & ſumma ſaliua, nimirum eſſe in procliui, vt proximè enuncietur. Vdum, quidam deriuant ab vuido, quod eſt tale humidum, ſiue pingue; vt intrinſecus aliquid humoris conſeruet: alij ab humido, quod humorem habet, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, quem alijs communicare poteſt. Vtcumque ſit, ſyncope hic interuenit: & ſi ab humore deriuetur, ſcribitur aſpiratè: ſi ab vuido, non: quæ eſt communior ſententia Ouid. 1. de Arte.

Si lachrymę (neq; enim ueniũt in tẽpore sẽper)
Deficient, uda lumina tange manu.

Et idem Ouid. lib. 2. Triſtium elegia vnica.

Sic madidos ſiccat digitis Venus uda capillos.

Et quia res per vdum facilè labitur, & ruit, ſermo de Menade, & Athyde, quaſi in vdo poſitus, dicitur eſſe in promptu, vt effundatur, quaſi nataſſet in labris cum ſumma, & prima ſaliua.

NEC pluteum cædit. Exprimitur his verbis

cauſa quare poemata fierent adeo inconcinna, quia ſcilicet in illis pangendis nulla adhibebatur diligentia, & meditatio, ſed ſtatim effutiebatur quidquid natabat in labris. Pluteus autem eſt machina quædam muralis, ad caſſidis ſimilitudinem facta, contexta ex viminibus, corijſque protecta, quæ ad hoſtium muros, ſiue munitiones, rotis agebatur, ſub qua latentes oppugnatores, ſagittis, alijſque miſſilibus propugnatores eminus deijciebant. De hac ait Plautus Milite glorioſo Actu 2. ſcena 2. *(agam.*

Si inuenio qui uidit, ad eum uineas, pluteoſq;
Sic Cæſar lib. 1. Belli ciuilis: *Rates Cæſar iungebat, has terra atque agere contegebat, ne aditus, atque incurſus ad defendendum impediretur: à fronte atque ab utroque latere cratibus, ac pluteis protegebat.* Pluteum etiam dicimus fulchrum thori diſcubitorij. Sic Martialis lib. 3. Epigramm. 9.

Continuo ferrum noxia turba rapit,
Exciduntq; ſenem, ſponde qui parte iacebat,
Namque puer pluteo uindice tutus erat.

Tertio pluteus eſt vaſorum, aut librorum repoſitorium. Sic Iuuen. ſat. 2. verſu 7.

Et iubet archetypos pluteũ ſeruare Cleanthas.
Denique quarto pluteus eſt tabula, cui innixi ſcribimus, legimus, ac meditamur. Et hæ tres vltimæ acceptiones, pluteum non variant, quoad ſubſtantiam: & de tali nunc loquitur. Defixi autem in aliqua cogitatione, dum aliquid inuenire conantur, ſolent motus aliquos naturales habere, qui dicuntur hominis, & non humani, quia ſine aduertentia,

& de-

& deliberatione : vt barbam fricare, vngues rodere, tabulam digitis, vel palma percutere, qui motus, hominem arguunt cogitabundum, ſollicitumque de rei, aut verbi, ſeu conceptus inuentione. Quæ ſigna vbi non adſunt, ſcriptoris ſignant oſcitantiam, qualem in Lucilio notat. Horatius dicens 1. ſer. ſat. 10.

in verſu faciendo,

Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

Vult ergo dicere: Quum in poetis noſtri temporis, nullum aduertamus intentæ contemplationis ſignum, nihil edere poſſunt perfectum, ſed quidquid dixerint, vt natum in ore, non in corde, molle eſt, & effœminatum.

PARAPHRASIS TEXTVS TERTII.

MAgnas, recitatis poematibus, conuiuas auditores interrogat: Quid populus de eo ſentiat. Coruiuæ reſpondent. Neſcit populus vniuerſus de re alia loqui, niſi de tuis operibus, quæ iudicat ſummam adepta perfectionem, abſque ſcabricie aliqua, tamquam opus marmorariorum emendatum per vnguem, aut lignariorum per rubricam, & alterum oculorum. Nam Muſa tibi vni conceſſit magnificentiã ſeruare in quacumq; materia, comica, tragica, & ſatyrica. Sed Perſius. Perperam faciunt, qui vix è grammaticæ ludo exceſſi, ſtyli affectant magnitudinẽ, quando nec ſciunt nemus deſcribere, nec laudare rus bonis omnibus refertum, vbi læta Palilia ſunt, & vnde proceſſerunt Vrbis fundatores,

exer-

exercituumque triumphales Duces, quorum aratra domum iuſtitiæ miniſtri deferebant. Subditque: Sunt nunc, qui delectentur aſperis, & obſoletis vocibus Accij, deſumptis ex illius Briſeida: vel Pacuuij, erutis ex huius Anthiope. Et quum videris patres cæcutientes inſtillare huiuſmodi conſilia animis ſuorum filiorum, deſine mirari, vnde proceſſerint hæ inamœnę, & inconcinnæ loquendi formulæ: vel vnde molles Equites Romani, non erubeſcant ſaltare, plaudentes per ſellas inferiorum iudicum, vel in theatro. Et addit. Nonne confundi deberes tu, qui prouectæ es ætatis, non poſſe auertere pericula dānationis à tuo, vel tui clientis cano capite, niſi cupias etiam plausū auditorū, vel iudicū excitare, & audire remiſſam ſaltē laudis vocē, Egregiè, Doctè, vel ſimilē: quemadmodum quum furti reus agere-tur Pædius, is, crimina obiecta, non argumentis, ſed contrapoſitis, alijſque puerilibus figuris diluere tentabat, expectans atque audire ambiens, doctam, ſiue elegantem ſe orationem recitaſſe, nihil penſi habens, an pro criminibus obiectis, & non euacuatis, condemnaretur. At quemadmodum non inducerer ad elargiendam ſtipem naufrago, ſi eum audirem, cantu ſuum naufragium narrantem, ita nec credo verſanti in capitis periculo, ſi orationem calamiſtret: is enim mouere poteſt, qui verbis vtitur dictatis à natura doloris, non ab arte, & eloquentia. *Patronus ineptorum*. Negari nequit quin compoſitio decorem addat orationi, & rythmis etiam imperfectis. Vnde rectè faciunt, qui in verſibus

vtuntur, ſchematibus, ſimiliter cadētibus, aut deſinentibus, & eos componunt ſpondaicos; Si enim non reprehenditur Virgilius, quod vſus fuerit turgido, & inflato principio, nec alij reprehenſione digni erunt, qui talibus vtuntur figuris. *Perſius*. Virgilij principium eſt verè grande, ac magnificum, quam magnificentiam, & altitudinem ſeruat etiam in operis progreſſu, vnde quum ei ſubdatur ſenſus proportionatus, nequit dici inflatus *Patronus*. Si hæc ita ſunt, quodnam dicemus dulce, ac ſuaue poema? *Perſius cum irriſione, & ironia* recitat quatuor verſus ineptos, à Nerone, vel alio facto, in quibus eſt rhythmus cum ſchematibus ſimilis cadentiæ, & deſinentiæ, & ſententia mollis, etiam ratione materiæ de Bacchantibus, & Corybantibus, Menade, & Athyde. Et ſubdit talia fieri non potuiſſe, ſi in huiuſmodi poetis, auorum, ſiue maiorum virtus, & ſapiētia vigeret: nunc vero deſtituti tali ſapientiæ vigore, in procliui ſunt in quolibet ſermone, loqui de Bacchantibus, & Corybantibus, nempe de mollibus, & effœminatis, abſque conſiderarione, & aduertentia, quum ſcilicet meditationis nullum præſeferāt ſignum, neque tabulæ percuſſionem, neque vnguis arroſionem.

TEX-

TEXTVS QVARTVS.

Sed quid opus teneras mordaci radere uero
Auriculas? Videſis, ne maiorũ tibi fortè
Limina frigeſcant. Sonat hic de nare canina
Littera. Per me equidem ſint omnia protinus alba
Nil moror. Euge, omnes, omnes benè mire eritis res.
Hoc iuuat. Hic, inquis, ueto quiſquam faxit oletum.
Pinge duos angues. Pueri, ſacer eſt locus, extra
Meÿte. Diſcedo. Secuit Lucilius urbem
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.
Omne uafer uitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo:
Men mutire nefas, nec clam, nec cum ſcrobe nuſquam?
Hic tamen infodiam. Vidi, uidi ipſe libelle
Auriculas aſini Mida Rex habet. Hoc ego opertum
Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi uendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratũ Eupolidem prægrandi cũ ſene palles,
Aſpice & hæc, ſi forte aliquid decoctius audis
Vnde uaporata lector mihi ferueat aure
Non hic, qui in crepidas Graiorũ ludere geſtit

Sordidus, & luſco, qui poſſit dicere, luſce,
Seſe aliquem credens Italo, quod honore ſupinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.
Nec qui abaco numeros, & ſecto in puluere notas
Scit riſiſſe uafer, multum gaudere paratus
Si Cynico barbam petulans Nonaria uellat
His mane edictum, poſt prandia Callirhoen do.

EXPOSITIO
TEXTVS QVARTI
SATYRÆ PRIMÆ.

SED *quid opus teneras mordaci radere uero auriculas?* Conatus fuerat Monitor varijs argumentis Perſium retrahere à propoſito ſatyras ſcribendi; Cernens autem ſe nihil proficere, hic ipſum terrere conatur, vltimum ipſi minitans ſupplicium in propoſito perſeueranti. Hinc poeta ſimulat ſe cõmotum,& opinionem mutare: ſed deinde quæſtus, interdici ſibi, ne faciat inter priuatos lares, quod Lucilius, & Horatius publicè factitarunt, horum animatũs exemplo,omnino ſcribere determinat. Sed vt Monitori deferre etiam aliquid videatur, ait, ſe ita ſcripturum, vt nec Cæſar, nec eius Proceres intelligant, ſua vitia publicari, quæ erunt veluti infoſſa in ſuo libello. Et quia Monitor à principio dixerat,neminem ſuas ſatyras lecturum, aſſerit ipſe, non alios ſe eligere lectores, quam eos,qui verſati fuiſſent in lectione priſcæ comœdiæ: reſpuere vero vitioſos, & ſapientiæ contemptores. Verba ergo poſita ſunt Monitoris, dehortantis poetam à ſatyrarum editione, ex qua nihil boni venire poterat; vnde temerarium eſſet loqui,vbi

abſque ſpe boni, periculum mali incurritur: nam propterea Iacobus Apoſtolus in ſua Catholica cap. I. ait: *Sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Quod & naturæ autor innuit, binas nobis tribuens aures, vt & binos oculos, linguam vero non niſi vnam, vt etiam ſi mala multa fieri audiamus, vel etiam coram videamus, non illico ea publicemus, maximè in offenſionem præſtantiorum, cum quibus, ſapienter dictum, loquendum eſſe verbis byſſinis.

TENERAS. Tenerum quid ſit diximus ad illa verba verſus 98 *Quidnam igitur tenerum*. Appellat autem teneras auriculas potentiorum, quia facilè offenſionem ſentiunt, adeout potentes ipſi, quocumq; ingrato verbo ad iram commoueantur: Patent nihilominus adulatoribus, & paraſitis, ſuſurronibus, & calumniatoribus, quod eſt maximæ imprudentiæ genus.

MORDACI uero. Mordax eſt diſpoſitum ad mordendum, ſeu lædendum dentibus, dictum à mordeo, quod eſt vel μόρον ἔδω hoc eſt, partem edo, quia mordemus, quum dentibus aliquid ſeparamus: vel μείρω ἔδαν, ideſt diuido edens, nam dentibus, cibus conteritur, & comminuitur, ſed transfertur ad quamcumque doloris, ægritudinis, aut mœſtitiæ cauſam. Plautus Truculento Actu 2. ſc. 4.

Num tibinam amabo, ianua eſt mordax mea,
Quo introire metuas?

Et Ouid. 2. Triſtium.

Non ego mordaci diſtrinxi carmine quemquã,
Nec meus ullius crimina uerſus habet.

Magna

Magna his verbis efficacia exprimitur, quum verum non dicatur meare, aut tangere, ſed mordere aures, nec quaſcumque rudes,& inſenſibiles, ſed teneras, quæ facilius offenduntur, & citius indignantur. *Verum* autem denominatum eſt mordax, iuxta illud Teren. Adriæ Act.1. ſc.1.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Vt enim ait Auguſtinus Epiſtola ad Romulũ, quæ eſt nona inter apocriſas eiuſdem: *Veritas & dulcis eſt & amara: quando dulcis eſt,parcit: & quando amara curat.* Hieronymus etiam, veritatem amaram appellat, triſtem & frontis rugoſæ,quæ correctos offendit,& replet amaritudine eos,qui illam prædicant. Fuit autem communis hominum perſuaſio, veritatem eſſe amaram: ad quam opinionem ex hominum mentibus abolendam,Ægyptij ſacra quædam Mercurio inſtituerunt die xix. primi menſis, quando ficus, & mel edentes, identidem replicabant, *Dulcis veritas.* Stulta certè, & vana ſuperſtitio, manente ſemper in animis hominum auerſione à veritate. Quia ergo veritas odium creat, & offendit, rectè hic verum mordax denominatur.

RADERE eſt incidere, complanare, lacerare, perſtringere, mundare, & extirpare. Sic Lucr. lib 5. verſu 256.

Pars etiam glebarum ad diluuiem reuocatur
Imbribus, & ripas radentia flumina rodunt,

ideſt deterunt, & complanant. Sic Virgil. 7. Æneid. verſu 10.

Proxima Circeæ raduntur littora terræ.

Sumitur etiam radere pro ſcalpere; Et ſic Eu-

clio ait apud Plautum Aulul. Actu 4. ſc. 3.

Non temere eſt, quod coruos cantat, nunc mihi ab leua manu,
Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat ſua.

Nihilominus hic ſumitur metaphoricè, tranſlatione ducta à Chirurgis, qui cultris, putridas radunt, & reſecant carnes, ne per has, ſang inficiantur. Qui cultri, patientibus dolorem adferunt: Verum ergo, ad inſtar cultri, purgat animum à vanis opinionibus, quas in eum ſeminarunt adulatores, vel philautia, & proprius dictauit ſenſus, & quæ, niſi fuerint abſciſſæ, omnem virtutum inquinabunt ſinceritatem. In quo etiam ſenſu loquitur Quintilianus lib. 3. cap. 1. dicens: *Ne ieiuna, atque arida traditio auerteret animos, & aures, præſertim delicatas raderet.*

VIDESIS ne maiorũ tibi fortè limina frigeſcant, ſonat hic de nare canina littera. Sis idem valet, ac ſi vis, ſicut ſultis, idem eſt, ac ſi vultis: & ſodes, ſi audes, & ſic de alijs apud antiquos, maximè Comicos. Sic Plautus Amphitruone Actu 4. ſcena 2. *Taceſſis tu, meum eſt quærere.* Ait ergo Monitor. Caue tibi ò Perſi, nam ſi ſatyram ſcribas, malum tibi à potentioribus creabis, quod curare debes; ne te apprehendat. Et quia hæc denunciatio erat facta per verbum imperatiuum, Vide, quod contumelioſum videri poterat ei, cui fiebat, ſi erat ſuperior, vel æqualis, ad eam emolliendam, remittitur imperium arbitrio eius, cui facta fuerat, addendo, ſis, nempe ſi tibi placet, & id vis.

MAIORVM. Maiores communiter illi intel-

telliguntur, qui ſunt ſupra auos, proauos, & atauos. Sic Cicero in Saluſtium: *Ego meis maioribus virtute mea prę luxi, vt ſi prius noti non fuerant, à me accipiant initium memoriæ ſuæ.* Sic Cæſar de bello Gallico: *Legati venerunt, quorum hæc fuit oratio: Germanos, neque priores populo Romano bellum inferre, neque tamen recuſare, ſi laceſſantur, quin armis contendant, quod Germanorum conſuetudo hæc ſit à maioribus tradita, quicumque bellum inferant, reſiſtere, neque deprecari.* Sic Tibullus lib. 4. panegyrico ad Meſſalam.

Nam quamquam antiquæ gentis ſuperant tibi laudes
Non tua maiorum contenta eſt gloria fama.

Et Plautus Pſeudolo Actu 2. ſcena 1.

Vbicumq; cum hoſtibus cõgrediar, maiorũ meũ
Fretus virtute, dicam, mea induſtria, & malitia, fraudulentia,
Facilè vt vincam, facilè vt ſpoliem.

Et idem Plautus Captiuis Actu 2. ſcena 2.

Ego virtute Deum, & maiorum noſtrum, diues ſum ſatis.

Sed hic Maiorum nomine intelligit, Proceres, & Magnates. Sic Hor. lib. 2. ſerm. ſat. 1.

O puer vt ſis
Vitalis metuo, & Maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

LIMINA. Limen propriè eſt tranſuerſum in ianua, ita dictum à limo, id eſt obliquo, vnde aſpicere limis oculis apud Plinium lib. 8. cap. 16. de leonibus ait: *Dolis carent, & ſuſpicione, nec limis intuentur oculis, aſpicique ſimili modo nolunt.* Sic Terentius Eunucho A 3 ſc. 5.

Interea ſomnus virginem opprimit, ego limis
ſpecto,
Sic per flabellum clanculum.

Pars ergo tranſuerſa in ianua, quæ ingredientibus, vel egredientibus eſt obliqua, propriè limen appellatur. Sic idem Terentius Hecyra Actu 3. ſcena 3.

Mater conſequitur, iam, vt limen exirem, ad
genua adcidit.

Sæpe tamen ſumitur pro partibus oſtij ſuperiori, & inferiori, dictis limen ſuperius, & inferius. Plaut. Mercatore Actu 5. ſc. 1.

Limen ſuperum inferumque ſalue, ſimul au-
tem uale. *{tria pedem.*
Nunc hodie poſtremum, extollo mea domo pa-

Sed per ſenecdochen multoties ponitur pro tota domo. Hinc Ouid. lib. 3. Triſt. eleg. 5.

Auſus es igne Iouis percuſſum tangere corpus,
Et deploratæ limen adire domus.

Sic Seneca lib. de Tranquillitate animi cap. 11 ait: *Toties in uicinia mea conclamatum eſt, toties præter limen immaturas exequias fax, cereuſque præceſſit*. Quod ergo hic ait; Vide ne tibi frigeſcant limina maiorum, quidam interpretantur, vt ſit mortis interminatio, nam mors eſt priuatio vitalis caloris, & qui eam infert, frigore ferire dici poteſt. Sed id textui non conſonat, non enim dicitur, quod ipſe frigus patiatur, ſed quod limina ipſi frigeſcant. Alij dicunt: Vide ne maledicens, potentiorum ſportulæ ingratè excipiant te, nec tibi conferantur. Sed quum Perſius Stoicum profiteretur, foretq; eques Romanus, & iuxta ſuum ſtatum non indigentiſſimus, talia non

curabat. Conuenientius interpretantur, qui dicunt, limina frigere excluſis, quando pro aliquo negotio audientiam poſcunt: Ianitores enim, quos nouerunt Dominis ingratos, à limine arcent, vt Crœſus Solonem, & Dionyſius Philoxenum, aſſentari neſcientes. E contra vero Suetonius in Octauio cap. 71. ait: Auguſtum ſcripſiſſe Tiberio: *Nos, mi Tiberi, Quinquatrijs ſatis iucunde egimus, luſimus enim per omnes dies, forumque calefecimus.* Excluſi autem, dum præ foribus præſtolantur, frigus patiuntur, quod ſemper maius eſt extra, quam intra limina. Sed commodius interpretabimur dicendo, frigeſcere maiorum limina eis, qui à potentiorum gratia, & amicitia exciderunt, quia nedum arcentur à præſentia, & alloquio dominorum, ſed ſannis, & irriſionibus aulicorum excipiuntur: quæ certè, facta, in ipſis liminibus, eis, in quos fiunt frigida, ideſt ingrata ſunt, vt cibi pridiani, quia frigidi, ingrati: & ab his cibis ducta videtur hæc metaphora.

CANINA littera. Hanc omnes ferè huius loci expoſitores dicunt eſſe R, quam canes irritati, & rixantes, dum morſum intentant, vel inimiciter ſuper oſſe mutiunt, referunt, aut imitantur. Quod autem talis littera dicatur ſonare hic, & de nare, quidam exponunt, Monitorem dicere. Hic, nempe in tuis ſcriptis, ſonat hæc mordax littera: ſatyrici enim paſſim, audiunt eos, vt canes latrare, & mordere. Sed in ſcriptis hæc littera non ſonat de nare. Alij dicunt, paſſos frigus, ob excluſionis moleſtiam, in liminibus dentes percutere.

Sed paſſi frigus non ſonant de nare. Nos di. cimus ſeruos magnatum, alioſque tranſeuntes, videntes te liminibus excluſum, frigus & alia incommoda patientem, te ſubſannare, naſum in rugas contrahendo per myćteriſmum, ſarcaſmum, charientiſmum, aut alium irriſionis modum, de quibus egimus in Inſtit. Oratoria lib. 3. Tract. 2. cap. 7. afferent enim merito talia tibi accidiſſe, qui auſus fueris proceribus maledicere.

PER me ſiquidem ſint omnia protinus alba, Nil moror. Euge omnes, omnes bene miræ eritis res. Verba ſunt Perſij, ironicè dicta, quorum ſententia eſt. Si Romani caſtigari, & emendari nolunt, morem eis gero, nec quidquam amplius aduerſus eos dicam, quin potius ita me geram, quaſi eorum quælibet dicta, & facta, ſint perfecta, & laude digna. Id enim ſignificat eſſe album. Vt enim vitijs inquinatus, dicebatur niger, vel ater, iuxta illud Horatij libro 1. ſermonum ſatyra 4.

Abſentem, qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non uiſa poteſt, commiſſa tacere,
Qui nequit; hic niger eſt, hunc tu Romane caueto,

ita candida, ſiue alba dicebantur, in quoque genere perfecta. Hinc falſi dicebantur candida in nigra vertere, & vitia decorare virtutum coloribus: ſicut è contra ſuſurrones, & maledici, credi ti candida in atra vertere, ideſt virtutes in vitia. Sic Iuuenalis ſatyra 3. verſ. 29.

Cedamus patria, uiuant Arturius iſtic,

Et Catulus, maneant qui nigra in candida uertunt.

NIL moror. Morari prima producta, eſt inſanire, vel fatuum eſſe: & hinc Neronis iocus in Claudium vitricum ſuum, qui ſe, Agrippinæ precibus, & artibus adoptauerat, quum ait: Eum deſijſſe inter homines morari: nam quum primam produceret ſyllabam, non ſignificabat deſijſſe viuere, ſed inſanire, quaſi id, viuens ſemper feciſſet: qui iocus fortè non tam ex Neronis, quam ex Senecæ ingenio natus, qui & ludum in illius mortem ſcripſit: id re fert Suetonius in Nerone cap. 33. dicens: *Omnibus rerum uerborumque contumelijs mortuum inſectatus eſt, modo ſtultitiæ, modo ſeuitiæ arguens, nam & morari eum inter homines deſijſſe, producta prima ſyllaba iocabatur, multaq; decreta, & conſtituta, ut inſipientis, atque deliri, pro irritis habuit.* At morari prima correpta, in primis eſt expectare: vt, nequit amplius morari, quin res aggrediatur. Sic Lentulus inter epiſtolas Ciceronis ad familiares lib. 12. epiſt. 15. ait: *Quod quum pertimuiſſet Dolabella, & uaſtata Prouincia, correctis uectigalibus, prçcipuè ciuibus Romanis omnibus crudeliſſimè denudatis, ac diuenditis, celerius Aſia exceſsiſſet, quam eo præſidium adduci potuiſſet, diutius morari, aut expectare prçſidium non neceſſe habui.* Sic Plautus Menechmis Actu 5. ſcena 9.

Numquid me morare, quia ego liber, ut iuſſiſti, eam.

Et idem Pſeudolo Actu 1. ſcena 3.

Reſpice ad nos, tametſi occupatum moramur.

Significat etiam ſatagere, curare, & eſt mere,

ſic Plautus Aulularia Actu 2. ſcena 1.

Iſtas magnas factiones, animos, dotes, dapſiles
Clamores, imperia, eburata uehicula, pallas, purpuram
Nihil moror, quæ in ſeruitutem ſumptibus uiros redigunt

Et idem eadem fabula Actu 4. ſcena 2.

Nunc lauabo, ut rem diuinam faciam, ne affinem morer.

Aliquando eſt retardare, impedire, vel detinere properantem, ſiue abeuntem. Sic Quintilianus Declamatione de Mathematico, *Quid me adhuc pater retines? quid moraris abeuntem?* Et Plaut. Epid. Actu 2. ſc 2.

I, numera, nihil ego te moror.

Et hoc modo ſumitur hic, quaſi dicat: Non impedio quominus omnia facta, dictaque Magnatum, ſuſpiciantur, immo eiſdem egomet plaudo, dicendo: *Euge omnes, omnes benè miræ eritis res*. Quæ verba in ſe ſatis clara, duo continent obſeruatione digna: vnum, quia rationem innuunt, qua, tenuioris ſortis homines, potentiorum comparent amicitias, eorum videlicet dicta, factaque adulatoriè laudando. Hinc Iuuen. ſat. 3. verſu 86.

Quid, quod adulandi gens prudentiſſima, laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum, ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis?
Miratur uocem anguſtam, qua deterius, nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.

Alterum, non ſine cauſa edidiſſe hunc, quaſi ridiculum verſum. Quis enim non rideat dicentem

centem ei, quem vult laudare, Tu es res bene mira: & eſt magis ridiculus, quum claudatur monoſyllaba. Sed factum ad occultandam artem, quaſi loqueretur ex animo: vel ad oſtẽdendum, ſic laudatos, eſſe potius ridendos. Et id confirmat Palilogia, ſiue Epanaſtrophe, & Anadiploſis, Omnes, omnes.

HOC iuuat? hic, inquis, veto quiſquam faxit oletum, Pinge duos angues, pueri ſacer eſt locus: extra meÿte. Diſcedo. Opinatur Ioannes Brixienſis, tò hoc iuuat, eſſe Monitoris, quaſi dicentis: Nunc ò Perſi, places, quando accepiſti Te omnia laudaturum. At alij volunt eſſe Perſij, quaſi diceret: Mi monitor, ſi bene perſpexi, id mihi iudicas vtile, ſi neminem ſatyrico perfricem ſale. Iuuare autem eſt adeſſe, opem ferre, defendere, & auxiliari. Sic Plautus Trinummo Actu 1. ſcena 2.

Nunc ego te quæſo, vt me opere, & conſilio iuues.

Et idem Plautus Curculione Actu 4. ſcena 4.

at ita me machera, et clypeus bene iuuẽt.

Sic Terentius Heautont. Actu 1. ſcena 1.

Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero.

Sed quandoque iuuare eſt delectare, ſic Virg. 3. Æneid. verſu 241.

Exercent patrias, oleo labente, paleſtras
Nudati ſocÿ, iuuat euaſiſſe tot vrbes.

Verbum igitur eſt Perſij, quærentis, num placeat ſi laudet omnia Neronis, & aulicorum opera.

VETO, eſt interdico, prohibeo, abſterreo ne quid fiat. Sic Liuius lib. 2. V. C. cap 5. *De bonis Regÿs, quæ reddi ante cenſuerant, res inte-*

gra refertur ad Patres, illi, ira victi, vetuerunt reddi, vetuerunt in publicum redigi, diripienda plebi ſunt data, vt contacta Regia præda, ſpem in perpetuum cum his pacis amitteret. Sic Cæſar lib. 2. Belli Gallici. *His difficultatibus duæ res erant ſubſidio, ſcientia, atque vſus militum, quod ſuperioribus prælijs exercitati, quid fieri oporteret non minus commodè ipſi ſibi præſcribere quam ab alijs doceri poterant; & quod ab opere, ſingulisq; legionibus, ſingulos Legatos Cæſar diſcedere, niſi munitis caſtris, vetuerat.* Vt autem docet Quintilianus, potentior eſt lex, ſiue Magiſtratus, qui vetat, quam qui permittit, aut iubet, quia in vetante ſemper eſt pœna. Hoc ergo verbo, Nero deſignatur, quia is, Imperatoria poteſtate, vetare poterat.

FAXIT, verbum eſt defectiuum, idem valens, ac faciat. Eo, in prima perſona, vtuntur legum latores in edictis, & alij minas intentantes, ſub propoſita pœna, prohibentes, vel præcipientes aliquid, ſic Virgilius libro 12. Æneidos verſu 316.

Me ſinite, atq; auferte metum, ego fœdera faxo
Firma manu.

Sic Plautus Aulul. Actu 3. ſcena 2.

Homo nullus eſt te ſceleſtior, qui viuat hodie
Neque cui ego de induſtria amplius malè plus
lubens faxim.

Et idem Amphitruone Actu 1. ſcena 1.

Neſcio quam tu familiaris ſis: niſi actutum hinc abis
Familiaris, acc piare faxo haud familiariter.

Sic Terentius Heautontumor. Act. 1. ſc. 1.

Vtinam ita dij faxint.

Sic dum Dionyſius Locrenſibus vaſtitatem..., arborumq; minaretur deiectionem, eis ſcripſit: *Faxo cicadę apud vos humi canant*. Nam hoc verbum conuenit pœnam, & vltionem minantibus, & ideo ponitur hic.

OLETVM eſt locus oliuis cõſitus, ſic dictus quaſi oliuetum: in quo ſenſu Cato de re ruſtica cap. 1. *Secundo loco hortus irriguus: tertio, ſalicetum: quarto, oletum: quinto pratum*. Accipitur etiam pro loco, vbi venter exoneratur: & ſic Tacitus lib. 14. cap. 6. *Gymnaſium eo anno dedicatum à Nerone, præbitumque oletum equiti, ac Senatui Græca facilitate*. Sumitur etiam pro humani alui excremento, à verbo, oleo, quod quamuis tam ad grauem, quam ad ſuauem referri poſſit odorem, oletum nihilominus pro fœdo, & ingrato ſemper accipitur, qualis eſt, qui ab humanis halat excrementis, eo quod homo humidiori, & multiformi vtitur cibo. Et ita apud Feſtum dicitur: Sacerdotula in ſacrario Martis fecit oletum.

PINGE duos angues, quaſi diceret: ſi nolis tua poemata à me reprehendi, inſignire ea debes aliquo charactere, quo, agnoſcens illa eſſe tua, ab eorum abſtineam cenſura, in tui potius honorem, quamquod ea probem. Vt enim in locis, quos excrementis alui, aut veſicæ nolumus conſpurcari, Deorum ponimus imagines, ita ſi tuos verſus à ſatyrica lima intactos vis eſſe, ea ſigno aliquo debes notare. Duos autem angues monet eſſe pingendos, per quos ſignificaretur duplex Genius, bonus, & malus: nam Genium per anguem denotari, colligimus ex illo Virgilij 5. Æneidos verſu 84.

D

Dixerat hæc, adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyro, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapſuſq; per aras:
Ceruleæ cui terga notæ, maculoſus, & auro,
Squamã incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Æneas; ille agmine longo,
Tandem inter pateras, & leuia pocula ſerpens
Libauitque dapes, rurſuſque innoxius imo,
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit:
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores,
Incertus Geniuſne loci, famulumne parentis
Eſſe putet.

Vt ergo nunc Cruces, & Sanctorum imagines, ita Ethnici in locis, quos à fœditatibus puros ſeruare volebant, angues pingebant, quorum ſpecie territi pueri, fugerent, maiores vero Religione tenerentur, credentes angues eſſe loci Genios, eorumque cuſtodes. Æſculapius etiam ſub anguis figura repreſentabatur: vnde quum Romani Æſculapium ab Epidaurienſibus flagitaſſent, anguem ſiue draconem ab eis acceperunt, cui in Tiberis inſula templum erexerunt. Si ergo, inquit, vis tua opera à criticorum cenſura non inquinari, duos angues eis appingere debes, vt quiſque ab eis, tamquam à rebus ſacris abſtineat, quinimmo ea venere tur.

SACER quandoq; idem valet, ac execrabilis, ſceleſtus, & puniendus: ſic multi interpretantur illud Virgilij 3. Æneidos verſu 56.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Sed

Sed abſque dubio in hoc ſenſu dixit Horatius 2. ſermonum ſatyra 3.

Ne vos titillet gloria, iure
Iurando obſtringã ambo, vter ædilis fuerit, vel
Veſtrum Prætor, is inteſtabilis, & ſacer eſto.

Sic Plautu Bacchidibus Actu 4. ſcena 6.

Men criminatus eſt? optime, ego ſum malus,
Ego ſum ſacer, ſceleſtus.

Quæ appellatio originem traxit ex more Maſſilienſium: hi enim quoties peſtilentia laborarent, vnum è pauperibus, ſpontaneum conductum, anno integro, lautè, purioribus alebant cibis: elapſo vero anno, illum verbenis ornatum, ſacriſque indutum veſtibus, cum diris, & execrationibus, vt in ipſum omnia vrbis dicta, & mala deciderent, per Ciuitatem circumducebant, & ita præcipitio, vel ferro ſuis Dijs immolabant; talibus enim humanis hoſtijs dæmones oblectantur. Sed propriè ſacer eſt, qui eſt alicui Numini conſacratus, & ideo religioſus, ſiue venerabilis; ſic Plinius Iunior ad Maximum lib. 8. epiſtola 24. ait: *Reuerere conditores Deos, numina Deorum, reuerere gloriam ueterem, & hanc ipſam ſenectutem, quæ in homine venerabilis, in vrbibus ſacra eſt.* Sic Plautus Menechmis Actu 5. ſcena 5.

At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe Ioui, ſcio.

Et Aulularia Actu 4. ſcena 1.

in ara hic aſsidam ſacra.

Et ita nunc ſumitur pro re conſacrata Numinibus.

MEIITE. Meiere, vel mingere, eſt reddere lotium, vel vrinam emittere; ſic Martialis lib. 3. epigramm. 78.

Min-

Minxiſti currente ſemel Pauline carina:
Meiere uis iterum, iam Pal inurus eris.

Sic Iuuen. ſat. 1. verſu 130. *auſus habere*
Neſcio quis titulos Ægyptius atq; Arabarches,
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas eſt.

Et Horatius lib. 1. ſermonum ſatyra 8.
Mentior at ſi quid, merdis caput inquiner albis *(cacatum*
Coruorum, atque in me ueniat mictum; atque
Iulius, & fragilis Pedacia, furq; Voranus.

Qui tamen Horatius aliter metaphoricè ſumit 2. ſerm. ſatyra 7.
Quęcumque excepit turgentis uerbera caudę
Clunibus, aut agitauit equum, laſciuâ ſupinũ
Dimittit, neque famoſum, neque ſollicitum, ne
Ditior, aut formæ melioris meiat eodem.

Vult ergo interdici, ne veſica exoneretur, vbi locus eſt ſacer, ſed extra illum, permitti. Sed allegoricè, ne reprehendantur Neronis, & Aulicorum opera, in alios ſatyram permitti, nam iſta ſacra non erant ſicut principum, coram quorum imagines mingere, ſacrilegum putabatur. Poſito ergo interdicto, & notatis perſonis, ſiue operibus, quibus maledicere non licebat, poeta aſſerit ſe diſcedere, non tam à loco, quam à voluntate, illa per ſatyram carpendi, quod nihilominus eſt ironicè accipiendum.

SECVIT Lucilius urbem, te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis. Ironicè promiſerat ſe diſceſſurum à voluntate ſcribendi ſatyras, minitante Monitore capitis periculum, ſi in ea perſe ueraret: nunc poſita ironia, aſſerit ſe vitia velle accuſare; nam ſi Lucilio, & Horatio

licuit

licuit inquinatos procerum mores reprehendere, quur ſibi non liceat, occultè ſaltem, idem facere. *Secare* autem idem eſt, ac præcidere, amputare, aut diuidere; ſic Lucius Florus, Rerum ab Vrbe condita geſtarum lib. 1. cap. de Tarquinio Priſco: *Hic & Senatus maieſtatem numero ampliauit, & centurijs tribus auxit: quamuis Actius Næuius numerum augeri prohiberet, uir ſummus augurio, quem Rex in experimentum rogauit, fierine poſſet, quod ipſe mente conceperat: ille rem expertus augurio, poſſe, reſpondit. Atqui, hoc, inquit, agitabam, an cotem illam ſecare nouacula poſſem? & augur, potes, inquit, & ſecuit: inde Romanis ſacer auguratus.* Sic Suetonius in Caligula cap. 23. *Silanum ſocerum, ad necem, ſecandaſque nouacula fauces, compulit.* Sic Virg. 1. Æneid. verſ. 215.

Tergora diripiunt coſtis, & uiſcera nudant
Pars in fruſta ſecant, ueribuſque trementia figunt.

Sic Seneca de Cõſolatione ad Heluiam cap. 2. *Quæcumque uſque eo pernicioſa ſunt, ut contra remedium conualuerint, plerumque contrarijs curari. Omnes itaque luctus illi ſuos, omnia lugubria admouebo, Hoc erit non molli uia mederi, ſed urere, ac ſecare.* Et hoc modo Lucilius ſecuit, & quaſi, linguæ gladio, in fruſta concidit, non vnum aut alterum ſingularem, ſed Vrbem, & vniuerſos Romanos. Iuuenal. ſatyra 1. verſu 165.

Enſe uelut ſtricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit? rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacita ſudant præcordia culpa.

Et Horat. 1. ſerm. ſatyra 10.

At idem, quod ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.

LVCILIVS poeta vetuſtiſſimus Aurunci in Sannio, non procul à Pontinis paludibus, anno vno priuſquã Carthago in populi Romani ditionem per Scipionem veniſſet, nobiliſſimo genere, vt cuius ſoror, magni Pompeij auia fuerit, natus, primus Latinorum ſatyram ſcribere aggreſſus, adeo in ea floruit, vt referat Quintilianus, quoſdam illum, nedum eiuſdem generis, ſed vniuerſim omnibus poetis præferre non dubitauerint. Eius meminit Iuuenalis ſatyra 1. verſu 19.

Quur tamen hoc libeat potius decurrere campo
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus
Si uacat, & placidi rationem admittitis, edã.

Et Horat. 2. ſerm. ſatyra 1.

Quid quum eſt Lucilius auſus
Primus in hunc operis componere carmina, morem
Detrahere & pellẽ, nitidus qua quiſq; per ora
Cederet, introrsũ turpis. Num Lælius, aut qui
Duxit ab oppreſſa meritum Carthagine nomen
Ingenio offenſi? aut læſo doluere Metello,
Famoſiſque Lupo cooperto uerſibus? atqui
Primores populi arripuit, populumq; tributim.
Scilicet uni æquus uirtuti, atq; eius amicis.
Quin ubi ſe a uulgo, & ſcena, in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli
N gari cum illo, & diſcinčti ludere, donec
Decoqueretur olus ſoliti.

Idem Horatius memoratis Grecis veteris Comœdiæ

mœdiæ ſcriptoribus, ſubdit 1. ſerm. ſat. 4.

Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus
Mutatis tantum pedibus, numeriſque facetus
Emunctæ naris, durus componere uerſus.
Nam fuit hoc uitioſus, in hora ſæpe ducentos,
Vt magnum, uerſus dictabat, ſtans pede in uno
Quum flueret lutulentus. Erat quod tollere uelles,
Garrulus, atq; piger, ſcribendi ferre laborem,
Scribendi recte, nam ut multum, nil moror.

Et eodem lib. 1. ſat. 10.

fueris Lucilius inquam
Comis, & urbanus: fueris limatior idem,
Quã rudis, & Græcis intacti carminis autor,
Quamq; poetarum ſeniorum turba: ſed ille
Si foret hoc noſtrum fato dilatus in æuum
Detereret ſibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, & in uerſu faciendo,
Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

Qui demum anno, quo Cremone natus eſt Furius Bibaculus, ideſt ab Vrbe Condita ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, Q. Cecilio Metello T. Didio Coſſ. ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, Neapoli epoto poculo amatorio, ſibi ab vxore ob Zelotypiam propinato, mortuus, magnum ſui reliquit deſiderium, etiam ſi ſuis ſatyris primarios vrbis viros fœdiſſime laceraſſet, & publico funere eſt elatus.

TE LVPE. Quinam fuerit Lupus, de quo nunc loquitur, altum apud autores ſilentium: Coniectura tamen eſt, fuiſſe Publium illum Rutilium Lupum, qui bello ſociali occiſus, ſceleribus decantatus fuit. Quicumq; tamen

fue-

fuerit, vt inter Romanos nobilitate, ac potentia inſignis, ita morum dedecore fuit inquinatiſſimus, vt merito à Lucilio fuerit proſcripſus, quod etiam Horatius innuit verbis iam relatis.

TE MVTI. Exiſtimant quidam, Lucilium eum Mutium reprehendiſſe, qui tali inuidiæ tabeſcebat liuore, vt quum quadam die eum Publius triſtem vidiſſet, adſtantibus, iocando, dixerit: Neſcio num quid mali Mutio acciderit, an alteri cupiam aliquid boni. Sed quum Mutius iſte, Publij contemporaneus fuiſſe dicatur, qui vixit ad Auguſti tempora, nôn potuit eſſe is, in quem ſcripſit Lucilius. Fuit ergo potius T. Albutius Mutius, Craſſi Oratoris ſocer, ideoque putatus Romanorum nobiliſſimus, qui quum ſatyras ſcribere fuiſſet aggreſſus Luciliano ſtylo, Varrone teſte, exploſus fuit, eo quod eas infarciret verbis exoticis, & peregrinis, Græcis, atque Sabinis, & propterea ab ipſomet Lucilio reprehenditur his verbis:

Grecum te Albuti, quam Romanũ, atq; Sabinũ
Municipem Ponti, tritamen centurionum.

Et demum concludit: *Chere Tite Muti.* Cicero vero; ex Craſſi perſona, de Lucilio ſic ſcribit 3. de Oratore cap. 11. *Lepidi ſoceri mei perſona luſit is, qui elegantiſſimè id facere potuit, Lucilius.* Quam lepide lexeis compoſtæ, vt teſſerulę omnes Arte pauimento, atque emblemate vermiculato: *Quę quum dixiſſet in Albutium illudens, ne à me quidem abſtinuit.* Craſſum habeo generum, ne rhetoricotero tu ſis.

GENVINVM. Genuini ſunt quidam dentes,

tes,ex molarium numero, eo quod à genis, ſiue maxillis dependeant,& hinc etiam maxillares appellantur. Dentium enim, quatuor anteriores, ex munere, & officio, Inciſores dicuntur: Alij,his vtrinque proximi, Canini,& Fractorij, quia canum dentibus ſunt ſimiles, & frangendi exercent officium. Poſt hos,Molares,cibum & eſcas molentes,quorum vltimi ſunt ij,de quibus loquimur, nempe Genuini, ſiue maxillares:ab Auicenna dicti dentes ſenſus, & intellectus, quia non oriuntur, niſi in ætate prouecta,poſt vigeſimum, & aliquando octuageſimum ætatis annum.

FREGIT. Frangere eſt rumpere. Plautus Curculione Actu 1. ſcena 1.

Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem.

Et Catullus de coma Berenices carmine 67.

Et qui principio ſub terra quærere uenas
Inſtitit, ac ferri frangere duritiem.

Nec actiuè tantum dicimus frãgere de eo,qui aliquid extra ſe rupit,ſed etiam paſſiuè, de eo in cuius rebus, vel corpore, aliquid eſt comminutum,vt frangere nauem,crus,brachium, vel ceruicem: dicimus etiam de eo,qui huiuſmodi paſſus ſit mala.Quod ergo hic dicit:Genuinum fregit in illis, quidam interpretantur ſignificare, quod Lucilius Mutio, & Lupo clã maledixerit, ſumpta metaphora ex eo, quod genuini intra genas,aſpectui ſint occulti.Quę interpretatio ſubtilis eſt, ſed facto non congruit, quum Lucilius, & illis, & alijs apertè maledixerit. Melius ergo dicemus,frangere idem eſſe, ac comminuere, more canis oſſa frangentis, & comminuentis. Significat ergo

Lucilium tanta acerbitate inuectum in vitia, & mores Lupi, & Mutij, vt videri potuerit nedum in eos dentes infixiſſe, verum etiam fregiſſe, nec quoſcumque, ſed etiam occultiſſimos, & maxillares. Et in his verbis: *Te Lupe, te Muti*, interuenit Apoſtrophe; qua etiam vſus Virgilius 2. Georg. verſu 170.

Scipiades duros bello, & Te maxime Cęſar.

OMNE vafer vitium ridenti Flaccus amico tangit, & admiſſus circum præcordia ludit, Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo, Men mutire nefâs, nec clam, nec cum ſcrobe? nuſquam? Hic tamen infodiam. Vafer, quaſi valdè Afer: Afri autem habentur doloſi, & ingeniati ad inſtruendas fraudes, ac deceptiones, ideo vafri intelliguntur callidi, aſtuti, & doloſi. Sic accepit Ouidius dicens lib. 3. de Arte.

Qua vafer ēludi poſſit ratione maritus.

Et Horatius lib. 2. ſermonum ſatyra 2.

Nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia iuris,
Poſtremum expellet certè viuacior hæres.

FLACCVS. Horatius Flaccus Venuſinus, poeta lyricus, & ſatyricus notus, de quo Ouidius 4. Triſt. eleg. 10.

Detinuit noſtras numeroſus Horatius aures,
Dum ferit Auſonia carmina culta Lyra.

Hic ſuis ſatyris primos Ciuitatis (nec Męcenati parcens) reprehendit, ſed tanta vrbanitate, vt omnibus charus eſſet, quia ridens, ridentium notabat vitia. Hinc lib. 1. ſerm. ſatyra 1. ipſemet ait:

Præterea ne ſic, vt qui iocularia, ridens
Percurram: quāquam ridentem dicere verum
Quid vetat?

Et

Et licet dicat Iuuen. ſat.1. verſu 165.

rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacita ſudant præcordia culpa,
Inde iræ, & lacrymæ.

Ipſe nihilominus ſuauiter admictebatur, & placebat. Is tandem annos ſexagintatres natus, Imperij Octauiani trigeſimotertio, Romę moriens, quamquam Auguſtum ſcripſerit hęredem, exequias tamen Męcenas curauit, ſepultuſque eſt in Exquilijs.

TANGIT. Tangere eſt ſenſu tactus corporei aliquid deprehendere; ſic Lucretius lib.1. de natura verſu 30.

Tangere enim, & tangi niſi corpus, nulla res poteſt.

Sed quia, quæ tanguntur, ipſo tactu commoueri videntur, inde tangi dicimus pro commoueri. Et ſic idem Lucretius loquens de natura Deorum, vt eorum neget prouidentiam iuxta Epicurum, ait lib.1. verſu 62.

Ipſa ſuis pollet opibus, nihil indiga noſtri,
Nec benè promeritis capitur, nec tangitur ira.

Et hoc modo nunc ſumitur tangere pro palpare, & commouere.

PRAECORDIA ſunt partes laterales, coſtis ſubiectæ, lieni, hepatique ſuperiacentes, Græcè hyppocondria dictæ, ideſt cartilagineæ: nam condros eſt cartilago. Plinius lib.11.cap. 37. præcordia videtur accipere pro diaphragmate, ſeu ſepto tranſuerſo, ſeparante viſcera vitalia à naturalibus, ſic enim ait: *Exta hominis, ab inferiori viſcerum parte ſeparantur membranis, quæ præcordia appellantur, quia cordi prætenduntur; eas Græci phrenas nominant,*

 quaſi

quaſi participes ſint prudentiæ, quæ phroniſis appellatur. Sed Ariſtot. 12. de animalib. negat prudĕtię illas eſſe participes, dici tamen phrę-nas, quia propinquæ ſint partibus, in quibus prudĕtia reſidet. At Galenus lib. 5. de interioribus, docet diaphragma dici phrenas, quia ex apoſtegmate diaphragmatis, phreneſis generetur. Præcordiorum ergo nomine, exta ſignificantur. Sed generalius quæcumque partes interiores, cordi vicinæ, dicuntur præcordia, vnde Cicero lib. 5. de Finibus, refert, in præcordijs piſcis inuentum fuiſſe anulum, quem Polycrates Samiorum Tyrannus merſerat. Et Seneca in Conſolatione ad Marciam cap. 26. inquit: *Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere concurſibus, nec claſſes claſsibus frangi, nec parricidia, aut fingi, aut cogitari, nec fora litibus ſtrepere dies perpetuos. Nihil in obſcuro, detectas mentes, & aperta præcordia, & in publico medioque vitam, & omnis æui proſpectũ euentumque.* In his autem præcordijs, ſeu membranis, & partibus cordi vicinis, iuxta Plinium lib. 11. cap. 37. eſt ſedes hilaritatis, & ideo alarum titillatio riſum excitat, & ibi ſcabendi dulcedo, nec alibi tenuior humana cutis. Hinc bene, ludit, admiſſus circum præcordia, quaſi ea titillaret, & ſcaberet, quod refert ad ſales Horatianos.

CALLIDVS eſt prudens, aſtutus, & verſutus: quamquam prudens, ferè ſemper dicatur in bonam partem, callidus, aſtutus, & verſutus, ferè ſemper in malam. Sic Cicero lib. 2. de Finibus: *Oculorum inquit Plato, eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus ſapientiam non cerni-*

mus;

mus: quam illa ardentes amores excitaret ſui, ſi uideretur! quur tandem? an quod illa callida eſt, ut optimè poſſit architectari uoluptates? quur iuſtitia laudatur? aut unde eſt contritum uetuſtate prouerbium: Qui cum in tenebris? Hoc dictum in una re, latiſſimè patet, ut in omnibus factis, re, non teſte, moueamur: ſunt enim leuia, & perinde firma, quæ dicebantur à te, quum animi conſcientia improbos excruciari, tum etiam pœnæ timore, qua aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum, aut imbecillo animo fingi non bonum illum uirum, qui, quidquid fecerit, ipſe ſe cruciet, omniaque formidet, ſed omnia callidè referentem ad utilitatem, acutum, uerſutum, ueteratorem, facilè ut excogitet quomodo occultè, ſine ullo conſcio, fallat. Et idem Cicero lib. 3. de Natura Deorum ait: *Si rationem hominibus Dij dederunt, & malitiam dederunt: eſt enim malitia, uerſuta & fallax ratio nocendi: ijdem etiam Dij fraudem dederunt, facinus, cæteraque quorum nihil, nec ſuſcipi ſine ratione, nec effici poteſt. Vtinam igitur, ut illa anus optat, ne in nemore Pelio ſecuribus cæſæ cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes, ſic iſtam calliditatem hominibus Dij ne dediſſent, qua perpauci bene utuntur, qui tamen ipſi ſæpe à malè utentibus opprimuntur.* Et eodem lib. 3. de Nat. Deorum ait. *Chryſippus tibi acutè dicere uidebatur, homo ſine dubio uerſutus, & callidus. Verſutos eos appello, quorum celeriter mens uerſatur; callidos autem, quorum, tamquam manus opere, ſic animus uſu concalluit;* ſic Plautus Aſinaria Actu 1. ſcena 3,

Ad ſuum quemque hominem quæſtum, eſſe æquom eſt callidum.

EXCVSSO à verbo excutio, eſt, quatiendo deijcio, vt etiã diximus ad illa verba verſ. 49. *Belle hoc excute totum.* Sic Lucius Florus Rerum ab Vrbe condita lib. 2. in bello Punico ſecundo ait: *Tantæ cladis autor Annibal poſcitur. Tergiuerſantibus Pœnis, Dux legationis Romanorum Fabius: Quæ inquit mora eſt? in hoc ego ſinu bellum affero, & pacem, utrum eligitis, utrum placet, ſumite. Succlamantibus, Bellum. Bellum igitur, inquit, accipite; & excuſſo in media curia togæ gremio, non ſine horrore, quaſi planè ſinu bellum ferret, effudit.* Hic nihilominùs excutere naſum, eſt, eum emungere, vel emungendi ſignum dare: quo geſtu notatur quædam vrbanæ, & liberalis ſannæ genus, abſque amaritudine, & vehementia tali, qualis eſt in ſarcaſmo, charientiſmo, & micteriſmo, in quibus naſus corrugatur: hæc vero fit dum inter conferentes incidit ſermo de alicuius moribus, aut vita, tunc enim ſi quis naſum tangat, quaſi velit emungere, ſignificat illum, de quo eſt ſermo, malè olere, & moribus, doctrina, natalibus, aut alio, eſſe inquinatum. Hæc ergo ſanna iocoſa, exporrecto fit naſo, amara verò, contracto, & corrugato. Naſi igitur excuſſio, quaſſationem deſignat, quæ accidit in illius exporrectione, & emunctione. Omnis enim ſanna, ſiue irriſio, fit per naſum, vnde Plinius in Præfatione ad hiſtoriam naturalem, de Lucilio primo apud Latinos ſcriptore ſatyrarum, quibus aliorum mores irriſit, ait, eum primum condidiſſe ſtyli

naſum.

naſum. Et Martialis ait lib.I.Epigramm.3.

Maiores nuſquam ronchi,iuueneſq; ſeneſq;
Et pueri naſum rhinocerotis habent.

SVSPENDERE eſt affigere, vel alligare, ,
itaut res ſuſpenſa,alligata maneat in aere,nec terram tangat:quod accidit eis,qui cruci alligantur,vel figuntur. Sic quum dixiſſet Plautus Menechmis Actu 5. ſcena 5.

Quin tu te ſuſpendis.

Subdit ibidem in eodem ſenſu.

Quin tu is in malam crucem.

Sic apud Plautum Pſeudolo Actu 1. ſcena 1. quum Calliodorus mutuam petijſſet drachmã, quam ſequenti die reſtitueret,& explicaſſet ea ſe reſtim emere velle, qua ſe ſuſpenderet, ait ſeruus :

Quis mihi igitur drachmam reddet ſi dederim tibi ?
An tute ea cauſa vis, ſciens, ſuſpendere,
Vt me defraudes drachma,ſi dederim tibi ?

Sic Virgilius 4. Georg.verſu 305.

Hoc igitur Zephyris primum impellentibus vndas
Ante nouis rubeant, quã prata coloribus,ante
Garrula, quam tignis nidum ſuſpẽdat hirũdo.

Et Horatius lib.2. ſerm. ſatyra 8.

Interea ſuſpenſa graues, aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulueris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Verum hoc loco ſuſpendere ſumitur metaphoricè pro traducere,ac deridere,quod quidem fit naſo, ſiue corrugato (vt in ſarcaſmo , & alijs ſannis vehementioribus) ſiue exporrecto, vt in vrbanitate, & ioco, de quo nunc eſt

 ſermo.

ſermo. Et ſic Horatius 2. ſerm. ſatyra 8.

Varius, mappa compeſcere riſum
Vix poterat. Balatro ſuſpendens omnia naſo.
Hæc eſt conditio viuendi, aiebat, eoque
Reſponſura tuo numquam eſt par fama labori.

Et idem, Mæcenati ſcribit lib. 1. ſer. ſat. 6.

Nec quod auus tibi maternus fuit, atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Vt pleriq; ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, vt me libertino patre natum.

MEN mutire nefas. Verba ſunt Perſij, quaſi dicentis: Quum Lucilius, & Horatius, in hominum etiam nobiliſſimorum mores, & vitia, palam & nominatim inuecti fuerint, abſque eorumdem offenſione, quare mihi interdicitur, ne intra cubiculum, aut ſaltem (ad inſtar tonſoris Midæ) in aliqua ſcrobe, ea recitem? Quod autem ſubditur. Nuſquam, ſi accipiatur vt dictum à poeta, erit tranſitus à ſpeciebus ad genus, vel gradatio à locis nominatis, ad quemcumque, & ita erit legendum cum eadem interrogatione. Si vero, vt dictum à Monitore, legendum erit ſedate, abſque interrogatione, nam dicit, Ne tibi perſuadeas ò Perſi, Poſſe alicubi narrare Neronis, & aulicorum vitia, & quærere locum ſecretiorem, nam dico nuſquam permiſſum tibi eſſe ea referre. *Mutire* autem eſt timidè, & imperfectè loqui, immo quaſi non loqui, & eſſe mutum, quod Lucilius dixit facere mu, *Nec laudare hominem quemquam, neque mu facere vnquam.* Sic etiam Varro lib. 6. linguæ Latinæ docet, facere mu, dici de illis, qui vel timidè loquentes, vel nec

loqui

loqui valentes, ne mutire quidem audent; ſic Terentius Adriæ Actu 3. ſcena 2.

Itaque herclè nihil iam mutire audeo,

quia videbat herum, ſuis verbis fidem non adhibere, ex quo timidum oſtendere ſe volebat; ſic Plautus Milite glorioſo Actu 2. ſcena 6.

ſi poſt hunc diem
Mutiuero, etiam ſi quod egomet certo ſciam,
Dato excruciatum.

Nam Periplectomenes ipſum exterruerat. Sic apud eumdem Plautum Amphitruone Act. 1. ſcena 1. dicente Mercurio:

Etiam mutis: reſpondit Soſia. *Iam tacebo.*

In elegia de philomela, incerti quidam autoris, ſed quæ inter Ouidij opera circumfertur, mutire, hircis datur: ſic enim dicitur:

Sordida ſus paſcēs ruris per gramina, grunnit
At mutire capris, hirce petulce ſoles.

Verum hic mutire accipitur propriè pro loqui timidè, ac ſilenter, ne à quoquā audiatur.

CVM ſcrobe. Scrobs eſt puteus, vel fouea facta manu intra terram, ſiue ad vites, aut alias arbores ſerendas, ſiue ad lapides, metalla, aut aquam eruendam; ſic Columella lib. 4. cap. 1. inquit: *Ante annum, quam poma diſponere voles, ſcrobes fodito.* Et hoc modo nunc etiam accipitur.

HIC tamen infodiam. Vidi, vidi ipſe libelle Auriculas aſini Mida Rex habet. Verba ſunt poetæ, qui prohibitus tam palam, quam clam, & in aliqua ſcrobe, Neronis, & aulicorum referre vitia, nec valens ea tacere, ait; etiam ſi interdixeris, meos tamen ſatyricos conceptus in his ſcriptis infodiam, & abſcon-

dam. *Infodiam*, infodere eſt ſimpliciter fodere; ſic Columella lib.3.cap.13. *Auiarius, quidam dupondio, & dodrante alium ſulcum, latum pedum quinque faciunt: deinde ter tanto amplius ſpatium crudum relinquunt, atque ita ſequentem ſulcum infodiunt.* Et infra eodem cap. ait: *Campeſtris locus altè duos pedes, & ſemiſſem infodiendus eſt, accliuis regio, tres.* Sed aliquando, & magis propriè eſt defodere, ſeu terra obruere; ſic Virg. 2.Georg. verſu 259.

His animaduerſis, terram multo ante memẽto
Excoquere, & magnos ſcrobibus concidere
montes,
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus.

Et Plinius lib.13. cap. 13. *Caſſius Hemina vetuſtiſſimus autor, annalium quarto eorum libro, prodidit Cn. Terentium ſcribam, agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem, offendiſſe arcam, in qua Numa, qui Romæ regnauit, ſitus fuiſſet. In eadem libros eius repertos P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bebio Q. F. Pamphilo Coſſ. ad quos à Regno Numæ colliguntur anni 535. & hos fuiſſe è charta, maiore etiamnum miraculo, quod tot infoſſi durauerint annis.*

VIDI, vidi. Schema Epizeuſis, ideſt vehemens repetio eiuſdem verbi, ad exprimendum affectum proprium, & illum imprimendum in animos auditorum, Quaſi dixiſſet, O libelle certè vidi in hac Ciuitate homines ſtultos, perditorum morum, diſciplinarum liberalium corruptores, & meros aſinos.

AVRICVLAS aſini Mida Rex habet. Sic Perſius ſcripſerat; hanc tamen ſcripturam, Cor-

Cornutus eius præceptor (non ille grammaticus , qui commentaria in Perſium vulgauit, ſed alius philoſophus Stoicus, cui ipſe mandauerat editionem ſuarum ſatyrarum) videns facilè poſſe intelligi factam in Neronē , vt vere erat , indeque imminere exitium familiæ, & amicis Perſij, mutauit,ſubſtituendo *Quis non*, pro, *Mida Rex*: & ita paſſim legitur *Auriculas aſini quis non habet*. Sed quia non eſt amplius Nero , à quo , nec quiſquam ex amicis Perſij, cui malum timeatur,libenter in hac parte aſſentior Caſaubono , reſtituendo propriam lectionem, quia ceſſante cauſa,ceſſare debet effectus; cauſa autem illius mutationis, fuerat timor à Nerone, qui iam nullus eſt . Habere autem auriculas aſini,dictum eſt pro habere talem intellectum, ſiue ſenſum , qualem poſſet habere aſinus, nempe nullum: nam quia auris propriè eſt ſēſus diſciplinæ,& intellectus, quum omnis diſciplina per aures animum ingrediatur,aſini habens aures, aſini habebit apprehenſionem , ſenſum , & intelligentiam,ideſt huius eſt omnino expers.Et ita quum Mida, ſeu Nero dicitur habere auriculas aſini, per ſenecdochen partis pro toto , ſignificatur eum eſſe omnino aſinum.

MIDA Phrygię Rex,Gorgij Bubulci filius, mortales omnes diuitiarum , auri & pecuniarum abundantia ſuperauit . Nam quum Bacchum hoſpitio ſuſcepiſſet,eumque liberal ter habuiſſet,ab eo obtinuit, vt quidquid tangeret, in ſolidum conuerteretur aurum; itaque vaſa omnia,& vtenſilia,thronus,& ipſi domus parietes, ad eius tactum,auri ſpeciem indue-

runt: Nec tamen hæc eius lætitia fuit diuturna, immo citò tam ſtultæ petitionis pœnitentia eum inuaſit; nam quum, fame vrgente, cibum ſumere vellet, panis, & quæcumque tangeret, aurum euadebant, vt inter auri fulgores, & diuitiarum tantam copiam, fame tabeſceret; Hinc voti aduertens fatuitatem, pœnitens, Bacchum iterum adijt, rogans, vt ſibi priorem redderet ſtatum. Bacchus vero, ob illius in ſe merita, ei gratificatus, iuſſit in Pactolo ſui Phrygiæ regni fluuio, corpus lauare; quod quum feciſſet, fluminis quidem arenæ, ex eius contactu, aureæ eſſe cœperunt, tacta vero deinceps ab ipſo, auri ſpeciem non induebant, & ita cibum capere poterat, & diues nihilominus manſit. Quum autem, eius diebus, orta eſſet contentio de muſices præſtantia, ſiue inter Apollinem, & Pana, ſiue inter eumdem Phœbum, & Marſyam, eius litis iudices arbitri, à partibus electi fuere, mons Tmolus, & Rex Mida, qui partes audierunt, ſed in ferenda ſententia, Tmolus quidem ſecundum iuſtitiam, & veritatem, pro Apolline tulit, eum victorem pronunciando, & huic ſententiæ vniuerſi plauſerunt, qui adfuerunt: Mida nihilominus ſolus, obſtinatè pro Pane, ſiue Marſya ſtabat. Cuius ſtolidæ obſtinationis indignitate, exaſperatus Apollo, aſini ei indidit aures, vt cuius, in iudicando, ſenſum ſecutus fuerat, eius haberet aurium formam. Is tamen aſtu commentus eſt dedecus euadere, occultando, regio diademate, aures; nec vmquam caput aperiendo, niſi quum tonſori præcidendum præbebat capillum; ſed prius

ton-

conſorem, ſub mortis comminatione, monuit, ne myſterium alteri reuelaret. Secretum hic promiſit, & multis ſeruauit diebus, ſed demũ rumpi ſe ſentiens niſi diceret, & timens aliunde, dicere vbi à quoquam audiretur, ſcrobem fodit, eamque ingreſſus, ad ſatietatem vſq; dixit *Auriculas aſini Rex Mida habet.* Et ita expleta voluntate effutiendi ſecretum, è foueam egreſſus, ſabulo illam repleuit, & abijt. Sed non multos poſt dies, è terra illa arundines natæ, vel à vento motæ, vel in muſicas fiſtulas ab aliquo redactæ, identidem conſoris repetebant verba *Auriculas aſini Mida Rex habet.* Quod his verbis narrat Higinus fabula 191. [Eo tempore, quo Apollo cum Marſya, vel Pane fiſtula certauit, quum Tmolus victoriam Apollini daret, Midas dixit Marſyæ potius dandam. Tunc Apollo indignatus, Midæ dixit: quale cor in iudicando habuiſti, tales & auriculas habebis. Quibus auditis, effecit vt aſininas haberet aures. Eo tempore Liber Pater, quum exercitum in Indiam duceret, Silenus aberrauit, quem Midas exceptum, hoſpitio liberaliter accepit, atque ducem dedit, qui eum in comitatum Liberi deduceret. At Midæ Liber Pater, ob beneficium, optandi dedit poteſtatem, vt quidquid vellet, peteret à ſe: quo Midas petijt, vt quidquid tetigiſſet aurũ fieret; quod quum impetraſſet, & in regiam veniſſet, quidquid tangebat, aurum fiebat. Quum iam fame cruciaretur, petijt à Libero, vt ſibi ſpecioſum donum eriperet: quem Liber iuſſit in flumine Pactolo ſe abluere, cuius corpus aquam, quum tetigiſſet, facta eſt colore

aureo.

aureo. Quod flumen nunc Chryſorthoas appellatur in Lydia.] Et Ouidius lib. 11. Metamorph. ait.

Iana iubet Tmolus citharæ ſubmittere cānas;
Iudicium, ſanctiq; placet ſententia montis
Omnibus, arguitur tamen, atq; iniuſta vocatur
Vnius ſermone Midæ. Nec Delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram,
Sed trahit in ſpatiū, villiſq; albētibus implet,
Inſtabileſq; illas facit, & dat poſſe moueri.
Cętera ſunt hominis, partem damnatur in vnā
Induiturq; aures lenè gradientis aſelli.
Ille quidem celare cupit, turpiq; pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris,
Sed ſolitus longos ferro reſecare capillos
Viderat hoc famulus, qui quum nec prodere viſum,
Dedecus auderet, cupiens efferre ſub auras,
Nec poſſet reticere tamen, ſecedit, humumque
Effodit, & domini quales aſpexerit aures
Voce refert, parua, terręq; immurmurat hauſtæ
Indiciumq; ſuæ vocis tellure regeſta
Obruit, & ſcrobibus tacitus diſcedit opertis.
Creber arūdinibus tremulis ibi ſurgere lucus
Cœpit, & vt primum pleno maturuit anno
Prodidit agricolam, leni nam motus ab Auſtro
Obruta verba refert, dominiq; coarguit aures.

HCC ego opertum, hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo Iliade. Verba clara, vt expoſitione non egeant. Eſt tamen, quod notemus: opertum ridere, eſſe per phraſim, & deſcriptionem ſatyræ, qua diſſimulanter aliorum vicioſos irridemus, & ſubſannamus mores; Vnde tantumdem eſt, hoc opertum, vel hoc ride-

re,quantum ſi dixiſſet, hanc ſatyram. Quod vero addit, *Tam nil* nedum eſt poſitum modeſtè,ſed etiam reſpicit verſum 2. *Quis leget hæc? nemo*, quia Nero,& Aulici, cæterique Romani,eam contemnent, nec legere dignabuntur. Similiter, quod denominat opertum, reſpondet ſententiæ immediatè ante poſitæ. Hic tamen infodiam. Sed appellans ridere, reſpexit ad verba verſus 12.

Sed ſum petulanti ſplene cachinno.

Aſſerens vero ſe non eſſe venditurum, aut commutaturum hāc ſuam ſatyram, Iliade, reſpicit ſententiam,qua verſu 4. quęſtus fuerat.

Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem prætulerint,

& vult dicere: Etiam ſi Nero, & alij eiuſdem farinæ Romanorum proceres, adeo magnifaciant Labeonem, Iliadis ineptum ſcriptorem, ego nihilominus pluris facio libertatem, qua ſatyram ſcribo, atque adeo ſatyram ipſam, quam adulatoriam,paraſiticam,& ſeruilem illam gratiam apud Principem: quæ certè ingenui, & magnanimi viri eſt nota.

AVDACI quicumque afflate Cratino, iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles, aſpice, & hæc,ſi fortè aliquid decoctius audis,vnde vaporata lector mihi ferueat aure. Ordo eſt: Quicumque afflate audaci Cratino, palles iratum Eupolidem cum ſene prægrandi,aſpice, & hæc,ſi fortè audis aliquid decoctius,vnde lector ferueat mihi aure vaporata. His verbis exponit, quos velit ſuarum ſatyrarum lectores, & ſic reſpondet minis Monitoris, dicentis, Neminem futurum ſuarum ſatyrarum lectorem.

Ipſe

Ipſe vero eos ad legendum inuitat, qui veteres lectitauerunt comicos, & ex tali lectione, eorum hauſerunt ſpiritum: alios autem contemnit, quia populare iudicium, & plauſus, nauci ſunt facienda; turba namque adeo malus eſt iudex, vt Euripides dixerit, ſe non diſcere à populo fabulas ſcribere, ſed ſcribere, vt populum doceret, ideo non debere ſe illi accomodare, ſed è contra. *Audax* autem, quandoq; ſumitur in bonam partem pro forti, & fidente viribus, nec ſine cauſa animum in aduerſis deſpondente. Sic Virgil. 5. Æneid. verſu 67.

Quiq; pedũ curſu valet, & qui viribus audax,
Aut iaculo incedit melior, læuibuſue ſagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæſtu
Cuncti adſint, meritæque expectent præmia palmæ.

Sic Tibullus lib. 4. Panegyrico ad Meſſalam,
Non te vicino remorabitur obuia Marte
Gallia, nec latis audax Hiſpania terris.

Verum is propriè dicitur audax, qui eſt extremè oppoſitus timido, nempe qui abſque prudentia, & conſideratione virium ſuarum, & aduerſarij, vel negotij, ruit in opus, vtcumque cadat euentus; ſic Horatius lib. 1. carminum Ode 3.

Audax Iapeti genus,
Ignem, fraude mala, gentibus intulit.

Et Ouid. de Anna 3. Faſtorum ait:
Nox erat, ante torum viſa eſt adſtare ſororis
Squallenti Dido ſanguinolenta coma
Effuge, ne dubita, mæſtum ſoror, effuge tectum;
Sub verbum querulas impulit aura fores

Exi-

Exilit,& velox humili ſuper arua feneſtra
Se iacit,audacem fecerat ipſe timor.
Sic de Vlyſſe Tibull.lib.4.Paneg.ad Meſſalã.
Ille per ignotas audax errauerit vrbes.
Et hoc modo audax confunditur cum temerario, nam hic eſt qui temere abſque ſalutis reſpectu, periculis ſe exponit, ille vero, qui impetu,ſine prudentia, & rationis conſilio, in ea ruit.Et videtur Cratinum fuiſſe talem,qui, vt dici ſolet, aperto Marte cum vitijs, & vitioſis congreſſus, nullo curabat ſale,aut lepore condire conuitia, & maledictiones,quibus ſuæ refertæ erant Comœdiæ. Ideoq; veteris comœdiæ poetarũ maledicẽtiſſimus, omnium, quos, notauit, offenſionemincurrit, in quo ſumma indiguit audacia, vt propterea merito hic denominatus fuerit audax.

AFFLATE. Non placet hic conſtituere Enallagen caſus, quaſi diceretur: O tu qui es afflatus Cratino, nam optimè ſtat vocatiuus, afflate, ad eum, qui,ex aſſidua lectione,videri poterat Cratini hauſiſſe ſpiritum. Ducta eſt autem metaphora à quibuſcumq; odoriferis, vt ab vnguentis,floribus,pomis, & ſimilibus; immo & à graueolentibus,cœno, ſulphure, & alijs: quæcumque enim circa talia diutius manſerint,illorum afficiuntur odore. Et ita vult, eos,qui ſapientum,aut ſtudioſorum habuerint conſuetudinem, ex ea plurimum ſapientes euadere, & ſtudioſos: Hinc ſapientibus monemur conuiuere,& à ſceleratis cauere, nam vt dicitur Eccleſiaſtici 13. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Talis enim quilibet erit, quales ij,quibus conuiuit,nam vt flagi-

tioſi

tioſi verbo, & exemplo venenatum, peſtilentemque halant ſpiritum, quem attrahentes proximi,pernicioſius inquinabūtur,quam qui attraxerit procedētem ab affecto morbo Gallico,vel Epidemia lue: ita ſapiens,ſpiritum videtur fundere ſalutarem, ſiue Cœleſtem, quem attrahentes,viſu,vel auditu,vicini, meliores in dies euadunt.

CRATINVS ex Egyra inſula, Callymadis filius, philoſophus voluptuarius, priſcæ comœdiæ inuentor, floruit Athenis Olympiade 94. iuxta Annales Sculteti, vbi in Dionyſiacis, ſeu ludis Bacchi, primus Comœdiam induxit. Hac prima Comœdia, abſque velo, & tergiuerſatione,apertè,& nominatim Ciuium quorumcumque,& Principum Rerumpub.vitæ,& mores carpebantur: vnde Ariſtophanes ea,quam appellauit Nebulæ, quum Socratem impietatis, & corruptæ iuuentutis arguiſſet, anſam dedit,vt is capitis damnaretur. Inde quum experientia compertum eſſet, ex hac poetarum maledicendi licentia, multa ſequi inconuenientia, lege cautum, vt poeta qui apertè, ſeu nominatim alteri cuicumque maledixiſſet, fuſte feriretur. Hac ergo libertate ſublata è ſcena, cœperunt poetæ vti perſonis fictis,allegorijs, dicterijs, & alijs dicendi formis, & maximè ſatyris: ſatyra enim proximè accedit priſcæ comœdiæ,excepto quod non recitatur è ſcena, & plerumq; reticet eorum nomina, quos carpit: quamuis tam Lucilius, quā Horatius,& etiā Iuuen. pleroſq;nominatim arguerint. Priſcæ ergo Comœdię iuuētor fuit Cratinus, quem imitati fuere Eupolis,&

Ari-

Ariſtophanes,quos iungit Hor.1.ſer.ſat.4.

Eupolis,atq;Cratinus,Ariſtophaneſq;poeta,
Atq; alij,quorum Comœdia priſca virorũ eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus,aut fur,
Quod mœchus foret,aut ſicarius,aut alioqui
Famoſus,multa cum libertate notabant.

Et quum omni voluptatum generi, ſed inprimis ebrietate foret addictus, de eo dixit Horat. lib.1. Epiſt.19.

Nulla placere diu, nec viuere carmina poßũt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Et nihilominus vitam extendit ad annos nonagintaſeptem. Quod autem Euſebius, referente Ioanne Bond, aſſerat, eum floruiſſe Olympiade octuageſimaprima, & vixiſſe vna cum Platone,falſum videtur;nam Ariſtophanes, Cratino æuo poſterior, condemnationis Socratis, qui Platonem in philoſophiam introduxit, autor fuit, vnde ſi Ariſtophanes Platonem præceſſit,non potuit Cratinus cum Platone vixiſſe.

IRATVM Eupolidem. Eupolis Athenienſis, qui ſeptemdecim ſcripſit priſcas comœdias,& tales,vt nouem ex ipſis in concurſu victoriam reportauerint. His hominum vitia tanta caſtigabat ſeueritatę,vt audientibus,ſiue legentibus terrorem incuteret. Eas nihilominus ſalibus,& iocis condiebat, & ideo libenter audiebatur. Quia vero dicunt eum iocis fuiſſe refertum, Caſaubonus iudicat ei non conuenire epitheton irati, quo à Perſio notatur;ſed quum Cornutus, & alij aſſerant,Perſium vnicuique conueniens epitheton aſſignaſſe, audacis

dacis Cratino, prægrandis Ariſtophani, & irati Eupolidi, non eſt curandum de Caſauboni ſcrupulo: nec enim repugnat aliquem eſſe vehementem, & iratum, vt terrorem afferat, & nihilominus ſalſum. De eius vero morte, quidam afferunt obijſſe oppreſſum thalami ruina prima nuptiarum nocte, adferentes illud Ouidij in Ibin:

Sit tibi coniugij nox prima, nouiſſima vitæ:
Eupolis hoc perijt, & noua nupta modo.

Verum Eupolis iſte, non fuit poeta comicus, de quo nunc eſt ſermo, ſed alius Niciæ filius, qui ducta Glycerio, Eudici filia, prima nocte nuptiarum, cubilis caſu, obrutus eſt. Alij aſſerunt obijſſe, in mare demerſum iuſſu Alcibiadis, quem in vna ex ſuis Comœdijs, Baptis nomine, lacerauerat, quod voluit Platonius his verbis à Plautio hic relatis: *Scimus Eupolidem, quoniam Baptas, fabulam docuerat, ab ijs ipſis in mare ſubmerſum, cõtra quos Baptas emiſerat.* Alij aſſerunt perijſſe nauali prælio commiſſo ab Athenienſibus contra Lacedemonas, cuius mors adeo Athenienſibus diſplicuit, vt publico cauerint edicto, ne deinceps poetæ militarent. Potuit tamen Alcibiades ipſum ſub ſe militantem, ſubmergere, & deinde publicare, eumdem præliando occubuiſſe.

PRÆGRANDI cum ſene. Ariſtophanem intelligit, Philli filium, Lindo Rhodi oppido natum, ſed, lege, Ciuem Athenienſem, qui priſcæ Comœdię fabulas quinquagintaquatuor edidit: præ omnibus facetus, ſalibus refertus, ac iocis: ſermone Attico, adeo purus, vt quum Dionyſius aliquem ab Athenienſibus peteret

At-

Atticæ linguę eruditum, iſti Ariſtophanem, illi propoſuerint. Filios habuit ſui in Comœdia imitatores, Aratora, & Philippum, & Philetrum. Denominatus eſt autem ſenex prægrandis, non tam ob ætatem, non enim ſcimus ipſum expleſſe annum nonageſimumſeptimū, vt de Cratino legimus: nec quod alijs duobus fuerit natu maior, quum Cratinus ſaltem ipſum anteceſſerit, qui priſcæ Comœdiæ fuit inuentor. Sed dictus eſt ſenex prægrandis; ob ingenij excellentiam, quia tot fabulas, & tam diuerſas edere potuit, quot nullus alius. Vel ob argumentorum grauitatem, ſicut eadem, grauis argumenti, cauſa, Lucilius, quadrageſimoſexto ætatis anno mortuus, ab Horat. 2. ſer. ſat. 1. dictus eſt ſenex, vbi de eo loquēs ait:

quo fit, vt omnis
Votiua pateat, veluti deſcripta tabella
Vita ſenis.

PALLES. Quod hic palles legimus, in aliquibus codicibus eſt *Polles*, quaſi ſit: O tu, qui tantū vales, quantū Eupolis, & Ariſtophanes: quæ lectio, tam quoad intelligentiam huius textus, quam quoad intentum, & mentem autoris, poſſet ſuſtineri. Sed quia emendatiora, & ferè omnia exemplaria, habent, *Palles*, hanc lectionem retinemus, & iuxta eam interpretandus eſt textus. Ille ergo pallere dicitur, qui pallorem contraxit. Pallor autem eſt color ille, qui apparet in cute, quum pellis, ſanguine deſtituta, liueſcit, quod accidere ſolet ſubito timore perculſis, ſanguine ad interiora, in cordis ſubſidium, ſe recipiente. Et ita dicitur pallere Eupolidem, aut Ariſtophanem, quia

quia legens eorum ſcripta, vel videns repreſentari ipſorum fabulas, aduertenſque quanta acerbitate inuehantur in viros etiam primarios, etiam nominatim, timet ipſis poetis, ne quid mali patiantur ab illis, quos ita proſcindunt. Siue quia legens, aut aſpiciens huiuſmodi fabulas, & conſiderans nominatos, inſimulatoſque peſſimæ frugis nunc hos, nunc illos, timet ne per vices, ipſe quoque eadem accuſetur vehementia, quando, vt de Eupolide diximus, tam ſeuerus erat obiurgator, vt audientibus terrorem incuteret. Sed melius dicemus, & ad rem, pallere Eupolidē, & Ariſtophanem, qui erat aſſiduus in eorum lectione iuxta illud ſatyræ 5. verſu 62.

At te nocturnis iuuat impelleſcere chartis, & aliud proœmij. *Pallidamq; Pirenē*, vbi explicauimus quare ſtudium, & contemplati pallorem inducant.

DECOCTIVS, à verbo decoquo, & nomi decoctum. Decoquere autem eſt coquendo paulatim abſumere, & diminuere, vt aqua muſtum, & alij humores, per diuturnam, fortem coctionem, ad tertias, vel quartas, alias partes rediguntur. Res autem ſic decoctionem diminutæ, plus virium habent quia per coctionem, ſeparatis partibus tenuioribus, in eo, quod remanſit tota ferè rei ſubſtantia continetur: ideo infirmis decocta exhibent medici, quia illa, in parua molis quantitate, ſtomachum non grauante, magna continetur virtus, naturam roborans: Decoctius ergo dictum eſt tranſlatè, ad ſignificandam rem, quæ per coctionem, & diminutione

per

perfeĉtior, aut virtuoſior euaſit, & ita legimus Virgilium conſueuiſſe, horis matutinis, quinquagenos, vel etiam centenos verſus componere, quos deinde, veſpertina opera, ad denos, vel duodenos coarctabat, & ſic eos quaſi decoquens, & diminuens, perfectiores reddebat. Vnde quod hic dicitur, Decoctius, metaphoricè accipiendum eſt, pro, limatius, elaboratius, atque perfectius.

VNDE vaporata. In nonnullis legitur. Inde vaporata, quaſi diceret: Talem opto lectorem, qui aurem habeat vaporatam, id eſt calefactam ex lectione veterum comicorum: nam iſte legens meas ſatyras, inde magis feruebit. Sed tam futurum ſubiunctiui *Ferueat*, quam quod hoc dictum, continuandum videtur potius cũ eo, quod immediatè, quam cum eo, quod mediatè ante præceſſerat, & immediatè locutus fuerat de maiori perfectione ſuarum ſatyrarum, ſupra veteres comicos, de quibus dixerat, eſſe his fortè decoctiores, ideo puto legendum eſſe, *Vnde*, potius, quam, *Inde*, quaſi dicat: Tu lector veteris comœdiæ, & afflate ſpiritu Cratini, qui ex frequenti euolutione operum Eupolidis, & Ariſtophanis, pallorem contraxiſti, ne dedigneris meas ſatyras legere, nam fortè in eis offendes aliquid elaboratius, ratione cuius (id enim eſt *Vnde*) non te pigebit eas iterum legere, dummodo inquam venias accenſus ex illorum lectione, vt *Vnde*, ſit idem, ac ex quo: ſic apud Virgilium 5. Æneidos verſu 568.

Alter Atys, genus Vnde Athyj duxere Latini.

AVRIS autem *vaporata* à pleriſque intelligitur

tur afflata,ſeu calefacta ex aſſidua, attenta, & ſtudioſa lectione veteris comœdiæ. Sed congruentius litteraliter intelligemus aurem vaporatam, dici exſiccatam, & ita purgatam à ſordibus ex humiditate contractis. Et inde translatio ab aure corporis ad aurem mentis, hæc tunc dicitur vaporata, quum à paſſionibus eſt libera. Vnde ſenſus erit; Si tu, mi lector, mentis aurem habueris vaporatam, nempe liberam ab ira, cupiditate, & alijs perturbationibus: & poſt lectionem veterum comicorum, meas legeris ſatyras, ferue bis ad ea iterum reuoluendas.

FERVEAT. Feruere dicitur de eo, quod e igne vehementem contraxit calorem, vt de ferro ignito,& aqua bulliente. Transfertur a ea, quæ modo quocumque incaluerunt: hin muſtum feruet,dum tranſit in vinum; & ma dũ tempeſtatibus agitatur, & homo dum pa ſionibus vehementius commouetur. Sed nul ex his modis, nunc ſumitur. Feruet etiam opus,quum ſtudioſa diligentia promouetur: forum, quum plures ad ipſum confluunt; Martial. lib.2. epigramm.64.

Si ſchola damnatur, fora litibus omnia ferv
Ipſe poteſt fieri Marſya Cauſidicus.

Et altero,vel vtroque hoc modo nunc intel gitur,vt vel vnus, atque idem,captus volu tate harum ſatyrarum, frequenter illas leg vel plures ad eas concurrant. Et hic adeſt m tonymia cauſæ, nam lector ferueat mihi, ctum eſt,pro,ſit aſſiduus, vel multus concu rat ad lectionem mearum ſatyrarum.

AVRE. Auris eſt pars capitis,qua ſonos,

voces

voces percipimus ab hauriendis huiuſmodi ſonis dicta, eſto ſcribatur abſque aſpiratione. Differt ab auricula, quæ propriè eſt auris exterior, & membrum corporis: vel mollis illa particula, quæ infima, & inferior auris appellatur. Auris vero eſt ipſe ſẽſus, & potẽtia auditiua corporalis, ſed transfertur etiam ad intelligentiam. Hinc Mart. lib. 3. epigr. 28.

Auriculam Mario grauiter miraris olere?
Tu facis hoc: garris Neſtor in auriculam.

Sic Virgilius lib. 3. AEneidos verſu 39.

gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures.

Sed frequenter auris, & auricula promiſcue pro eodem accipiuntur. Et vt docent philoſophi, aures etiam exteriores ſunt animorum indices, nam exiguæ, bonorum morum notam habent: magnæ vero, loquacitatis, & ſtultitiæ. In mulieribus vero, rubẽtes, proximè peractæ fornicationis, ſignum exibent; ſic Iuuen. ſatyra 11. verſu 186.

Prima ſi luce egreſſa, reuerti
Nocte ſolet, tacito bilem tibi contrahat vxor
Humida ſuſpectis referens multitia rugis,
Vexataſq; comas, & vultum auremq; calẽtem.

Et Suetonius in Caligula cap. 36. *Quoties libuiſſet, egreſſus triclinio, quum maximè placitam ſeuocaſſet, paullo poſt, recentibus adhuc laſciuię notis, reuerſus, vel laudabat palam, vel vituperabat: ſingula numerans bona, malaue corporis, atque concubitus*. Et clarius idem Suetonius in Octauio cap. 69. *M. Antonius ſuper feſtinatas Liuię nuptias, obiecit, & fœminam con-*

ſularem è triclinio viri coram in cubiculum abductam, rurſus in conuiuium, rubentibus auriculis, incomptiore capillo, reductam. Nec tantum in hominibus, etiam in beſtijs, aures animorum ſunt indices. Hinc Plinius lib. 11. cap. 37. inquit: *In equis, & omni iumentorum genere, indicia animi præferunt: feſſis marcidæ, micantes pauidis, ſubrectæ furentibus, reſolutæ ęgris.* Rectè autem in lectoribus vaporatas exigit aures, nam ſi animos paſſionibus habent occupatos, rectum ferre iudicium non poterunt.

NON hic qui in crepidas Graiorum ludere geſtit, ſordidus & luſco, qui poſſit dicere luſce, ſeſe aliquem credens, Italo quod honore ſupinus, fregerit heminas Areti ædilis iniquas. Dixerat quos eligeret ſuarum ſatyrarum lectores, nũc exponit, quos reijciat: interdicens ne ad eas legendas accederent ſubſannatores ſapientiæ Græcorum, nec vitijs inquinati, alios arguentes: nec glorioſi ob adeptum vilem magiſtratum. Renuit ergo lectores, tam eos, qui Græcos, & omnem elegantiorem cultum, vel tranſmarinam irrident ſapientiam: quam qui nedum philoſophiam, ſed omnes liberales contemnunt artes, eaſque habent ludibrio. *Crepidas* autem dicit, quas Romani ſoleas, vel caligas appellabant. Et, ſi Seruium audiamus, Ethruſcorum erat calceamentum: quod corrigijs circa pedes, & cauillos ligabatur: ita dictum à crepitu, ſiue ſono, quem, inter incedendum, edebat, dum calcaneo pulſabatur. De quo ſic Gellius l.b. 13. cap. 2. [Titus Caſtricius rhetoricæ diſciplinæ Doctor, qui habuit

buit Romæ locum Principem declamandi, & docendi, ſumma vir autoritate, grauitateque, & à D. Adriano ob mores, atque litteras ſpectatus, quum me præſente (vſus ſum enim eo magiſtro) diſcipulos quoſdam ſuos, Senatores, vidiſſet die feriato, tunicis, & lacernis indutos, & Gallicis calceatos: Equidem, inquit, maluiſſem vos togatos eſſe. Pigitum eſt cinctos ſaltem eſſe, & penulatos. Sed ſi hic veſter huiuſcemodi veſtitus, de multo iam vſu ignoſcibilis eſt, ſoleatos tamen vos P. R. Senatores, per Vrbis vias ingredi, nequaquam decorum eſt: non herclè vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine obiectauit. Hæc me audiente Caſtricius, & quædam alia ad eam rem conducentia, Romanè, & ſeuerè dixit. Plerique autem ex ijs, qui audierant, requirebant, quur ſoleatos dixiſſet, qui Gallicas, non ſoleas haberent. Sed Caſtricius profectò ſcitè, atque incorruptè locutus eſt. Omnia enim fermè id genus, quibus plantarum calces, tantum infimè teguntur, cætera propè nuda, & teretibus habenis iuncta ſunt, ſoleas dixerunt, nonnumquam voce Græca, crepidulas. Gallicas autem, verbum eſſe opinor nouum, non diu ante ætatem M. Ciceronis vſurpari cœptum, itaque ab eo ipſo poſitum eſt in 2. Antonianarum, Cum Gallicis inquit, & lacerna cucurriſti: neque in ea ſignificatione id, apud quemquam alium ſcriptum lego, grauioris dumtaxat autoritatis ſcriptorem, ſed, vt dixi, crepidas, & crepidulas, prima ſyllaba correpta, id genus calceamentũ, appellarũt, quod Græci κρηπῖδας

vocant, eiuſque calceamenti ſutores, crepidarios dixerunt. Sempronius Aſellio in lib. rerum geſtarum 14. Crepidarium,inquit cultellum,rogauit à crepidario ſutore.] Verum, vt Perſius hic innuit, calceamentum erat Græcorum proprium, maximè philoſophorum: & quum Græci à Romanis molles haberentur,tale calceamentum, ab his, militarẽ virum dedecere credebatur. Earum meminit Horatius, dicens 1.ſer. ſat.3.

ſi diues, qui ſapiens eſt,
Et ſutor bonus,& ſolus formoſus,& eſt Rex,
Quur optas, quod habes? non noſti quid pater inquit
Chryſippus dicat,Sapiẽs crepidas ſibi nũquam
Nec ſoleas facit, ſutor tamen eſt ſapiens

Hic tamen Perſius,crepidarum nomine,Græcorum intelligit elegantiam in corporis cultu,quam irridebant Romani: qui quum multis moralibus,naturalibus, & fortuitis ſordeſcerent vitijs, nec in Græcorum moribus haberent quid reprehenderent, exteriorem carpebant cultum,vt mollem,& militari indecentem viro.

LVDERE geſtit. Geſtire eſt lætitiam, aut alium animi affectum, corporis motibus indicare: vel eſt vehemens deſiderium, corporis motu manifeſtare. Sic Plautus Milite glorioſo Actu 1.ſcena 1.

Nam ego hanc macheram mihi conſolari volo
Ne lamentetur, neue animum deſpondeat,
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.

Et idem Amphitruone Actu 1.ſcena 1.

Geſtiunt pugni mihi.

Et Terent. Phormione Actu 1. ſcena 5.

Egone illi non ſuccenſeam? ipſum geſtio
Dari mi in conſpectum.

At vero, quum poeta nunc ait, ſe eum nolle lectorem, qui geſtit ludere in crepidas Graiorum, illius denotat voluptates, qui Grecorum elegantiorem cultum irridet. Et ita crepidæ accipiendæ ſunt per ſenecdochen partis pro toto, vel ſpeciei pro genere, pro omni ſpecie cultus Græcorum.

SORDIDVS. eſt, qui cæno, luto, oleo, vel alio inquinamento eſt conſpurcatus. Sic Cicero 3. Tuſculanarum: *Sæpe ſub palliolo ſordido eſt ſapientia.* Et Ouidius lib. 3. de arte ait:

Quum fieret, lapis aſper erat, nūc nobile ſignū,
Quas geritis veſtes, ſordida lana fuit.

Et etiam qui illuuie ſqualet, aut pædore, & quilibet de gente hircoſa centurionum. Virg. 6. ÆEneid. verſu 298.

Portitor has horrendus aquas, & flumina ſeruat
Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet, ſtant lumina flamma,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

Transfertur ad natalem, vnde ſordidè natus dicitur ille, qui vili, aut infami genere fuerit oriundus. Sic Liuius lib. 22. cap. 25. *Vnus inuentus eſt ſuaſor legis C. Terentius Varro, qui priore anno Prætor fuerat, loco, non humili ſolum, ſed etiam ſordido ortus: patrem, lanium fuiſſe ferunt, ipſum inſtitorem mercis, filioque, hoc ipſo, in ſeruilia eius artis miniſteria vſum,*

Is iuuenis, vbi ex eo genere quæſtus, pecunia à patre relicta, animos ad ſpem liberalioris fortunæ fecit, togaque & forum placuere. proclamando pro ſordidis hominibus, cauſiſq; aduerſus rem & famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honores peruenit. Sordidus etiam dicitur ille qui, vel auaritiæ ſeruiens, ſeipſum & alios habet illiberaliter, vel quæſtum facit ex rebus vilibus, & turpibus. Sic Horat. 1. ſer. ſatyra 1.

quidam memoratur Athenis
Sordidus ac diues, populi contemnere voces,
Sic ſolitus: Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul, ac nummos contēplor in arca.

Sic Cicero 1. Officiorum: *Primum improbantur ij quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, & fæneratorum: illiberales autem, & ſordidi quæſtus, mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes, emuntur. Eſt enim in illis, ipſa merces, auctoramentum ſeruitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant, nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur, nec enim quidquam eſt turpius vanitate. Opificeſq; omnes in ſordida arte verſantur, nec vero quidquam ingenuum poteſt habere officina: minimeque artes hæ probādæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, cetarij, lanij, coqui, fartores, piſcatores, vt ait Terentius &c.* Quocumque modo ſordidus ſumatur, conuenit huic textui, maximè ſi pro ignobili, auaro, & cultum negligente.

LVSCVS is eſt, qui altero captus eſt oculo, qualis fuit Annibal, de quo Iuuenalis ſatyra 10. verſu 157;

O qua-

O qualis facies, & quali digna tabella,
Quum Getula ducem portaret bellua luſcum!
Et Martialis lib. 4. Epigramm. 65.
Oculo Philænis ſemper altero plorat.
Quo fiat iſtud quæritis modo? luſca eſt.
Sed per ſenecdochen ſumitur pro laborante vitio quocumque, ſiue morali, ſiue naturali, aut fortuito. Ineptè autem faciunt obijcientes proximis vitia naturalia, in quæ illi nulla ſua inciderunt culpa. Et ideo dicebat Iſocrates: Nemini vnquam calamitatem exprobres, eſt enim fortuna communis, futura vero occulta, & incomperta. Vnde peccatum iſtud anathemate feritur, Canone Apoſtolorum 56. his verbis: *Si quis Clericus, claudum, vel ſurdum, vel eum cui vitioſus eſt inceſſus, irriſerit, ſeparetur. Similiter & laicus.* Variæ ſunt autem huius loci lectiones: quidam legunt, vt poſuimus: alij: Et luſco, qui poſcit dicere luſce. Alij: & luſco, qui poſſit dicere luſcus. Quamcumque tamen ſequaris lectionem, verſus ſeruat tam ſenſum, quod quis gaudeat obiectare vitium, quod habet: quam ſyllabarum quantitatem. Differentia tamen eſt, nam legendo: Et luſco, qui poſſit dicere luſcus, ſignificatur, quod quis obijciat vitium, quo laborat ipſemet obijciens. Legendo vero: Et luſco, qui poſcit dicere luſce, oſtenditur, iſtum prouocare alios ad obijciendum proximo vitium, quo laborat. Et quamuis hanc lectionem probet Caſaubonus, ex contextu tamen conijcio, menti poetæ conformiorem eſſe; Et luſco, qui poſſit dicere luſce, nam iſte obijciendo alteri vitium, redhoſtimentum, & talionem

non formidat, quia Italo eſt honore ſupinus, quę ratio reddita, indicat hanc eſſe germanam lectionem.

SESE aliquem credens. Interuenit hic Tapinoſis, ſeu Diminutio, nam credere ſe aliquem, eſt, magnificam de ſe habere opinionem, quod eſt eſſe elatum, ſuperbum, & arrogantem, alios quoſcumq; contemnentem. Et hoc ideo, quia fungebatur, vel functus fuerat honore Italo, nempe Ædilitate. Hic enim ſolus magiſtratus relictus fuerat Municipijs, & Colonijs Italię. Conſules enim, Prætores, & alij Magiſtratus habentes imperium, nullibi in Vrbibus Italicis eligi permittebantur, ſed S.P.Q.R. præſides eis mittebat, qui ius illis dicerent, & iuſtitiã Prouincialibus, & municipijs miniſtrarent. Ædiles autem eligi permittebantur, quorum curæ demandabantur ædes ſacræ (à quibus nomen traxere) & ludi faciendi, tum in eorumdem Deorum honorem, tum in populorum oblectationem. Ædiles etiam annonam curabant ne deficeret, & vt pondera, ac menſuræ iuſtæ forent. Et hic honor ædilitatis, exercitus, etiam Romæ, minimus omnium erat, ideoque iunioribus mandabatur, vt hinc gradum ſibi facerent ad ampliores: in municipijs vero omnino deſpicabilis, vt vanũ fuerit hinc gloriari.

SVPINVS eſt, qui dorſo incumbens, ventrem, ac faciem Cœlum verſus habet. Sic Iuuenalis ſatyra 3. verſu 278.

Ebrius, ac petulans, qui nullum fortè cecidit
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum,
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde ſupinus.

Sic

Sic Statius libro 6. Thebaidæ verſu 785.

Non leo, non iaculo tantum indignata recepto
Præcipitatque retro iuuenem, atque in terga ſupinat.

Et quia hic recubitus conuenit negligenti, vel otioſo, inde ſupini nomen translatum eſt ad mollem, deſidem, & otioſum. Sic idem Iuuen. ſat. 1. verſu 66.

Et multum referens de Mæcenate ſupino.

Quia vero tales eſſe conſueuerunt, qui nihil ſibi imminere ſuſpicantur, alioquin de illo ſolliciti, expergiſcerentur: ideo nihil timentes, ſecuri, erecti, & arrogantes ſunt: & inde ſupini nomen ad hoc animi vitium, ſuperbiã, & arrogantiam ſignificandum venit, quaſi id præſeferant tali corporis geſtu, vt incedant erecti, quaſi veru deglutiſsent.

HEMINA eſt genus menſuræ, dimidium continens ſextarij, ſeu drachmas ſexaginta. Verũ hic per ſenecdochen ſumitur pro quocumque pondere, vel menſura. Sic menſuram nominat Plautus Milite glorioſo Act. 3. ſc. 2.

Neque equidem heminas octo exprompſi in vrceum.

Sic heminam pro menſura poſuit Seneca de Tranquill. animi cap. 14. *Minabatur Theodoro philoſopho, Tyrannus, mortem, & quidem inſepultam: Habes, inquit, quur tibi placeas, hemina ſanguinis in tua poteſtate eſt: nam quod ad ſepulturam pertinet, ò te ineptum, ſi putas intereſſe, ſupra terram, an infra putreſcam!* Ædilis autem erat, prouidere, nedum vt merces, & annona ſuppeterent, & iuſto pretio diſtraherentur; ſed etiam vt pondera, & menſuræ

iſta forent. Sic accepit Plautus, Rudente Actu 2. ſcena 3.

quamuis faſtidioſus
Ædilis eſt, ſi quæ improbæ ſunt merces, iactat omnes.

Et Iuuenalis ſatyra 10. verſu 99.

Huius qui trahitur prætextam ſumere mauis
An Fidenarum, Gabiorumq; eſſe poteſtas?
Et de menſura ius dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis Ædilis Vlubris?

ARETI. Quidam antiquus codex habet Ereti. Eretum autem erat vicus quidam, potius, quam Vrbs, vel opidum, ſitum in Sabina ſupra Tiberim, decem & octo paſſuum millibus ab Vrbe diſtans, nunc fortè Mons rotundus: appellatumque Eretum ab Era, Iunone, ibi ſpecialiter culta. Eius meminit Virg. 7. Æneid. verſu 710.

Vna ingens Amiterna cohors, priſciq; Quirites,
Ereti manus omnis, oliui feræque Mutuſcæ.

Laudantur autem vſque modo vaſa figulina inde venientia: & de huiuſmodi vaſis Eretinis poteſt intelligi, quod ea fregerit AEdilis. Sed communior lectio habet Areti, quod dictum eſt per Apocopen pro Aretij. Eſt autem Aretium Vrbs Etruriæ antiquiſſima, & famoſiſſima, inter præcipuas Europæ, quam ferunt conditam ante Regnum Iſraelitarum: & fuit aliquando potentiſſima, ſicut & Peruſium, ac Vetulonia, quæ nunc eſt Viterbium, vt cognoſcimus ex Liuio lib. 10. cap. 3. & 6. Fuit etiam Romanorum Colonia, & vſque modo manent in ea antiquæ magnificētiæ reliquiæ. Laudabantur maximè figulina Aretina, vnde Mar-

Martialis libro 14. diſticho 96.

Aretina nimis ne ſpernas vaſa monemus,
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Poterant ergo heminæ, quas Ædilis iſte fregit, eſſe Aretinæ: ſed præſtat interpretari eum ædilitate functum Aretij, vndecumque fuerint heminæ.

NEC qui abaco numeros, & ſecto in puluere metas ſcit riſiſſe vafer, multum gaudere paratus ſi Cynico barbam petulans Nonaria vellat. His verbis deſignatur aliud genus, eorum, quos arcet à lectione harum ſatyrarum. Et quamuis expreſsè non meminerit, niſi contemptorum Arithmeticæ, & Geometriæ, per ſenecdochen nihilominus, irriſores intelligit cuiuslibet partis philoſophiæ, vel artis liberaliis, vt ſit ſenſus: Nec ille has ſatyras aſpiciat, qui, doloſus, irridere nouit numeros abaco, & notas in ſecto puluere deſignatas: quiue eſt facilis, promptuſq; ad cachinnandum, ſi procax proſtituta, philoſopho, fecerit contumeliam. *Abacus* autem in primis dicebatur tabula, ſiue ſcrinium, in quo exponuntur vaſa aurea, argentea, myrrhina, chryſtallina, & ſimilia, menſarum vſui deſtinata. Secundo abacus eſt tabula calculatoria, in qua pinguntur numeri, & inde facilè deleri poſſunt. Ea etiam nunc vtuntur Muſici, & Arithmetici, quam dicunt menſam Pythagoricam. Et de hac poteſt intelligi: *Et qui abaco numeros.* Abacus etiam eſt ipſa ſupputandi, calculandi, & numerandi peritia, quam Arithmeticam dicimus. Qui ergo numeros abaco deſcripſit, eſt Arithmeticus, vſus tabula, ſeu menſa Py-

thagorica , & quilibet alius ſcientificus.

ET ſecto in puluere metas. Metæ ſunt congeries rerum, ſiue acerui, formati ad modum turbinis inuerſi, ſiue figura pyramidali, parte inferiori lata, ſuperiori vero terminata in conum acutum, quales fiunt in agris à ruſticis, fœni, & palearum congeries, eaſque metas appellant. Sic Columella lib. 2. cap. 19. *Eſt autem modus in ſiccando, vt neque peraridum, neque rurſus viride colligatur: alterum quod omnem ſuccum ſi amiſit, ſtramenti uicem obtinet; alterum, quod ſi nimium retinuit, in tabulato putreſcit, ac ſępe concaluit ignem creat, & incendium nonnunquam etiam cum fœnum cecidimus, imber oppreſſit: Quod ſi permaduit, inutile eſt vdum mouere: Meliuſque patiemur ſuperiorem partem ſole ſiccari. Tunc demum conuertemus, & vtrumque ſiccatum coartabimus in ſtriam, atque ita manipulos vinciemus: nec omnino cunctabimur, quo minus ſub tectum congeratur, vel, ſi non competit ut, aut in villam fœnum portetur, aut in manipulos colligatur. Certè quidquid ad eum modum quo debet, ſiccatum erit, in metas extrui conueniet, eaſque ipſas in anguſtiſſimos uertices extrui: ſic enim commodiſſimè fœnum defenditur à pluuijs, quæ etiam ſi non ſint, non alienum tamen eſt prædictas metas facere, vt ſi quis humor herbis ineſt, exudet, atque excoquatur in aceruis.* Metæ quoque erant columnæ pyramidales, locatæ circa extremitatem circi & campi, quas quadrigæ, poſt demenſum totum ſpatium, ſepties circuire tenebantur: & qui, abſque impactione ad illas, quadrigas flectebant, victoriæ pręmium

mium referebant in ludis Circenſibus. Quod innuit Propertius lib. 2. eleg. 19.

An prius infecto depoſcit præmia curſu,
Septima, quam metam triuerit ante rota.

Et quia metæ erant in extrema parte Circi, ad quas curſus terminabatur, meta pro termino ponebatur. Sic Virgilius 1. Æn. verſ. 282.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.

Et quia erant figura pyramidali, hinc trianguli, cylindri, & multæ aliæ mathematicorum figuræ, in acutum angulum terminatæ, metæ dictæ ſunt. Et de his nunc loquitur, & per ſenechdochen de quacumque figura mathematica, & tota geometria. Quæ figuræ rectæ deſcribuntur in puluere ſecto: geometræ enim, radio ſuas in puluere deſignant figuras, vt ſi intentæ demonſtrationes primò non ſucceſſerint, deleri facilè poſſint, & aliter experiri, alias deſcribendo. Puluis autem quum quid radio, ſeu virga, in eo deſcribitur, ſecari videtur.

SI barbam Cynico. Cynicorum philoſophorum ſecta, ab Antiſthene Socratis auditore, ortum duxit, appellationem vero à gymnaſio, in quo is profitebatur, Cynoſarge dicto: quãuis ægrè, nec niſi mira Diogenis importunitate, & patientia victus, docere cœperit. Niſi mauis Cynicos dictos à canibus, (nam cynos Græcè, canis eſt Latinè) philoſophi autem iſti canes imitabantur, latrantes, & mordentes. Vnde Diogenes interrogatus, quur canis diceretur, reſpondit; Quia dantibus, blandior, non dantibus allatro, malos autem mordeo.

Vel

Vel dicti canes, & hos imitari, quia nedum alia naturalia, ſed opus etiam generandi in propatulo exercere non verebantur. Et hæc erat nefaria eorum doctrina, quamuis ipſi, ſpreta naturali, rationali, & alijs philoſophiæ partibus, & artibus liberalibus, ſoli morali (ad eam certè corrumpendam) incumbere profitebantur Secta iſta, ob dicendi libertatem, plurimum viguit, eſto ab omnibus contemneretur, quia eius profeſſores, de ſola indolentia, ſicut Stoici, gloriantes, libidinibus, & vniuerſis vitijs ſeruiebant. Ideo rectè Cynicus dictus eſt philoſophus iſte illuſus à meretrice. Id enim diſſoluti curabant adoleſcentes, ad riſum captandum, proſtitutam aliquam committere cum philoſophis cuiuſcumque Sectæ fuiſſent. Vnde Cynicus ſpecialiter nominatus, poſitus eſt per ſenecdochen pro quocumque.

NONARIA petulans. Quid ſit petulans, dictum eſt ad illa verba verſus 12.

Sum petulanti ſplene cachinno.

Nonaria autem dicebatur meretrix, vel quia proſtitutis non permittebatur lupanaria, niſi poſtmeridianis horis aperire, aut iuuentutem ad ſe allicere: horis vero matutinis, Prætoris edicto, id illis erat interdictum, ne viros aut adoleſcentes à foro auocarent. Vel à Nonis, qui dies erant infauſti, atri & inauſpicati, vt innuit Suetonius in Octauio cap. 92. his verbis: *Apud inſulam Capreas veterrimæ ilicis demiſſos iam ad terram languenteſque ramos, conualuiſſe aduentu ſuo, adeo lætatus eſt, vt eas cum Rep. Neapolitanorum permutauerit, A Enaria*

via data. Obſeruabat, & dies quoſdam, ne aut poſtridie nundinas quoquam proficiſceretur, aut Nonis quidquam rei ſeriæ inchoaret. Infauſtæ autem ſunt meretrices illis, quos ſuis caſſibus irretire potuerunt, eos bonis, tam externis, diuitijs, & facultatibus, fama & dignitate, quam aderentibus, & internis, robore, ſanitate, virtutibus, & gratia Dei, expilantes. Et ita merito appellatur Nonaria.

VELLAT. Vellere, & euellere idem eſt, nempe extrahere, & à radicibus extirpare, vt fit in plantis, herbis, & pilis. Sic Horat. lib. 1. ſatyra 3.

ſi Rex ſolus, vellunt tibi barbam
Laſciui pueri, quos tu niſi fuſte coerces
Vrgeris turba circum te ſtante.

HIS mane edictum, poſt prandia Callirhoen do. Edictum, erat tabula Conſulis, vel Prætoris, aut alterius Magiſtratus, qua aliquid faciendum præcipiebatur. Vel, vt dicit gloſſa ad illa verba lib 2. Inſtitutorum Ciuilium cap. de vſucapione, & longi temporis præſcriptione: *Edicto Diui Marci cauetur, eum qui à fiſco rem alienam emit, ſi poſt venditionem quinquennuim præterierit, poſſe dominum rei, exceptione repellere. Edicto*, inquit, *ideſt precepto generali, alias prætorum dicuntur edicta.* Quam tabulam, foro appēdi mos erat, vt omnibus innoteſceret, ne ignorantiam prætendere poſſent, ſaltem ij, qui præconis vocem, qua primitus publicatum fuerat, non audierunt; ſic Plautus Captiuis Actu 4. ſcena 2.

Baſilicas edictiones, atque imperioſas habet. Et Ter. Heautont. Actu 4. ſcena 1.

Pri-

Primum te hoc oro ne quid credas me, aduerſum edictum tuum
Facere auſam .

Et ita fortè Perſij tempore edictum erat maribus, vt mane forenſia curarent negotia : & meretricibus inhibens, ne lupanaria ante nonam aperirent, & de tali edicto nũc loquitur.

CALLIRHOEN DO. Ab hiſtoricis, atque grammaticis Callirrhoe ſcribitur cum duplici R: ſed paſſim à poetis tam Græcis, quam Latinis, per ſyncopen, cum vnico pronunciatur. Exiſtimant aliqui Callirhoen , de qua nunc eſt ſermo, fuiſſe nobilem illam Virginem Calidoniam, de qua Pauſanias lib. 7. refert fuiſſe adamatam à Corœſo Bacchi ſacerdote : ſed quum illi amoris vicem reddere dedignaretur, is vindictam à Libero patre rogauit, qui ſuum exaudiens ſacrificulum, ebrietati ſimilem, furorem in Calidonios miſit, ex quo plures moriebantur. Quapropter Calidonij Dodonæum adiere oraculum, ſciſcitantes tanti mali remedium; & à Deo didicerunt, non prius finem habiturum flagellum, quam Baccho ſatisfactum fuiſſet, per immolationem Callirhoes, aut alterius, qui ſponte pro ea mori, & immolari, Corœſi manibus, voluiſſet. Virgo mortis horrore perculſa, quum eam Ciues (ad omnium peſtem ſanandam, immolari decreuiſſent) plures ex ſibi cõiunctiſſimis rogauit, vt ſibi in tali adeſſent articulo, voluntariam pro ea mortem ſubeundo : ſed ab omnibus irriſa, tandem ad Corœſum ducta, vt eius manibus Baccho immolaretur: Sacerdos ad præſentiam eius, quam amauerat, denuò

nuò inflammatus, ſcienſque Numini placando ſufficere, ſi alius pro Callirhoe immolaretur, ſeipſum pro illa ſacrificium obtulit. Illa vero tantum experta Corœſi in ſe amorem, ſera ducta pœnitentia, ſeipſam ſupra illum interfecit. Quod eſt argumentum incomparabilis fabulæ à Io: Baptiſta Guarino Italicè æditæ, ſub nomine fidelis Paſtoris. Ab alijs dicitur, Callirhoen, de qua nunc loquitur, fuiſſe Virginem Bœotiam, Phoci Thebani filiam, à ſupra triginta procis in vxorem expetitam: quos Phocus, varijs procraſtinationibus illudebat, & fortè emungebat, vana ſpe eos lactans: & quũ re non poſſet niſi vni ſatisfacere, ſpe omnes ligabat. Id vero aduertentes Proci, conſpiratione facta, Phocum occiderunt: Callirhoe vero, patris audita nece, ne iniuriæ pateret, aut violentiæ, clam domo aufugit, ac delituit vſque ad ſollemne feſtum totius Bœotiæ, ad quod vniuerſa conueniebat Prouincia. Ad hoc ipſa conuolans, & Palladis ingreſſa templum, rem, omnibus audientibus, ordine expoſuit, patris occiſoribus nominatim poſtulatis, & de eis vltionem popoſcit, Qui, quod nihil tale verentes, eo conuenerant, quum ſe ad necem poſtulari audiſſent, ne ad pœnam raperentur, fugæ ſe mandauerunt, eoſque Hippotenſes receperunt, nec, Bœotijs eos repetentibus, reddere voluerunt: ideoq; , tota Prouincia in eos concitata, conuenit armata ad eius Vrbis vaſtationem. Et quum prælium foret committendum, homicidæ ipſi, è vicino montis Heliconæ iugo, vocem audiuerunt inclamantis :

Ad-

Adſum, Adſum: quam Phoci, ſibi notiſſimam, eſſe non dubitauerunt. Itaque commiſſo prælio, quum victoria penes Bœotios fuiſſet, Hippota funditus fuit euerſa, omnes autem proci illi homicidæ, ignibus conſumpti. Alij credunt hanc Callirhoen, fuiſſe Acheloi fluminis filiam, Alchmeonis vxorem. Alchmeon ſiquidem Amphiarai, & Eriphiles filius, reſciens, matris dolo, & proditione, patrem inuitum ad bellum Thebanum profectum, ibiq; (vt iam præuiderat) terræ hiatu abſorptum: matrem, in patris vltionem necauit: ſed huius deinde furijs agitatus, & in inſaniam verſus, purgari cupiens, Phegeum AlphœſibϾ patrem adijt, à quo, mentis ſanitati reſtitutus, Alphœſibœam duxit vxorem, cui & maternum tradidit monile. Verum quum deinde viſam adamaſſet Callirhoen, Acheloi fluminis filiam, eam vxorem ſuperinduxit, & ex ea filios ſuſcepit. Quæ quum cognouiſſet de pretioſo monili, Alphœſibœæ ab eo donato, virum rogauit, vt illud ad ſe deferret. Is vero ea de cauſa ad Alphœſibœam reuerſus, ab eius cognatis, Alphœſibœę fratribus, Temeno, & Axione, occiſus fuit. Alphœſibœa vero, in viri vltionem, fratres necari iuſſit, vt cecinit Propertius dicens lib. 1. elegia 15.

Alphœſibœa ſuos vlta eſt pro coniuge fratres,
Sanguinis & chari vincula rupit amor.

Callirhoe etiam audita viri nece, Iouem precata eſt, vt filij adhuc impuberes, quam primum adoleſcerent ad patris vltionem, vt dixit Ouidius lib. 9. Metamorph. his verbis:

Tum demũ magno petet hoc Acheloia ſupplex

Ab

Ab Ioue Callirhoe, natis infantibus annos
Addat, neue necem ſinat eſſe vltoris inultam.
Iuppiter his motus, priuignæ dona nuruſq;
Præcipiet, facietque viros impubibus annis.

Poterit igitur de qualibet iſtarum intelligi: nam quælibet ex eis argumentum eſſe potuit Tragœdiæ, ad quam Perſius remittit eos, quos arcet à lectione ſuarum ſatyrarum. Alij vero iudicant Callirhoes nomine fontem intelligi, qua appellatione quamplures extitere, vt ille in Attica nouem habens fiſtulas: alius in Paleſtina, calidis, & ad pleroſque morbos pellendos, vtilibus aquis: & alij alibi. Et ſi Callirhoe hoc modo ſumatur, poeta remittens ad Callirhoen, facultatem concedit balneandi, nedum in aquis illorum fontium, ſed, per ſenecdochen ſpeciei pro genere, in quocumque balneo. Sed quia legimus Perſij temporibus vixiſſe Romæ famoſiſſimum ſcortum, Callirhoen nominatum, de hoc puto intellexiſſe, & per eamdem ſenecdochen ſpeciei pro genere, quamcumque meretricem, cum qua ſcortationem permittit eis, quos prohibet legere ſuas ſatyras.

PARAPHRASIS TEXTVS QVARTI.

NOn oportet, inquit Monitor, ò Perſi, pungentibus tuarum ſatyrarum aculeis, auriculas exaſperare, offenſionem facilè ſentientes: immo cauere debes, ne à Principum excluſus liminibus, prætereuntium

excipiaris dicterijs, ſannis, atque cauillis, neue obuij, tecum tales ſint, quales cum ignotis; & peregrinis, canes. Ad hæc Perſius. Quantum eſt ex me, omnia Neronis, aulicorumque dicta, & facta, ſint perfecta, & adamuſſim elaborata, nec ea reprehendo, immo eis applaudo per Euge, & dicendo, Omnes res eritis mirè benè. Quod ſi id placet, rogo apponatur aliquis character, quo cognoſcam quænam ſint opera, quæ reprehendi non placeat, declaretque Cæſar, quæ accuſari non permittat: tunc enim eis tamquam rebus Diuinis, venerationem exhibebo, & erga eas caſtigandi mittam voluntatem. Alioquin, quū Lucilio licuerit totam, à minimo ad maximum, vrbē proſcindere, & in primis palam, & nominatim Lupum, & Mutium, Senatores Primarios accuſare: nec Horatio aliquis eorum, quos reprehendebat, fuit iratus, etiam ſi vehementes fuerint vitiorum caſtigatores, immo omnibus chari ad mortem vſque durauerint: mihi quur interdicitur peruerſorum inſectari vitia, ſaltem furtiuè, & clam? Verum indignentur, aut etiam rumpantur licet, ſub his ſaltem verſibus, tamquam ſub terra, ad inſtar tonſoris Midæ, meam pro feram ſententiam, qua dico Neronem cum alijs eiuſdem farinæ proceribus, non plus ſapere, nec plus habere iudicij, vel intelligentiæ, quam habeat aſinus. Hanc autem meam ſatyram, vtcumque Neroni, Aulicis, & cæteris eiuſdem ſenſus Romanis, vilem, contemptibilem, & nullius pretij, non commutauerim cum famoſa Iliade Accij Labeonis.

beonis. Nec volo quemcumque mearum ſatyrarum lectorem, aut auſcultatorem: immo eos tantum admitto, qui, ex frequenti veterum comicorum lectione, ſpiritum contraxerunt audacis Cratini, vel ex euolutione Eupolidis, & Ariſtophanis, pallorem: talis enim ſi ad meas ſatyras legendas acceſſerit, diſcernet vtrum ſit in eis aliquid perfectius, & elaboratius, quam in illis, & vtrum ſint dignæ, quæ ſæpius legantur. Eos vero arceo ab earumdem lectione, qui lętantur, quum irriſerint elegantiorem Græcorum cultum, quum ipſi vitijs ſint inquinati. Et eos arrogantes, qui eo, quod annuo fungantur magiſtratu Italico, in quo pœna aliquē multauerunt, non verentes talionem, contumelioſè cæteros habent. Vt etiam eos, qui contemnunt, & ſubſannant omnem philoſophiæ partem, vel quamcumq; artem liberalem: vel qui gaudent de philoſophorum contumelijs, ſi indignè à quoquam habeantur. Tales ergo prohibeo, nec cuiquam talium indulgeo mearum ſatyrarum lectionem, quinimmo, earum loco, eis permitto, vt poſtquam matutinis horis fori vacauerint negocijs, poſt prandia corporis voluptatibus ſe ſe oblectent ſcorta etiam ductando &c.

Finis Satyræ primæ.

A01 1465185